



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

Capita Libri Primi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

INSTRVCTIONIS SACERDOTVM,

LIBER I.

Quid sit Sacerdos, & quare sic dicatur?

CAPVT I.



QPVS Diuino fauore instituiamus, ad Sacerdotem in ijs, quæ sui sunt muneris instruendum ; non quidem omnia, quæ dici de hoc poterant, disputando, aut varias Doctorum opiniones discutiendo, sed quæ præcipua sunt, & certiora ordinatè, dilucidè, breuiterque proponendo. Ab ipsa igitur definitione exordiamur, & quid sit Sacerdos describamus. *Est autem Sacerdos, Vir, cultui veri Dei, auctoritate diuina, determinatis personis concessa, firmiter deputatus.* In qua descriptione sex sunt partes,

Prima est, *Vir.* fœminæ enim diuino iure à Sacerdotio excluduntur, vt habetur in cap. noua. de pœnit. & remiss. id enim masculis solum est concessum, ad officij huius dignitatem, & perfectionem denotandam.

Secunda pars est, *Cultui Dei deputatus.* Est autem Dei cultus, reuerentia quædam, tam interior, quam exterior, Deo, ob ipsius excellentiam, exhibita; qui maximè in tribus consistit, in sacrificio, quo eius dominium, in laudibus, quibus eius bonitatem, in Sacramentorum administratione, quibus ab ipso salutem, & redemptionem procedere cõfitemur; cui cultui conueniens fuit, personas certas dedicari, vt perfectius exhiberetur: & tales sunt sacerdotes. Vnde fit, cum hic cultus actus sit latriæ, & religionis, quæ soli Deo debetur, vt nulli creaturæ liceat, Sacerdotes habere sibi ministros: habent quidem Reges & Principes, æconomos, cubicularios, villicos, iudices, & alios huiusmodi, solus Deus Sacerdotes habet. Qui ergo sibi sacerdotes constituit, & sacrificium, precesque ab eis petit, se Deum facere præsumit.

A

Tertia

Tertia pars, *veri Dei*. ad excludendos Ethnicorum Sacerdotes: sunt quidem cultui Dei deputati, sed non veri Dei, sed falsi, quem ignorant homines, & Idololatræ ut Deum recipiunt: Dæmon enim illo peruerso diuinitatis appetitu, Sacerdotes sibi, templa, & sacrificia, quæ solius sunt Dei veri, usurpat. Tales igitur nomine tenus, non re sacerdotes sunt, nec talia templa, aut sacrificia vera sunt.

Quarta pars est. *Diuina auctoritate*, quia nemo propria sua auctoritate, & placito se sacerdotem creat. Rursus, nec auctoritate Reipublicæ sit; non enim habent Reipublicæ potestatem creandi sacerdotem, sicut habent creandi Regem, Ducem, aut Principem: sed diuina auctoritas necessaria est.

Quinta pars. *Determinatis personis concessa*. Non enim hanc auctoritatem communitati vlli Dominus concessit, sed personis tantum particularibus.

Primò quidem fuit in Christo Domino, à quo in Apostolos deriuata est: ab Apostolis vero in Episcopos, in quibus modò de iure diuino residet hæc potestas sacerdotis creandi.

Sexta pars est. *Firmiter*: non enim sacerdos est ad tempus, sicut Duces, Milites, Iudices, &c. sed in perpetuū, ita ut, dum vult, priuari sacerdotij potestate nulla ratione possit. Talis igitur est sacerdos, non quidem omnis, sed Euangelicus. fuerunt enim in statu omni sacerdotes veri: nam in lege nature nõ defuit sacerdotium, & sacrificiū, seu oblatio: fuit enim Melchisedech sacerdos Dei altissimi. Similiter in lege scripta fuerunt sacerdotes: nam Aaron sacerdos fuit, & eius filius Eleazar, & reliqui ex tribu Leuitica. His tamen non conueniunt omnes simul conditiones positæ in descriptione, ut paulò inferius dicemus; sed solis sacerdotibus noui testamenti, quibus, ob ipsorum excellentiam, definitionem adaptauimus, in qua omnia causarum genera comprehenduntur; materialis enim est Vir. formalis, Firmiter deputatus; talis enim deputatio, quæ, ut dicemus, per impressionem characteris fit, est velut forma. Auctoritas diuina determinatis personis concessa, est efficiens. Dei veri cultus, est finis. Nomen sacerdotis non alienum à re ipsa est; ut enim auctor est Isidor. libr. 7. etym. cap. 12. & habetur can. Cleros. d. 21. Sacerdos, quasi sacra dans, seu sacrificans dictus est, nomine ab officio, & sine sumpto.

Dictus etiam est, Clericus, ut idem auctor dicit, à κληρῶ Græcè, quod Latine fors dicitur, & hoc propter duo.

Primò, quia Matthias, primus ab Apostolis sacerdos

creatus,

creatus, sorte electus est, vt habetur, Actor. i.

Secundò, quia in sortem Domini vocatus est.

Dicitur etiã Presbyter, id est, Senior; ob iudicij maturitatē, quæ ad id muneris necessaria est, & ob reuerentiam, quæ eis debetur; sacerdos enim Domini magno ab omnibus honore afficiendus est, sicut tempore nascentis Ecclesiæ habitus fuit. Sunt igitur nomina hæc, non naturæ, sed officij, & dignitatis.

In quibus differat Sacerdos Euangelicus ab alijs.

CAPVT II.

Sacerdotes habuit Dominus in omni statu, & tēpore, tam naturæ, quàm legis, & gratiæ: tamen sacerdotes gratiæ, siue Euāgelij, perfectiores multò alijs omnibus sunt; quorum perfectio ex his, in quibus ab illis differunt, manifestatur.

Differunt ergo primò, ex parte causæ efficientis. Sacerdotes enim in lege naturæ creabantur potestate humana; vt enim Respublica habebat potestatem creandi, hos Iudices, illos Duces, istos alterius muneris, sic etiam habuit potestatem sacerdotes creandi. Adueniente autem lege, Dominus abstulit hanc potestatem cuidam Populo, quem in suum peculiarem recepit, scilicet Iudæorum, cui ipsemet Deus sacerdotes instituit, præcipiens, vt inter duodecim tribus, ex vna sola, scilicet Leuitica, sacerdotes assumerentur. Sicque in hac tribu residebat ista potestas, quæ diuina erat. Hi sacerdotes adhuc non ex quauis familia huius tribus, sed tantum ex familia Aaron: ex reliquis vero familijs Leuiticis reliqui templi ministri assumebatur: filij autem sacerdotum eo ipso, quo filij sacerdotum erant, ius ad sacerdotium habebant; nō tamen vsum, nisi post consecrationem, quæ fiebat per olei asperisionem, non vnctionem; vnctio enim erat Summi sacerdotis. Potestas ergo, seu auctoritas creandi sacerdotes, fuit per modum generationis deriuata ab Aaron, quem creauit sacerdotem Moyses auctoritate diuina. At auctoritas creandi Euangelicos sacerdotes, diuina est, non vteunque, sed deriuata à Christo Domino in Apostolos; & per hos in Episcopos, qui non per generationem, sed per diuinam consecrationē, ex quauis familia Christiana, hominem possunt in sacerdotem eligere.

Differunt secundò, ex parte ipsi⁹ institutionis; non. n. in naturæ statu, aut legis p institutionē, sacerdos sanctificabatur, nec

nec recipiebat gratiam ex vi ipsius institutionis: at verò Euangelicus sacerdos, gratiam recipit per ipsam institutionem, quæ vnū est ex septem Sacramētis, gratiam ex opere operato conferentibus. Non solum autem gratiam recipit, sed signum quoddam spirituale, quo insignitur interius, character dictū, quod quidem est & signum, & potestas mirabilis, vt dicemus post, eoque caractere carebant illi sacerdotes.

Differunt tertio in potestate cōficiendi corpus, & sanguinē Christi; possunt enim Euangelici sacerdotes vinum in Christi sanguinem, panem in corpus cōuertere, quam potestatem nullus sacerdos aliū habuit; in quo vincit nostrum sacerdotium illud Aaronis, & Melchisedech supramodum.

Differunt quarto in sacrificio, quod offertur. Illi panem, & vinum, aut animalia Deo offerebant: at noster sacerdos Christum Dōminum, Dei filium, sub speciebus panis, & vini, æterno patri offert, quo nihil potest esse acceptius, nihil dignius. Quod sacrificium prophetauit Dauid Psal. 49. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabor? Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendit illi salutare Dei.

Differunt quinto in potestate mirabili absoluendi à peccatis. Nullus alius sacerdos ad hanc ascendit dignitatem, vt scilicet vnū veniale peccatū possit dimittere: immò Iudæi, hoc vt soli Deo cōueniens, Christo opponebant, quod peccata dimitteret, & vera dicebant; Christus enim homo erat, & Deus: quia Deus erat, peccata dimittebat; vnde ante eius aduentum, nulli est concessa tanta potestas, donec Deus homo fieret: ac per hoc natura humana ita sublimis remansit, vt potestatem acciperet, quam nullus ante sortitus erat; quod cognoscentes Sacerdotum principes, Iudæ penitenti, & peccatum confitenti non dimiserunt, sed dixerunt: Tu videris, quasi se potestate dimittendi peccata carere ostendentes.

Differunt etiam sexto ratione status, illi quippe coniugati erant, vxoresque ducebant etiam post sacerdotium; at Euangelicus sacerdos in statu continentia est, qui perfectior est, quàm coniugatorum status. Hoc autem non absque causa rationabilissima factum est.

Primò quidem, ad denotandam sacerdotij huius excellentiam: vt enim longè superat omnia officia, & munera ciuilia, ita debuit ad statum hominum perfectum reduci, qualis est continentium.

Secundo,

Secundò, ad exprimendam puritatem, & munditiam sacrificij in hoc Sacerdotio oblati: vt enim est Angelorum, ac Beatorum cibus, ita per manus puras, & angelicas tractari debuit.

Tertiò, ad ostensionem obseruantiaẽ erga hoc munus; debet enim totus homo vacare officio huic, nec alienis implicari negotijs, quia magna sunt, quæ tractat.

Quartò, ad similitudinem inducendam cum capite. Fuit enim primus Sacerdos Christus Dominus continens. Debuerunt ergo tali Sacerdotio fungentes ipsum imitari. Multæ etiam aliæ sunt causæ, quas libens prætermitto.

De gemina eius Sacerdotis potestate: & de duplici clauẽ.

CAPVT III.

DVplex in Sacerdote est potestas; & potestas ordinis, & potestas iurisdictionis.

Potestas ordinis est, potestas cõficiendi Christi corpus, & conferendi etiam Sacramenta.

Potestas verò iurisdictionis, est potestas excommunicandi, absoluedi ab excommunicatione, dispensandi, conferendi indulgentias, leges ecclesiasticas condendi, &c. Quæ quidem potestas respicit duplex Christi corpus. Est enim corpus Domini verum: est etiam mysticum, quod est fidelium congregatio. Prior potestas ordinatur ad verum Christi corpus: nam est transubstantiandi panem in Christi verum corpus: posterior potestas est, ad corpus mysticum, scilicet in ordinationẽ, regimen, & vtilitatem fidelium.

Est autem differentia inter vtramque potestatem. Ordinis enim potestas in omni est Sacerdote, nec ab eo auferri potest. Tamen iurisdictionis potestas, est tantum in primo Sacerdote, in alijs autem, prout a summo delegati.

Vnde fit, vt potestas iurisdictionis, sit duplex, & ordinaria, & delegata.

Ordinaria est in eo, cui ex suo officio incumbit: vt, excommunicatio est ordinaria Episcopi, indulgentia, & dispensatio Papæ.

Delegata est, cui non ex officio, sed ex commissione superioris competit; vt, si Pontifex concedat Episcopo potestatem dispensandi in voto, vel alia, quæ sunt illius propria. Plena

enim iurisdictionis potestas est summi Pontificis ordinaria: quamuis etiam Episcopis, Parochis, & alijs multis insit aliqua potestas ordinaria iurisdictionis; vt post dicemus. Simplex tamen Sacerdos ordinis potestatem habet ordinariā; iurisdictionis verò delegatā. Et hoc sequitur vnum, quòd cum, ad absoluendum à peccatis, sit opus aliqua iurisdictione, dici solet potestas absoluendi potestas iurisdictionis: sed reuera non est sola, sed potestas etiā ordinis; ad cuius exercitium est necessaria iurisdictionis aliqua, sicut ad calefaciendum, necessaria est approximatō ignis ad passum. Hæc autem potestas ordinis, est qualitas quædam impressa animæ, per quam homo potest conficere Christi corpus, & à peccatis absolvere, quæ dicitur character, qui impressus fuit in ipsa sacramentali Sacerdotis institutione. Quæ quidem potestas spiritalis dicitur, non solum quia in anima est spiritali, sed etiā quia ad finem spirituale, scilicet salutē animarum: atq; etiam quia efficit effectum spirituale, causando gratiam, per remissionē peccatorum. Ob idque, Evangelicum Sacerdotium spirituale dicitur simpliciter, quoad effectū, scilicet, & quoad finē. Antiquum verò solū erat quoad finē, quia ordinabatur in bonū spirituale; tamen illud non efficiebat sicut nostrū. Hæc est igitur duplex potestas Sacerdotalis. Nec putes, vt aliqui putant, has duas potestates esse duas clauas, quas Dominus Petro, & successoribus dedit: potestas enim conficiendi corpus Christi non dicitur clavis.

Sed vna clavis est illa potestatis absoluendi à peccatis, quæ dicitur clavis iurisdictionis, quia ad ipsius exercitium necessaria est iurisdictionis.

Altera clavis est potestas interrogandi, & examinandi ipsum de peccatis eius. Ita Magister 4. sent. dist. 13. Habet enim hanc potestatem Confessarius in poenitentem, sicut habet iudex in reum, ita vt possit obligare respondentem ad manifestandum. Talis dicitur clavis scientiæ. Possimus ergo has clauas potestati iudicis ciuilibus conferre: hic enim habet potestatem examinandi reum, & etiam ferendi sententiam: sic Sacerdos in confessione examinandi habet potestatem per clauem scientiæ: iudicandi verò per clauem iurisdictionis secundum potestatem absoluendi, quæ dicitur potestas ordinis, quia cum characterē datur; & potestas iurisdictionis, quia non exercetur sine iurisdictione.

Dicuntur autē clauas per metaphoram; vt enim aperitur per clauas ianua, vt possit domus ingressus patere, sic per has

potest-

potestates remouentur impedimenta, quæ homini prohibebant ingressum regni cælorum, scilicet peccata ipsa, quibus homo ligatus est.

Quid excommunicatio sit?

CAPVT V.

DE excommunicatione tractant Magister cum Theologis 4. sen. d. 22. & Canonistæ lib. 5. decretal. tit. de excom. *Est autem excommunicatio ecclesiastica censura, qua homo Christianus bonis fidelium communibus priuatur.* Tria sunt fidelium communia bona, quibus per Ecclesiæ potestatem Christianus priuari potest.

Primum est, ista exterior conuersatio, quæ in mutuo colloquio, & conuictu consistit.

Secundum est, sacramentorum participatio: omnes enim fideles cõmunem habent vsu & fructum sacramentorum.

Tertium est, orationes, & suffragia Ecclesiæ: nam Ecclesia pro omnibus fidelibus communes fundit preces, & sacrificia offert. Cum ergo fidelis aliquis inobediens est Ecclesiæ, in eius correctione, solet ipsa hanc pœnam infligere, puta eum ad tempus, donec corrigatur, aliquo horum, aut omnibus simul priuare bonis, ut sic confundatur, & respiciat. hac ratione 1. Cor. 5. Paulus tradidit fornicarium Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus fieret. Et talis pœna excommunicatio dicitur, quasi à cõmuni bono separatio. Et attende definitionis partes. Dicitur *censura* quasi pœna quædam, ad correctionem data; & est loco generis: nam *censura*, cõmunis est excommunicationi, suspensioni, & interdictioni, ut habetur c. quærenti. de verb. signif. Dicitur *ecclesiastica*, non. n. est potestatis secularis excommunicare: sed Ecclesiæ, aut cui Ecclesia cõmunicat, & cõmittit. Dicitur, *cõmunibus bonis*; non autem dictum est omnibus, quia non omnis excommunicatio prædictis illis omnibus priuat, ut inferius dicitur. Dixi autem, tria esse cõmunia bona, quibus priuari homo potest; sunt enim alia cõmunia bona fidelium, quibus per excommunicationem Christianus non priuatur, nempe interiori cõmunionem charitatis, & gratiæ, qua efficimur membrum viuum corporis Christi mystici, à qua solum peccatum mortale nos separat. c. qui natus, & seq. de pœn. dist. 2. Excommunicatio vero non priuat, sed supponit dictam communionem, ablatam propter peccatum, cuius ratione ipsa excommunicatio fertur, Glof. in c. quocumq; 24. q. 1. Abb. in Rubr. de sen. excom. nu. 4.

& in c. veritatis, num. 44. de dolo, & contum. Hinc est, quod excommunicatus, si peccatorum suorum pœnitentiam egerit, consequi possit gratiam Dei, & consequenter fructus bonorum operũ, qui iusti inter se participant, iuxta illud David: Particeps ego sum omnium timentium te. probabile est tunc non priuari. ita habet S. Thom. 4. d. 18. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2. Similiter excommunicatus non priuatur bonis particularibus, puta orationibus, quas persona particularis pro alijs fundit; possumus enim orare tanquam personæ particulares pro excommunicatis ad eorum conuersionem. Hostien. in sum. de sen. excom. §. nunquid, n. 17. Quin immò, si excommunicatus vere contritus, pro viribus absolutionem procurauerit, etiam si illam non obtinuerit, non solum his fruitur: sed etiam suffragijs communibus Ecclesiæ, quibus omnes fideles participes sumus, vti affirmant Turr. Crem. in cap. si quis Episcopus 11. q. 3. Ricar. in 4. sent. d. 18. Florent. 3. par. tit. 24. cap. 77. arg. tex. in c. dixi. & c. magna. iuncta Glos. de pœnit. dist. 1. vbi habetur, sufficere contritionem, quando deest tempus confitendi. Hinc sequitur, quod excommunicatio non est malum culpæ aliquod, sed solum pœna inflicta pro culpa: vnde maius malum est vnũ veniale peccatum, quàm ipsa excommunicatio, si sola per se consideretur, quamuis quoad effectus sit: maius malum, quia maioribus priuat bonis. Similiter quoad causam, quia maior excommunicatio non infligitur, nisi pro mortali peccato, c. nemo 11. q. 3.

De speciebus excommunicationis.

CAPVT V.

EXcommunicatio in duas diuiditur species, in maiorem, & minorem. Maior excommunicatio est, quæ illis tribus bonis in cap. præcedenti notatis priuat. Minor verò, quæ vno tantum, scilicet participatione sacramentorum: nemo enim potest susceptioni sacramentorum accedere, si sit excommunicatione minori ligatus. ita habetur, in cap. si celebrat. de cleric. excommunic. ministr. Vnde maior excommunicatio ita se habet ad minorem, quod eam includit, & adhuc pluribus priuat bonis, eaque de causa absolute dicitur excommunicatio, & solet verbo Græco exprimi, scilicet Anathema, vt notant Doct. 3. q. 4. can. Engeltrudam. Homo enim excommunicatione maiori irretitus, dicitur anathema, quasi seorsum positus, & se-

paratus

paratus à communionem fidelium. Aduerte autē, quòd licet anathema, quoad vinculum, non differat ab excommunicatione maiori, vt dicit Abb. in cap. cum ab Ecclesiarum, num. 5. de offic. ordin. tamen quoad solemnitatem, cuius forma habetur. ii. q. 3. cap. debent, maxime differt; & inferre tale anathema, Episcoporum tantum est, iuxta Gloff. communiter receptam, in cap. cum ab Ecclesiarum, de offic. ordin. & ibi Abb. nu. 5. Vltius aduerte, anathema fulminari ad maiorem terrorem vulgariū, & difficilius conceditur absolutio; vt notat Abb. vbi supra, & in cap. cum in cunctis. §. inferiora, nu. 5. de elect.

Excommunicatio iterum est duplex, altera à iure, altera ab homine. A iure est, quæ per aliquem canonem, vel statutū, vel constitutionem fulminatur, qualis est contra percussores Clericorum, contra exhumantes cadauera, & alia multa, de quibus dicendum est postea. Ab homine vero est, quæ per aliquem iudicem fertur, & vtraque, tam à iure, quàm ab homine duplex est, aut ipso iure, seu factò, aut comminatoria. Illa dicitur ipso factò, seu iure, quæ statim cōtrauenientes ligant, absque vllius sententiæ expectatione. Illa verò comminatoria est, quæ non statim ligat, sed expectatur Iudicis sententia, per quam fulminanda est excommunicatio. Est autem regula habenda, ad dignoscendum, quando sit excommunicatio ipso iure, vel factò; quādo verò comminatoria. Si enim sit aliquod verbum denotans excommunicationem ipsam non expectare actum Iudicis, tunc est ipso iure: vt quando est per verbum præteriti, Sit excommunicatus, habeatur pro excommunicato: vel dicitur ipso iure, ipso factò, lata sententia, & similia. Quando verò non est, sed dicitur: Sub pœna excommunicationis, vel, excommunicetur, vel aliquod verbum futuri, tunc est comminatoria. ita habet Gloff. cap. si quis ex clericis, de vita, & honestate. Cleric. Abb. in cap. in quibusdam, nu. 6. de pœnit. late Tiraqu. in l. si vnquam, §. reuertatur, cap. de reuocat. don. Et tunc, licet contraueniens peccet mortaliter, non tamen statim est excommunicatus; sed venit excommunicandus per Iudicem: si verò esset ipso iure, absque vllò alio, statim esset excommunicatione ligatus. cap. pastoralis, in fin. de appell. Fely. in cap. Rodolphus, nu. 38. de rescrip.

Inter excommunicationem autem ab homine, & eam, quæ est à iure, multiplex est differentia.

Prima est, Iuris excommunicatio semper est generalis;

A 5 non

non enim ponitur contra determinatam personam, sed determinate contra facientes, vel non facientes hoc, vel illud. c. vt animarum, §. statuto. de const. lib. 6. Glos. in c. Romana. verbo futuris, de sen. excom. eod. lib. At, quæ est ab homine, aliquando est generalis, aliquando particularis contra determinatam personam. d. c. Romana, §. sed nec in specie, & ibi Glos. de sen. excom. c. à nobis i. eod. tit.

Secunda est, Posita ab homine cessat, cessante vita Iudicis, vel quando ab officio remouetur, in hunc sensum, quod iam de nouo contrauenientes non ligat, quamuis, qui iam ligati erant, non ob id desinunt esse excommunicati. Abb. in d. c. à nobis circ. fin. & ibi Fely. nu. 8. de sen. excom. At verò excommunicatio iuris, durat etiã mortuo conditore, dum ius ipsum durat. Ista differentia est Panorm. cap. nobis, i. nu. 12. de sen. excom. communiter recepti.

Tertia differentia est, Ab excommunicatione posita à iure & nemini reseruata, potest ordinarius absoluere: à posita verò ab homine, non sic, vt habetur c. pastoralis, §. præterea de offi. iudi. ordi. de qua re dicemus inferius.

Quarta est, si feratur à canone, vel statuto, pro futuris culpis, ligantur contra facientes intra territorium legislatoris: quamuis tempore legislatae, seu delicti non essent subditi, respectu originis, vel domicilij. Glos. in c. à nobis. i. verbo non nisi, vbi Abb. nu. 6. & Fely. nu. 1. id affirmant. At sententia hominis comprehendit illos tantum, qui tempore sententiæ, sub Iudicis eam pronunciantis iurisdictione continebantur, & illi subditi erant. & ratio est, quia sententia sumit vires incontinenti, in eum, contra quem fertur. Lex autem, cum semper loquatur, obligat etiam eos, qui futuris temporibus futuri sunt subditi. Abb. vbi supra, nu. 6. & 7. post Inn. in fin. Silu. ver. excom. 2. nu. 10. in fin.

Quinta est, Inducta per statutum Archiepiscopi Metropolitanani, ligat, non tantum subditos proprios ipsius Archiepiscopi, ratione diœcesis, quam habet distinctam à suis suffraganeis, sed & eos, qui suffraganeis subditi sunt, & singulos totius Prouinciæ. Excommunicatio verò lata per sententiam Metropolitanani, tantum afficit eos, qui sunt diœcesis ipsius Metropolitanani, & non suffraganeorum, Glos. in c. Romana, §. porro. verbo sententiæ, de sent. excom. lib. 6. Doct. in d. c. à nobis, nu. 1. quod tamen limitat Henri. Boic. in d. c. à nobis, nu. 6. respectu statuti editi in concilio prouinciali; alias si fieret statutum

tutum in synodo, non ligaret, nisi subditos suæ diocesis. Obseruandum est autem, quando à Iudice fulminatur excommunicatio simpliciter, & non restricta ad minorem, intelligenda est de maiori: vt habetur cap. penul. de sent. excomm. & ea dem est ratio de excommunicatione à iure, quoniam maior est simpliciter, & absolute excommunicatio: minor verò secundum quid. Verba autem absolute prolata sumuntur in significatione sua simpliciter. l. non aliter. ff. de leg. 3.

De causa efficiente excommunicationis, seu de eo, qui potest excommunicare.

CAPVT VI.

Quatuor genera causarum reperiuntur in excommunicatione, nempe, efficiens, materialis, formalis, finalis, de quarum singulis agendum est, & primum de efficiente, nempe de eo, qui excommunicare potest, & duo statuenda sunt, prius est remouere eos, qui non possunt; posterius est explicare eos, qui possunt excommunicare. Quantum ad prius, foemina non potest excommunicare, vt habetur cap. dilecta, de maiori, & obediens. posset tamen ex commissione Papæ, vt notant Panorm. cap. decernimus, de iudi. & Antoni. 3. par. tit. 25. cap. 75. Rursus laicus non potest excommunicare, nisi ex commissione Papæ, vt habetur can. bene quidem, d. 96. adiuncta Glof. Ab. in c. Ecclesiæ sanctæ Mariæ, num. 5. de constit. Addit autem Palu. 4. sen. d. 18. q. 2. art. 3. solum Papam posse dispensare cum utroque, tam laico, quam foemina: idem affirmant Abb. in cap. 2. nu. 5. de iudic. Armil. verbo excommunicatio. Voco laicum, qui nec primam tonsuram habet. Rursus, nec simplex sacerdos, aut clericus potest excommunicare; quia simplex sacerdos, vel clericus habet potestatem solam ordinis, non autem iurisdictionis, ad quam pertinet excommunicare, vt habet Glof. cap. transmissam, extra de elect. Rursus, nec simplex curatus potest excommunicare, vt habet Palu. 4. d. 18. qu. 2. ar. 1. ob eandem rationem, quia non habet talem iurisdictionem exterioriorem: eam tamen potest habere ex consuetudine præscripta, vt affirmant sum. confess. lib. 3. tit. 33. q. 50. circa fin. Abb. in cap. Sacerdos, num. 10. de offi. ordin. & latius in reper. c. si quis contra, nu. 51. de foro comp. & in hoc concordat quasi omnes doct. vt testatur Henric. Boic. in d. c. si sacerdos,

num. 48.

num. 48. vnde Card. Alex in c. nemo. ii. q. 1. & Boic. vbi supra, dicunt, quod sententiæ excommunicationum, quas sacerdotes proferunt alicubi diebus dominicis & festiuis, in vsurarios turbantes aratra, pro damnis, quorum ignorantur auctores, & cæteræ similes valent, si scientibus Episcopis, & non contradicentibus proferantur. Rursus, excommunicatus maiori excommunicatione, etiam si aliàs habeat iurisdictionem, non potest excommunicare: ita habetur. 24. q. 1. can. audiui mus; sed hoc Doct. communiter intelligunt de publicè excommunicato. ita habent Innoc. cap. si verò, de sent. excom. & Panorm. cap. ab excommunicato, num. 7. de rescrip. Fely. in cap. ad probandum, nu. 7. de re iudic. Henric. Boic. ibidem, nu. 4. ex cap. ad probandum, de sent. & re iudic. vbi habes sententiam ab excommunicato latam, nō valuisse; si tamen publicus fuit: quamuis non desint contrarium affirmantes. Eadem est ratio de suspenso, & interdicto, secundum Palu. 4. d. 18. q. 2. art. 3. Qui ergo excommunicat, esse debet persona Ecclesiastica, habens iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, & non impeditam: qui autem excommunicat, cum tamen non possit, peccat grauiter, quia vsurpat sibi iudicium, cum non habeat potestatem, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 60. ar. 6.

Ex his sequitur posterius, quod proposuimus, nempe posse excommunicare Papam, Concilium generale, Prouinciale, Abbates, Generales ordinum, Prouinciales, Guardianos, & denique habentes iurisdictionem Ecclesiasticam, in exteriori foro: tamen cum discrimine; Papa enim, & Concilia generalia possunt excommunicare, etiam excommunicatione ab homine per sententiam, & à iure condendi leges, & canones generales obligantes omnes Christianos: Concilia verò prouincialia, etiã per sententiã, sed non per leges, sed per statuta particularia: Reliqui inferiores per sententiam, & per ordinationes, etiam particulares, sicuti etiam iurdictio horum limitata est. Rursus, Papa, & Generale concilium nunquam suspenduntur, seu impediuntur: sed inferiores aliquando impediti sunt per censuras, & sic non possunt semper excommunicare. Rursus, Papa, & Concilium Generale possunt, in quacunque diœcesi existat, excommunicare: At Episcopus in aliena diœcesi existens, non potest, nec suos subditos excommunicare, quia ibi iurisdictionem exercere non valet, vt habetur Clem. vni. de for. compe. vbi etiam conceditur Episcopo, qui fuerit expulsus à sua, commorari in locis alterius diœcesis, vici-

niori.

nioribus propriae, in quibus tuto possit esse, & ibi, petita licentia proprii diocesis, iurisdictionem in suos exercere, & consequenter poterit excommunicare. Rursus potest Papa, & Concilium Generale, quoscumque, cuiuscumque diocesis excommunicare. Episcopus vero, & reliqui Praelati, non, nisi suos subditos, quamuis aliquando possint non subditos excommunicare, puta, quando ratione delicti commissi in eius territorio, vel ratione contractus ibidem initi, vel ratione rei ibi sitae ad eius iurisdictionem aliquo modo pertinent; tunc enim, prout ius exegerit, ratione praedictorum, poterit excommunicare, ut habetur cap. i. de priuileg. in 6. & licet hoc caput sit de priuilegiatis, eadem est ratio de non subditis, ut Doct. notant communiter, cum quibus consentit Ange. ver. excommunicatio. i. §. 9.

De causa materiali, seu de eo, qui potest excommunicari.

CAPVT VII.

Materialis verò causa excommunicationis duplex est, remota, & propinqua. Remota est subiectum ipsum, seu persona, quae excommunicatur. Propinqua est causa in ipso subiecto, propter quam excommunicatur. Remota ergo causa, scilicet, qui potest excommunicari, est homo determinatus, baptizatus, viuus, inferior, subditus. Dicitur primo, Homo, tam masculus, quam foemina; nec enim aues, locustae, aut reliqua animalia excommunicari possunt; ut enim haec non communicant nobiscum in bonis illis, de quibus supra dictum est, ita, nec excommunicari possunt, ut late per Io. de Ligna. in tracta. de censur. eccles. §. 9. in prin. Dicitur, determinatus, quia tota ciuitas, aut collegium simul excommunicari non potest per sententiam, nisi in particulari excommunicandi distinguantur, ita habetur cap. Romana. §. in vniuersitatem, de sen. excom. in 6. Sufficeret autem, si ratione criminis determinarentur, ut qui hoc, vel istud commiserunt, excommunicentur; tunc enim non est periculum, ne excommunicatio cadat super innocentes. Per ius autem potest vniuersalis excommunicatio ferri, sed tunc non ligat, nisi eos, qui postea ipsum ius transgrediuntur. Dicitur, baptizatus, quia, nec Turcae, nec in-

fideles

fideles alij excommunicari possunt, cum Ecclesie membra non sint; non enim excommunicatur, nisi qui prius communicabat; immo nec Cathecumenus, quia nondum pertinet ad iurisdictionem Ecclesie. Arg. c. veniens de presb. non baptizat. Dicitur inferior, quia nullus se ipsum potest excommunicare, quamuis condat vniuersalem ordinationem. Arg. l. qui iurisdictioni, ff. de iurisd. omn. iudi. vt si Episcopus excommunicet omnes ludentes, si ipse luserit, non incurrit. ita habet S. Thom. 4. dist. 18. q. 2. art. 2. Host. in summ. de sent. excomm. §. quis valeat, & ratio est, quia non habet in se iurisdictionem, nisi denunciauerit illam excommunicationem, vt latam à superiore; tunc enim, si contraueniret, contraheret, sed non à se, sed à superiore esset tunc excommunicatus. Similiter nullus potest superiorem excommunicare. Host. in summ. de excomm. §. quis valeat; vnde Papa à nullo excommunicari potest, quia non habet superiorem, vt habetur can. cuncta per mundum. q. 3. Dicitur subditus, id est eius subiectus iurisdictioni; nec enim illi possunt ab Ordinario ipso excommunicari, qui priuilegio Apostolico exempti sunt ab eius iurisdictione, cap. cum capella, & ibi Doct. de priuileg. & cap. porro, eodem tit. nisi in tribus casibus, cap. præcedenti notatis. Similiter nec alij non subditi, nisi in eisdem casibus. Dicitur viuus, quia mortuus propter nullum peccatum in vita commissum potest excommunicari, licet excommunicatio facta in vita duret post mortem, cap. à nobis. 2. de sent. excomm. Potest quidem excommunicatio à iure contracta in vita declarari post mortem, vt fit in defunctis hæreticis, vt habetur, cap. si quis, de hære. & Glos. in d. cap. à nobis. & Host. num. 12. Potest etiam ab excommunicatione contracta in vita absolui post mortem; tamen excommunicari post mortem non potest, secundum communem sententiam Theologorum, & Canonistarum. Quicquid dicant Glos. cap. si quis, de hære. & ibi Panorm. & Glos. cap. Iudæi, 2. de Iudæ. Hi igitur sunt, qui excommunicari possunt.

De materiali causa proxima excommunicationis.

CAPVT VIII.

CAusa materialis proxima est peccatum, non quodcūq; sed mortale; nemo enim contrahit excommunicationem, nisi interueniente mortali peccato; nec fulminari

excom-

excommunicatio debet propter aliquod peccatū, nisi sit mortale, id quod multis canonibus est statutum. II. q. 3. can. nemo. & canon. nullus cap. I. de iudi. cap. sacro. de sen. excom. in cuius rei explicationem, attende

Primò. Quando excommunicatio ab homine fulminatur propter aliquod peccatum præteritum, debet esse mortale; propter veniale enim non debet fulminari, ut in prædictis canonibus constat.

Secundò non sufficit peccatum præteritum ad contrahendam excommunicationem, nisi adsit contumacia, nepe quando admonitus, ut à peccato desistat, id renuit facere: unde, si homo paratus est corrigi, propter quodcumq; enorme peccatum præteritum excommunicari non debet, idq; can. nemo. allegato probatur. & tradit Pan. cap. reprehensibilis, num. 3. de appellat. cum communi sententia. Dixi, non debet; nam aliquando possit saltem a Papa aliquis excommunicari, propter aliquod peccatum commissum, in pœnam etiam citra contumaciam, sicut suspendi potest, non est omnino ita certū sicut certum est, iuxta canones id fieri non debere.

Tertiò, quando fulminatur in futurum, quia vel præcipitur aliquid faciendum, vel prohibetur ne fiat, tunc, dummodo iustum sit, quod præcipitur, resque sit grauis, potest excommunicatio ferri in transgressores, quia qui non obedit, iam fit contumax, & inobediens, & mortaliter peccat, & ideo excommunicationem contrahit. Dixi, dum sit res grauis, non enim fulminari debet excommunicatio propter res paruas, & leues.

Aduertendum tamen est, aliquando ferri excommunicationem iusta de causa in communi, quæ in particulari non esset iusta, nec ligaret: tamen, considerata causa in communi, obligat etiam in particulari; ut, si excommunicentur, qui vinearū fructus surripiunt, vel, qui surripuerunt, nisi restituant, iusta causa est in communi, quia mortale est furtum notabilis quantitatis: quòd si vnus paruum quantitatem surripuerit, & quæ per se nõ efficeret mortale, tamen ligatur censura, quia consideratur ad excommunicationem solum, quòd multum rapiunt, vel rapuerunt: & talis excommunicatio obligat singulos ad mortale. ita habet Sotus. 4. sent. d. 22. quæst. 1. art. 2.

Quartò, excommunicationes à iure, quæ communiter sunt in futurum latae, similiter, quæ sunt ab homine, quibus

aliquid

aliquid iustum præcipitur faciendum, aut aliquid malum prohibetur fieri, contrahuntur à transgressoribus propter contumaciam, & transgressionem, quæ est mortale peccatum, non autem quando esset veniale, aut nullum esset peccatum: vnde, quando certum est, non interuenisse mortale peccatum, certum etiam est, non esse eo casu contractam talem excommunicationem, vt rectè adnotat Palud. 4. sentent. d. 18. quæst. 1. art. 2.

Quintò, ex præcedente doctrina sequitur, cum fertur excommunicatio in eum, qui aliquid alteri clam surripuit, nisi illud restituat, tamen qui surripuit, iustè abstulit ab altero, quia nimirum ei nolebat soluere debitum, nec alia via erat recuperandi, non ligari tali excommunicatione, etiamsi non reddat, vt notat Couar. alios citans vari. resolu. lib. 1. cap. 2. nu. 15. quia non tenetur in eo casu reddere, nec est vlla contumacia, nec peccauit auferendo. Idem dicit Siluest. in summ. verb. furtum, num. 19. Similiter cum fertur excommunicatio in debitorem, nisi soluat, & ipse non potest, non ligatur; debet tamen soluere, vt potest, saltem in parte, etsi non cum primum potest, alias ligatur. Similiter, quando fertur excommunicatio in non reuelantes aliquid occultum; qui verò sciunt, iustam causam habent non reuelandi, tunc non ligantur. Iusta causa autem non reuelandi est, quando præcipitur reuelari aliquod peccatum, quod est occulte commissum, & iam est emendatum, aut si non est emendatum, probabiliter speratur emendatio, si correctio fraterna adhibeatur, tunc non est reuelanda ante correctionem, vt habet S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 3. Aut quando aliquis præcipitur testificari in iudicio id, quod non potest probare; secus tamen, si præciperetur denunciare aliquid ad correctionem delinquentis, præcedente iam fraterna correctione. Aut, quando præcipitur, vt occultæ scripturæ producantur, quæ cedunt in graue detrimentum iustitiæ producentis. Si verò non esset iusta causa non reuelandi, tunc ligaret excommunicatio. Abusum autem excommunicationum fulminatarum ad reuelationem pro perditis, aut abstractis rebus reformauit Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. ferri enim debet ab Episcopo, & non aliter, quàm in subsidium aliorum iuris remediorum.

Sextò, ex eadem doctrina sequitur, excommunicationem, tam à iure, quam ab homine, non ligare ignorantes, quia vbi ignorantia est probabilis, non est contumacia, sine qua nemo

excom-

excommunicationem contrahit. At quia hæc res difficilis est, & in controuersia multiplici posita, declaranda est. Aduert^r igitur, duplicem esse ignorantiam, nempe facti, & iuris. Ignorantia facti est, quando aliquis nescit factum ipsum, quod sub excommunicatione prohibetur, aut precipitur. Iuris verò est, quando nescit ius, aut sententiam, quibus excommunicatio fulminatur: verbi gratia, percussit quidam clericum, ignorans esse clericum, est ignorantia facti: quidam alius percussit clericum, sciens esse clericum, sed ignorans excommunicationem latam cōtra clericj percussores, est ignorantia iuris. Hoc idem accidit in excommunicatione ab homine; nomine enim iuris, etiam Iudicis sententia comprehenditur. Aduerte rursus hoc factum, quod sub excommunicatione prohibetur, aliquando esse ex se malum, & illicitum, etiam si tali censura non prohiberetur: vt, etiam si non prohiberetur sub excommunicatione percussio clericj, mala esset; vt pote contra Dei præceptum: similiter, quando prohibentur furtum, adulterium, & alia, quæ iure diuino sunt prohibita: aliquando verò, ex se non esse malum, nisi quia sub excommunicatione prohibetur, vt audire leges Monachis malum non est ex se, sed quia sub excommunicatione id est eis prohibitum. Sunt alia multa huius rei exempla.

Aduerte rursus, ignorantiam iuris, aliquam esse iuris communis, nempe quando ignoratur canon a Pontifice, vel Concilio Generali statutus; aliquam verò esse iuris particularis, quale est, quod Ordinarij in suis dioccesibus condunt, vel Iudices particulares edunt. Demum, tam vna, quàm altera ignorantia, aut est probabilis, quam alij inuincibilem appellant; quando nempe aliquis ignorat, aut quæ scire non tenetur, aut si tenetur, ea scire non potuit, nec per ipsum scire, quo minus sciret: aut est ignorantia crassa, supina, licet improbabilis, quando aliquis ignorat, quæ scire debuit, & potuit. His sic stabilitis, in primis dico, ignorantiam facti cuiuscumque, siue liciti, siue illiciti, quando probabilis est, excusare ab excommunicatione contrahenda; crassam verò secus. In hoc conueniunt Doctores, & constat ex capit. si vero, de senten. excomm. Vnde, qui probabiliter ignorabat, quendam esse Clericum, at percussit, non contraxit excommunicationem, licet peccauerit contra præceptum Decalogi: si verò ignorantia fuit crassa, peccauit, & est excommunicatus. Præterea, ignorantia iuris, siue communis, siue particularis crassa, & supina, non excu-

fat ab excommunicatione contrahenda, in quo etiam Doctores sunt concordēs. Rursus ignorantia iuris particularis probabilis, seu inuincibilis, excusat ab excommunicatione, quando factum erat aliās licitum, & hoc est sine contouersia: nam habetur cap. vt animarum, de constit. Item eadem ignorantia probabilis iuris particularis excusat ab excommunicatione, etiam si factum sit aliās illicitum. In hoc non omnes conueniunt; tamen id affirmant Anchar. eodem capit. vt animarum, num. 6: & Adria, quæstione 3. de clau excep. 3. estque magis ad mentem præallegati capit. quod generaliter procedit de ignorantia probabili iuris particularis, non distinguendo, an factum sit illicitum, vel aliās licitum. Postremo, ignorantia iuris, etiam communis, etiam quando factum aliās erat illicitum, excusat ab excommunicatione. In hoc maior est contouersia, præsertim, quando factum erat aliās illicitum: tamen tamquam probabilius id tenemus, quoad forum conscientie, cum Antoni. 3. parte, titulo vigesimo quinto, capitulo trigesimo tertio, Ange. verbo excommunicatio, 7. casu vlt. Siluestro verbo ignorantia. §. 16. & Soto. 4. sen. d. 22. q. 1. ar. 2. cum alijs multis, ratioque id persuadet: nam non dicitur contumax contra canonem Ecclesie, qui probabiliter illum ignorat, etiam si faciat id, quod aliās erat prohibitum; qui enim probabiliter ignoraret canonem ferentem excommunicationem contra percussorem clerici, etiam si sciret malum esse percutere clericum, vt pote lege Dei prohibitum, peccaret quidem contra Deum, non tamen contra canonem Ecclesie, quem probabiliter ignoraret, nec esset contumax contra eam; idcirco nec contraheret excommunicationem latam ab Ecclesia, quæ non excommunicat, nisi suos contumaces, & inobedientes. Hæc de ignorantia.

Denique, pro complemento huius capit. duo sunt adnotanda.

Vnum est, quando excommunicatio, siue à iure, siue ab homine fertur contra aliquid facientes, non comprehendunt mandantes, consulentes, fauorem, vel auxilium præstantes, sed solos facientes, nisi tenore verborum id exprimat, aut alijs iuribus id habeatur declaratum. Vnde excommunicatio Clem. 1. de consang. & affi. lata contra contrahentes, non extenditur ad consulentes, aut mandantes, aut auxilium ferentes; nec lata Clem. 1. de sepult. contra sepelientes excommunicatum, comprehendit consulentes, aut iuuantes. Idem de alijs huiusmodi

ceusen-

cessendum est. Ista doctrina est communis, ut testatur Iul. Clar. prax. crim. q. 86. §. 2. & eam sequitur Caic. ver. excommunicatio. in prin. cum alijs multis: quãuis non desint, qui, quantum ad mandantes, aliter sentiant. Dictum autem est, nisi tenore verborum id sit expressum, quia sæpè excommunicatio fertur contra facientes, & mandantes, & consulentes, aut auxilium præstantes. Dixi, nisi alijs iuribus sit determinatum, aut interpretatum: nam excommunicatio lata contra percussores clericorum, alijs iuribus extenditur ad mandantes, & ratum habentes, quod etiam in alijs excommunicationibus fit, ut suis in locis ostendetur.

Alterum est, quando excommunicatio fertur contra aliquod facientes, mandantes, consiliũ, aut auxilium dantes, non contrahi ab ullo horum, nisi effectus sequatur: unde, qui mandat percutere clericum, qui consilium dat, & qui tenet percutere, nõ sunt excommunicati, nisi ipsa percussio fiat. ita dicit Glof. cap. in audientiam. §. iniuriarum, de sen. excomm. & Couar. in Rubri. de homi. 2. p. relect. nu. 5. dicit esse communem sententiam, quod intellige, nisi iuris, aut sententiæ dispositio æquè principaliter de illis procedat; unde, qui mandat occidere perper assassinum, statim est excommunicatus, etiamsi non sequatur effectus, cap. 2. de homi. in 6. quia principaliter ista actio prohibetur. Ob eandem causam Religiosi, qui concionantur animo retrahendi auditores à solutione decimarum, excommunicati sunt, quamuis non sequatur effectus. Clem. cupiens. de pœnis. §. 1.

De formali causa excommunicationis.

CAPVT IX.

Non sunt determinata verba, nec in iure, nec in sententia hominis, sub quibus excommunicatio ferenda sit: sed satis est verbum exprimens ipsam excommunicationem, ut sit anathema, Excommunicetur, a cõmunionem separetur, ut similia verba. Ut ait Host. in sum. de sen. excomm. §. qualiter. in prin. & hæc, aut comminatoria, aut latæ sententiæ excommunicationis expressiua sunt, ut diximus superius. Aliquæ tamen circumstantiæ, quæ ad formã quodammodo reduci possunt, obseruandæ sunt in excommunicatione ferenda; non quidã in ea, quæ est à iure, nec in ea, quæ est ab homine lata in

peccatum futurum, sed in ea tantum, quæ fertur in præteritum cum contumacia. Est igitur prima circumstantia obseruanda, vt præcedat trina admonitio, qua excommunicandus admoneatur prius ter, an velit parere. Sint autem admonitiones hæc cum competentibus interuallis. ita habetur. cap. constitutionem. de sen. excom. in 6. Qui verò aliter excommunicationis sententiam fert, per mensem interdicatur ab ingressu ecclesiæ, iuxta cap. sacro. de sen. excom. Sufficiet autem vna admonitio pro tribus, datis tribus interuallis, nisi facti necessitas aliter suaserit ista interualla moderanda, iuxta cap. constitutionem, præallegatū. Esset autem facti necessitas, vt Glof. eiusdem cap. notat, cum partes essent ad rixam, & ad arma paratæ, nec curarent admonitionem Episcopi, vel quid aliud simile. vbi eadem Glof. interualla singula, quando non est talis necessitas, dicit esse duorum dierum. Quando autem vna admonitio fit, debent dari sex dies, exprimendo, vt primi duo sint pro prima, secundi pro secunda, tertij pro tertia admonitione. Hinc sequitur, quando excommunicatio ita fertur in aliquem, vt omnes participantes cum ipso eandem contendant excommunicationem maiorem, debeant prius admoneri nominatim participantes; alias non valebit prædicta excommunicatio in ipsos. ita habetur cap. statuiimus, de sentent. excom. in 6. Aduerte autem, ipsam monitionem fieri posse etiam absque scriptura; vt notat Abb. in cap. sacro. num. 3. de sen. excom. Notandus tamen est quidam casus in quo licet excommunicare aliquem absque vlla admonitione præmissa, quem adnotat Abbas antiqu. cap. reprehensibilis, de appellat. vbi dicit, quando aliquis est excommunicatus propter aliquod delictum à iure, tunc posse sine admonitione, propter idem delictum excommunicari ab homine; refertque se excusasse quendam Abbatem, qui suum subditum excommunicauerat absque admonitione, quia sine licentia clauistro exierat: excusauit autem, quia repertum fuit statutum in monasterio, vt, qui sine licentia exiret, esset excommunicatus. Panorm. eod. c. num. 5. refert Abbatem in hac sententia, & probat affirmans, quando aliquis est excommunicatus à iure, posse à superiori pro eodem delicto iterum excommunicari, etiam delicto non iterato, & sine contumacia de nouo contracta, tuncq; non esse necessariam admonitionem. Quæ doctrina videtur esse eiusdem, capit. reprehensibilis. secundum intellectum legitimum.

Altera

Altera circumstantia est, vt excommunicatio feratur, non solo verbo Iudicis, sed in scriptis, in quibus etiam exprimat causa excommunicationis, & qui aliter excommunicat, vltra graue peccatum, contrahit suspensionem per mensem ab ingressu ecclesiae, & participatione diuinorum officiorum; ita vt exercens actum aliquem ordinis intra talem mensem, fiat irregularis à solo Papa dispensabilis. Hæc habentur cap. cum medicinalis, de sent. excom. in 6. Ista verò suspensionis pœna, sicut & præcedentis circumstantiæ, non ligat Episcopos, nec superiores prælatos, quia non fit expressa mentio eorum, vt fieri debet, ad contrahendam ab eis ipso facto iuris suspensionem, iuxta cap. quia periculosum, de sent. excom. in 6. ligat tamen Prælatos religiosorum, nisi quando vel esset periculum in mora, si in scriptis daretur, vel aliud statueretur in suis constitutionibus, seu statutis, ita habet Ange. excom. 2. §. 3. immo, quãdo esset periculum in mora, eadem ratio esset in alijs prælatis omnib⁹, vt habet Glof. c. cum medicinalis, de sent. excom. in 6. ver. temerarius. Lopus alleg. 73. num. 4. Fely. in cap. sacro. num. 4. de sent. excomm. Sed aduerte ad ea, quæ dixi de prælati regularibus, quod Lopus dicta alleg. 73. & Fely. in capit. sacro. num. 7. simpliciter tenent, non ligari pœnis in d. can. contentis: nam in istis prælatis non seruatur iuris ordo, sicut in sæcularibus; durum enim esset, vt ipsi dicunt, & incommodum prælato regulari, qui sæpe in die, modo pro ista re, modo pro illa habet increpare, monere, & præcipere suis subditis claustralibus, habere pennam, & folium, & ante scribere, quam sub pœna excommunicationis mandare.

Tertia circumstantia est, intentio excommunicantis; si enim proferatur excommunicatio exterius, tamen Iudex non intendit excommunicare, sed terrere tantum, non cōtrahitur à contraueniente. ita habet Panorm. cap. ex parte, nu. 6. de offic. ordina. immo est necessaria intentio partis, quando ad eius instantiam excommunicatio fertur; vt, si quis petit sententiam excommunicationis ferri in eos, qui sibi ablata non restituant, & tamen non intendit filios, si forte abstulerunt, excommunicari, quamuis excommunicatio generalis sit, non tamen ligantur, nisi iuxta partis intentionem. ita habetur Ange. excom. 3. §. 16. quia officium Iudicis requisitum non excedit intentionem requirentis. Hinc consequitur, quando excommunicatio fertur ad instantiam partis contra non sol-

uentem intra certum terminum, si pars velit illum non incurere excommunicationem, non incurri, etiamsi ille non soluat in præscripto termino; at postquam contracta est, non poterit pars tollere. An tamen possit pars prorogare terminum, nempe, ut, si lata sit excommunicatio, nisi intra mensem soluat, facere possit, ut ad duos menses prorogetur, post quos excommunicatio contrahatur, si non soluerit, controuersia est inter Doctores. Innocen. cap. præterea, 2. de appella. citat duas sententias, affirmatiuam, & negatiuam, & adhæret negatiuæ, nempe, ut nequeat pars id facere absque consensu Iudicis: Panorm. verò ibidem, num. 4. citans Innocentium, tenet constanter affirmatiuam, & ibidem Dec. & talis opinio probabilis est, & teneri potest. Hoc tamen in loco vnum adnotandum est, quod stylus curiæ habet circa pensiones, nempe excommunicationem contra pensionarium non soluentem pensionem statuto tempore, latam in fauorem eius, cui soluitur pensio tali tempore elapso, non censeri incurfam, nisi ille, cui debetur, declarat se velle illam esse incurfam: & si decedat ante declarationem, vel soluatur pensio, vel fiat concordia, seu pensionarius moriatur, non censetur incurfa. Ita habet Casiod. decis. 2. nu. 3. & 4. de locat. quia pœna sic videtur apposita, in gratiam eius, cui soluenda est pensio, ut, ipso tacente, non sit is, qui non soluit, excommunicatus, nec aliam pœnam incurrat.

Quarta circumstantia est expressio causæ rationabilis, & manifestæ: nec sufficit, quod sit nota ipsi soli excommunicati, cap. si tantum, & cap. placuit, 6. q. 2. Abb. in cap. sacro. nu. 4. & ibi Fely. num. 1. de sent. excomm. per illum tex. nam, ut dicit Glof. in d. cap. si tantum. ver. iubeatur. Prælatus ex causa sibi soli nota potest tantum monere criminofum: ut se abstinere a participatione sacramentorum, per cap. non prohibeat de consecrat. d. 2. non tamen potest excommunicare; si tamen fertur sententia absque causæ expressione, tenet, vti affirmat

Host. in cap. per tuas; num. 3. ver. quod si dicatur, de sent. excom. Hæ sunt circumstantiæ, quæ ad formam excommunicationis quodammodo pertinent.

De quibusdam qualitatibus excommunicationis, & de causa finali eiusdem.

CAPVT X.

EX his, quæ dicta sunt in cap. præcedenti, facile est, quosdam excommunicationis modos, seu qualitates cognoscere; est enim excommunicatio, iusta, iniusta, valida, nulla. Iusta est, quæ omnibus vestitur circumstantijs, & causis, quæ necessariae sunt, vt prædictum est. Iniusta fit ex defectu alicuius, quod si essentialiter est, facit, vt nulla sit excommunicatio, quæ quidem in foro tam poli, quam fori non est timenda, nec tenet, vt dicunt Host. in sum. de cleri. excom. ministr. ver. qualiter excusetur, & Glos. in cap. sententia, ii. qu. 3. & Henric. Boic. in cap. dilectis, nu. 13. de appell. facit tex. in §. cum ergo, ii. qu. 3. vbi iniqua sententia, nec apud Deum, nec apud Ecclesiam, quemquam grauat. Aduerte autem, excommunicatum nulliter, si ad probandum nullitatem admittitur, donec constet de ea, præter articulum nullitatis, nõ audiri in iudicio, cap. per tuas, §. nos igitur; iuncta Glos. ver. in alijs. de sent. excom. vbi habetur huiusmodi excommunicatum in alijs negotijs, vel factis iudicialibus non audiri tamquam actorem, licet extra iudiciũ non cuitetur. idem habet in cap. solet, circa fin. de sent. excom. lib. 6. Si verò defectus non sit essentialis, excommunicatio iniusta est, valida tamen. Vt autem hoc planum fiat, aduertendũ est, tripliciter excommunicationem posse dici iniustam. Vno modo ex parte ipsius excommunicationis.

Altero ex parte excommunicantis.

Tertiò ex parte ipsius excommunicati. & adhuc omnibus his modis dupliciter; aut ex defectu alicuius essentialiter requisiti, & tunc est nulla excommunicatio; aut alicuius requisiti, sed non essentialiter, & tunc est iniusta, sed valida. Ex parte ergo excommunicationis accidit primò, eum deficit trina monitio, si est ab homine, & tunc est iniusta, sed valida. ita habet Glos. cap. sacro. de sen. excom. ver. probari. Abbas ibi nu. q. & Fely. num. 2. Glos. in c. Romana. ver. iniustas. cod. tit. lib. 6. Si verò desit prorsus admonitio, ita vt nulla præcedat, est iniusta & nulla, excepto illo casu, quem præcedenti capite adnotauimus. ita habet Sotus. 4. d. 22. q. 1. ar. 2. conc. 4. licet Innoc. c. illud. de cleri. excom. ministr. videatur dicere validam esse, tamen ratio in cõtrarium est, quia excommunicatio nõ est pro

peccato præterito, nisi adsit contumacia: hæc autem non est, nisi admonitio præcedat, iuxta illud Matthei. Si te non audierit, sit tibi sicut Ethnicus. Hoc autem certum est inter omnes, quando excommunicatio fertur de participantibus, & non præcessit admonitio legitima facta participantibus, tunc iniustam esse, & nullam, per cap. statuimus. de sen. excomm. in 6. Attende tamen, nonnullos Doctores intelligere illud. c. statuimus. quando Iudex excommunicat participantes cum excommunicatis à se, & non ab alio, vel à iure: his enim casibus dicunt esse iniustam, & non nullam. sed hanc Doctorum sententiam censet dubiam Couar. in c. alma mater, prior. part. relect. §. 3. num. 5. Hæc autem admonitio regulariter debet esse personalis, nec sufficeret ad domum. Rota in antiquis decis. 338. Felyn. in c. sacro. num. 2. de sen. excomm. quod tamen limita.

Primò, si, qui admonendus est, dolo latiret, & subterfugiat, secundò, si legitime iam citatus semel ad causam personali citatione. tertio si citatio facta domi, peruenit ad notitiam illius. quartò, si fuerit male absolutus, & agatur de illo reducendo in pristinam excommunicationem, ut dicunt Fely. in d. c. sacro. & in. c. cum sit Romana. nu. 14. de app. & Rot. in nou. decis. 399.

Secundò dicitur nulla, si errorem cõtineat intolerabilem, iuxta cap. solet. & cap. venerabilibus. de sen. excom. in 6. §. penul. Tunc autem dicitur sententia errorem continere intolerabilem, quando aliquis excommunicatur, quia facit, quod in se bonum est, vel non facit, quod ex suo actu illicitum est; ita prædictum caput definit. Addit etiam Glos. cap. per tuas. de sen. excom. quando præcipitur aliquid impossibile. Addit etiã Glos. cap. sacro. eod. tit. quando est pro leui re; ut, quia Pardus currit. item, quando Prælatus interdicit subditis, ne exponant suis superioribus statum Ecclesiarum suarum. c. quia plerique de offic. ordin. libr. 6. His & alijs causis notatis per Abb. & alios Doct. in c. per tuas. de sen. excomm., lata excommunicatio dicitur errorem cõtineri intolerabilem, & iniusta, ac nulla est. Aduerte autem, errorem intolerabilem in duplici esse differentia; primus enim est iuris, secundus est facti. Error iuris intolerabilis tunc dicitur, quando in sententia reperitur expressus talis error, seu causa, propter quam excommunicatio dicitur continere errorem intolerabilem; ut dicunt Host. in c. per tuas. num. 3. de sen. excom. late Gabriel in tract.

commu.

com. opin. tit. de sent. conclus. 7. exempla sunt, quæ dixi. Facti autem error intolerabilis tunc dicitur, quando notorie constat de iniustitia excommunicationis, pura, quia puer adulterium fecit, quod improbabile est; vel superior, referendo se ad acta, aliquem excommunicat, quia furtum fecit: ex actis autem constat de falsitate causæ. Vide Host. in cap. per tuas. de sen. excom. latè Gabriel. vbi supra conclus. 10. Cæterum, si in sententia non exprimitur iuris error, & notorie non constat de falsitate facti, non dicitur continere errorem intolerabilem, sed est valida, licet iniqua. Host. vbi supra. S. Anto. in tract. de excom. c. 73. num. 9. & faciunt allegata per Gabriel. in citata conclus. 7.

Tertio, si excommunicatio non fertur in scriptis, & cum causæ expressione, iuxta cap. cum medicinalis de sent. excom. in 6. est quidem iniusta, sed valida, vt ibi Gloss. & Doctores, & ex ipso cap. probatur.

Ex parte autem excommunicantis iniustitia accidit.

Primò, si mala intentione, & odio excommunicet, tunc est iniusta, sed valida, iuxta Gloss. cap. sacro. de sent. excom. & habet omnes effectus iustæ excommunicationis, secundum Caiet. in opusc. q. 13. tom. 2. hoc enim peccatum potius est contra charitatem, quam contra iustitiam, & dicenda est talis excommunicatio, malè potius, quam iniuste facta.

Secundò, si erat publice suspensus, aut excommunicatus, iniusta est, & nulla. can. audiuimus. 24. q. 1. Host. in sum. de cler. excom. ministr. §. qualiter excusetur. Si verò non publicus, valida est per ea, quæ diximus cap. 13.

Tertio, si nullam habuit iurisdictionem, quia excommunicauit eos, qui ipsius iurisdictionis non sunt, vel aliquo priuilegio sunt exempti, iuxta cap. quanto. de priuileg. tunc iniusta est, & nulla. per. c. nullus. de paroch. vel si sit delegatus, & contra intentionem delegatis excommunicat, cap. fin. de præb.

Ex parte verò excommunicati. Primò, cum in tempore à iure requisito appellauit, & adhuc excommunicatio contra eum fertur, tunc est nulla, iuxta cap. ad præsentiam. de appell.

Secundò, cum vere non peccauit mortaliter, tamen conuincitur per testes contumaciæ, & peccati, tunc nulla est in foro interiori, tamen valida in exteriori, & obseruanda, donec veritas nota fiat, iuxta Gloss. cap. per tuas. de sent. excom. ver. intolerabilem. in fin. Alioquin ex iniusta, fieret ratione con-

tempus iusta, etiam quoad Deum, vt habet Gloss. prædicta. & tenet Abb. ibi. num. 4. Host. in sum. de sen. excom. §. quis sit effectus, col. 2. & ibi Apostil. in litera C. arg. text. in d. c. per tuas, & c. illud in fin. 24. q. 3. Quod tamen limita eo in casu, quando sic excommunicatus celebrat absque scandalo, præsertim in occulto, quia tunc in animæ iudicio non peccat, nec pœnas Canonicis afficitur, vt dicit Caiet. 22. q. 70. art. 4. Couuar. in c. alma mater. prior. part. relect. §. 7. num. 7.

Aduerte autem, sententiam excommunicationis iniustam nullam, nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam ligare, quamuis, de nullitate constet, in publico sit seruanda. Quæ vero iniusta est, sed valida, excepta ea, quæ iniusta est ex solo animo excommunicantis (hæc enim, vt dicimus, omnes effectus habet iustæ excommunicationis) apud Ecclesiam ligat, sed non apud Deum, quod est dicere non priuat communibus, & generalibus suffragijs Ecclesiæ, quibus priuat iusta, quoniam nõ censetur Ecclesia quemquam velle iniuste tantâ læsione afficere, cap. illud. u. q. 3. sed priuat communionem fidelium, participatione, & perceptione sacramentorum, ac diuinorum officiorum auditione, secundum Host. in sum. de sen. excom. §. quis sit effectus. Henric. Bqic. in c. dilectis, nu. 13. de app. D. Th. 4. d. 18. q. 2. in art. 1. ad 4. & sic intellige illud Gregorij in c. 1. n. q. 3. vbi habetur sententiam, siue iustam, siue iniustam, esse timendam. Aduerte rursus, si huiusmodi iniuste excommunicatus ante obtentam absolutionem aliquid ex ijs, quæ excommunicatis prohibentur, fecerit, pœnis Canonicis afficitur, etiam in foro animæ. secundum communem sententiam, teste Couuar. in c. alma mater. prior. par. relect. §. 7. ver. quarta, & ver. his equidem. quia apud Ecclesiam censetur excommunicatus, quod intellige, etiam si occultè faciat; illo excepto, de quo paulo superius dixi, qui falsis testibus conuictus est de mortali, quod verè non commisit: hic enim quo ad Ecclesiam non ligatur, sed in occulto; in publico tamen, quia censetur iuste excommunicatus, debet se abstinere, & grauius delinquit, si aliter faciat, donec de veritate constet. Modos autem iniustæ excommunicationis latè ponit Palu. 4. d. 18. q. 1. art. 4.

De causa finali excommunicationis nulla est controuersia: cum enim excommunicatio, iuxta cap. medicinalis, de sent. excom. in 6. medicinalis sit, non mortalis, disciplinans, non eradicans, finis ipsius est bonum, & utilitas hominis, vt resipiscat, & ad bonum se conuertat, vel vt à malo perpetrando

retra-

retrahatur: hinc est, quoe citatio non fit, vt in alijs sententijs, ad audiendam sententiam, sed vt se corrigat. Abbas in c. sacro. num. 2. de sen. excom.

De quibusdam communiter vocatis effectibus maioris excommunicationis.

CAPVT XI.

Post causas excommunicationi, propositas, consequenter de ipsius effectibus tractandum est: horum primus est priuare communibus suffragijs Ecclesiæ, ita vt nec missas, nec publicas orationes Ecclesiæ pro eo fundere, aut celebrare liceat ita communiter Doctores dicunt. Ad hoc, nō tam effectus, quam natura, & substantia ipsius excommunicationis est; vt enim non dicimus priuare visu esse effectum cæcitatís, sed naturam ipsius, sic natura excommunicationis est, his suffragijs cōmunibus priuare. Quod quidem sic est intelligendū, vt non liceat orationes, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, pro ipsis applicare; tamen, quando quis orat, vt persona particularis, potest orare pro excōmunicato, & orationes quascunq; fundere, vt habet S. Tho. 4. d. 18. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. immo in memento Missæ, potest quis, vt persona particularis, orare pro excōmunicato, nō tamen ipsum sacrificium pro ipso applicando. ita habet Siluest. excom. 1. §. 2. Omnibus ergo suffragijs, quæ nomine Ecclesiæ funduntur, quatenus nomine Ecclesiæ funduntur, priuatus est. Quando autē persona particularis orat, non debet orare pro eo, tanquam pro membro Ecclesiæ, cum non sit.

Alter communiter vocatus effectus, est priuare susceptione sacramentorū, tam actiua, quam passiuā, ita vt, nec sacramenta ministrare, nec ea suscipere absq; peccato mortali possit. ita Doct. colligunt ex can. Engeltrudam. 3. q. 4. vbi excommunicatus dicitur esse rescissus a corpore Ecclesiæ. Hic etiam non effectus, sed ipsa natura excommunicationis mihi videtur, sicut & præcedens; non enim intelligi potest, quæ alia sit natura excommunicationis, quàm horum priuatio bonorū communium.

Tertius effectus est, priuare externis quibusdam bonis communibus, quæ hoc versiculo vulgari exprimi solet. *Os, orare, vale, communicio, mensa negatur.* Per, *os*, intelliguntur colloquutiones, siue per verba, siue per signa, siue per literas. Per,

orare,

orare, intelliguntur conuentus in sacro audiendo, orando, recitando horas, cantando in choro, diuinis officijs adesse; non enim licet cum excommunicato conuenire in talibus; similiter, nec eis conferre sacramenta, nec ab ipsis recipere. Per, vale salutationes, donaria, honoris exhibitiones, aperiendo caput, & similia. Per communionem, significantur humani, & ciuiles contractus. Hoc autem est intelligendum, quantum ad peccatum; excommunicatus enim cum alijs contrahendo peccat. cap. illud. §. illud. vbi Gloss. & Doct. de cler. excom. ministr. Abb. in cap. si vere. num. 37. de sen. excom. Carerum quoad illorum validitatem, si contrahit tanquam priuata persona, quamuis secundum Host. in d. c. si vere. & in cap. veritatis de dol. & contum. quem multi sequuntur, contractus in eius fauorem non valeant, sed in fauorem tantum cum illo contrahentium: tamen etiam in ipsius excommunicati fauorem, contractus esse validos, nulla etiam habita distinctione publicæ, vel occultæ excommunicationis, tenet Inn. in c. veritatis, num. 1. de dol. & contum. & ibi Abb. num. 35. qui respondet ad rationes Host. & Gem. in c. decernimus. in fin. de sen. excom. lib. 6. Idem tenet Sum. Confess. lib. 3. tit. 33. q. 133. cir. fin. Siluest. de excom. 3. in fin. & hanc sententiam consuetudo amplectitur, teste Henric. Boic. in d. c. veritatis, num. 18. Aduerte rursus, quod licet contractus etiam in fauorem excommunicati sint validi, ipse tamen agere in iudicio non poterit, excommunicatione durante. ita tradunt Inn. Abb. & Henric. Boic. vbi supra. Ancar. in c. pia. §. si quis, num. 2. ver. aut facit de except. l. 6. & probatur ex cap. intelleximus. de iudi. vbi habetur, excommunicatum per alium conueniri posse; at non conuenire alium. Aduerte vltcrius, quod licet contractus celebrati per excommunicatum nomine proprio, vt dixi, sint validi, secus tamen est, si excommunicatus esset beneficiatus, & contraheret super bonis Ecclesiæ, quia tunc actus non valeret, cap. veritatis, in fin. de dol. & contum. ita habet Deci. qui alios citat in cap. pastoralis. §. verum, colum. 3. de appellat. expresse dicens, quod gesta per excommunicatum de bonis Ecclesiæ non valent, & hoc est verum, si sit publicus excommunicatus; sicut, si sit occultus; quia tunc valent secundum Abb. in d. cap. veritatis, num. 33. Silu. verb. excomm. 3. q. 15. num. 5. Per, Mensam, intelligitur, simul in vna mensa conuesci, in vno lecto dormire, quamquam, in eadem domo manere licere, vt dicit Innocent. cap. nuper. de sent. excom. & Anton. 3. part. tit. 24. cap. 2. eo ra-

men modo, quo solent multi in eadem domo habitare, non ut simul conuenientes, sed veluti si domus essent distinctæ: sicque secundum eundem Innocen. liceret eodem in cubiculo esse, & habitare. In his omnibus non licet communicare cum excommunicatis; ita ut, qui communicat cum eis in aliquo prædictorum, minorem contrahat excommunicationem, iuxta cap. nuper. de sent. excom. & peccet mortaliter quidem, si communicat in diuinis: immò, si clericus communicaret cum excommunicato à Papa in diuinis, sponte, & scienter Papalem contraheret excommunicationem, iuxta cap. significauit. de sent. excomm. In cæteris vero venialiter, nisi in contemptum Ecclesiæ id fiat. ita habet S. Thom. 4. sen. d. 18. ar. 4. quæstiunc. 3. & Inno. & Ioan. Andre. cap. sacris. de his, quæ vi. met. cau. si. quod caput de participatione in diuinis procedit. Ang. excomm. 8. §. 4. dicit, hoc intelligendum esse, nisi esset excommunicatio de participantibus; tunc enim participantes quocumque modo mortaliter peccarent, & excommunicationem maiorem contraherent. cap. nuper. & cap. si concubinæ, de sent. excom.

Non tamen ista communio est tam generaliter prohibita, quin sint casus, in quibus liceat modo aliquo communicare, qui versiculo vulgari continentur. *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse*, cuius versiculi meminit S. Thom. 4. d. 18. ar. 4. quæstiunc. 1. vbi hos casus declarat. Per, *utile*, intelliguntur, verba ad salutem spiritualem excommunicati pertinentia: licet enim hortari, ut sibi consulat. Per, *legem*, matrimonium significatur: nam licet vxori colloqui, conuesci, reddere debitum, &c. Per, *humile*, intellige officium seruorum familiarium, & filiorum, quod non denegandum est excommunicato. Similiter, *ignorantia*, qua ignoratur excommunicatio ab alijs, excusat eos à peccato in communionem: a quo quidem non excusaret, si a fide digno audirent, illum esse excommunicatum, ut dicit Maior. in 4. d. 18. q. 2. arg. cap. illud de cleric. excomm. ministr. & cap. inquisitioni, de sent. excom. Per, *necesse*, intellige, quando occurrit necessitas grauis, vel consilij, vel refugij, vel elemosynæ, vel petendo, vel dando. Extra hos casus non est cum excommunicato communicandum: atque hic est tertius effectus cõmuniter assignatus excõmunicatis; sed mihi eadem ratio videtur huius, & aliorum duorum; ut natura excõmunicationis cõsistat in hac priuatione, & non tam ad effectum, quam ad eius substantiam istæ tres priuationes pertineant.

Aduer-

Aduertendum tamen, casus hoc versiculo exceptos nō pertinere ad communicationē in diuinis; in his enim, nec vxori, nec seruis licet cōmunicare, nisi quando ignorantia esset: liceret tamen aliquo casu in diuinis cōmunicare, nempe, quando immineret mortis periculum non cōmunicāti cum exēōmunicato. ita limitat D. Nauar. c. 27. summ. nu. 36. & Sotus 4. dist. 22. quæstione 1. art. 4. vt, si excommunicatus, ne ab alijs agnosceretur, minaretur mortem sacerdoti, nisi coram eo celebraret, tunc liceret celebrare ei: nec obstat, c. sacris. de his, quæ vi. me. ca. quia procedit de metu leui. Est autē ista limitatio intelligenda, dum non incuteretur metus hic in contemptum fidei vel Ecclesiæ; tunc enim mors potius esset subeunda. Aduerte etiam, generaliter excommunicatum in vna Ecclesia, esse excommunicatum vbiq; locorum, c. iure. ii. quæst. 3. Abb. in cap. pastoralis, nu. 18. de appel. Aduerte rursus, excommunicationem statim suum sortiri effectum, quia non potest stare in pendentia: hinc est, quod excommunicatio lata in diem, vel sub conditione, non afficit illum, in quem fertur, donec dies, vel conditio eueniat: sed ab ea die, seu ab adueniente conditione eū afficit, secundum communem; vt testatur Couar. in c. alma mater. prior. part. relect. §. 10. nu. 6. Vnde, si quis appellaret à sententiā tali lata, etiam post diem ante conditionis euentum, sine scupulo posset communicare, etiā conditione illa impleta, Gloss. in c. præterea. 2. de app. & ibi Doct. con. Panorm. contrariū sentientem. Vterius aduerte, excommunicationem trahere secū executionem, & inhabilitat, quoad oēs eius partes, illum, qui in eam incidit absq; alia declaratoria. Fely. in c. Rodolphus, n. 38. de rescrip. per c. pastoralis. §. verum, de app. & propterea ab illa non appellatur ad effectum suspensiuum, c. 15. cui. de sent. excom. lib. 6. Et hoc est verum respectu sententiæ excommunicationis: secus, si sit declaratoria excommunicationis à iure illatæ, quoniam ab ista declaratione appellare licebit, iuxta Gloss. in c. cupientes. §. quod si. ver. priuatos, de elect. lib. 6. & Gigan. in tract. de pens. q. 78. in fin. Quod limita in eo casu, quando constat declaratum non incidisse in excommunicationem latam à iure, vel sit dubium, an inciderit: nam si constaret, declaratum incidisse in iuris excommunicationem, appellatio non admitteretur, quia à pœna legis, vel Canonis non appellatur, vt habet prædicta Gloss. reputata notabilis à Doct. & tenet Abb. in c. peruenit. i. nu. 6. de appel.

De intelligentia prædictorum iuxta extrauagantem Martini Quinti.

CAPVT XII.

DOctrina præcedentis capituli, quantum ad communicationem cum excommunicatis, quamuis secundum ius antiquum vniuersaliter procedat, tamen limitanda est post extrauagantem Martini V. quæ in fauorem fidelium facta est, ad euitanda multa pericula, quæ ex participatione cum excommunicatis contingebant; placuit enim Martino Pontifici, ne fideles multum detrimenti paterentur, eos non semper obligare, quoscumque excommunicatos vitare, quantum ad communicationem illo versiculo contentam. *Os orare, vale, communio, mensa negatur*: nisi duos tantum, nempe percussores Clericorum notorios, & nominatim excommunicatos, postquam denunciati, & declarati fuerint. Ceteros verò, siue à iure, siue ab homine, etiam nominatim excommunicatos, non tamen denunciatos, non teneri vitare, sed licere fidelibus in diuinis, & humanis cum ipsis communicare: quod quidem privilegium, non in fauorem cedit ipsorum excommunicatorum, quasi liceat ipsis excommunicatis, illis duobus exceptis, communicare, sicut licet non excommunicatis; hoc enim non ita est; ipsi enim excommunicati nullum ex hoc utilitatem reportant: sed semper tenentur abstinere à communione fidelium; vt bene adnotarunt Doctor. Nauar. de pœnit. d. 6. cap. 1. §. labore, & Couar. relect. cap. alma mater. p. priori. §. 2. numer. 11.

Hanc extrauagantem refert Antoni. 3. p. tit. 26. cap. 3. Ang. excom. 8. §. 3. & Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 4. cuius tenor est, qui sequitur: Ad euitandum scandala, & multa pericula, quæ conscientijs timoratis contingere possent, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius, Sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumq; diuinis, intus, & extra, prætextu cuiuscumque censuræ, aut sententiæ ecclesiasticæ, à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certam, à Iudice publicata, vel denunciata

specia-

specialiter, & expressè, constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Saluo, si quem pro sacrilega manus iniectione in Clericum, in sententiam latam à Canone, adeo notoriè confiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari: nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstinere, iuxta canonicas sanctiones. Hæc Martini extrauagans. Et quamuis Doctores quidam recentiores dicant, non sic legendam esse prædictam extrauagantem, sed aliter, & ex lectione sua colligant notorios excommunicatos, quamuis non sint percussores clericorum, nec denunciati, esse etiam vitandos, tamen quia non probant suam correctionem, visum est mihi stare prædictis Doctoribus grauissimis, & fide dignissimis, quibus adhæsit communis usus; fideles enim, tam Romæ quam alibi, non vitant conuersationem cum excommunicatis, etiam notorijs, nisi nominatim excommunicati, & denunciati sint, aut publice percussores Clericorum. Aduerte autem, posse aliquem nominatim esse excommunicatum, & non denunciatum: sicut enim Iudex præcipiat alicui, ut sub pena excommunicationis lata sententiæ compareat in iudicio, & hic contumax, nec comparet, excommunicatus statim est, & nominatim tamen non denunciatus. Denunciari autem dicitur, quando declaratur à Iudice, eum contraxisse excommunicationem talem. Ante denunciationem ergo, non tenemur eum vitare, nec est recipienda Gloss. in cap. à nobis i. ver. quisque de sent. excom. quæ excommunicatum nominatum illum esse affirmat, qui excommunicatur à Canone his verbis: Quisquis furtum commiserit, sit excommunicatus. Hoc rejiciendum est, ut falsum, & contra communem sententiam Doct. ut notat Couuar. in cap. alma mater. prior. part. relect. §. 2. num. 8. affirmans, illum esse nominatim excommunicatum, qui hoc notatur censura, expresso nomine proprio, aut aliquot appositis signis, quæ certe, & absque vilo dubio significant eum qui excommunicatur. per l. nominatim, ff. de cond. & de monstr.

Aduerte autem, denunciationem posse fieri per Ordinarium excommunicati, licet ipse non excommunicauerit. Abb. post Inno. in c. pastoralis. §. verum, in fin. de appell. arg. cap. i. de i. i. quæst. 3. & cap. 1. de treg. & pac. Quod tamen limitat Dec. in d. §. verum, col. 4. ver. extra Gloss. quando quis in excommu-

nicatio

nicationem incidisset ex dispositione iuris: sed ab homine excommunicatum dicit ipse non posse denunciari ab illo, qui non excommunicauit; quoniam causa per vnum incepta, per alium absq; causa non potest perfici. & ad c. i. de treg. & pac. responderi habere locum in eo, qui excommunicauit, vt verba expressa sonant. Aduerte vltius, si sententia excommunicationis lata ab homine sit nulla, fieri nō posse publicationem, seu denunciationem; si autem est valida, & ab illa, postquam contracta est, directe, vel indirecte non est appellatum, denunciatio fieri non potest. Si verò est appellatum, & sciat excommunicatus, se iam excommunicatum, per appellationem sequentem non impeditur denunciatio. Si autem est ignorans, appellatio interposita secundum Host. impedit denunciationem. ita Henric. Boic. in c. pastoralis, §. verum, num. 15. de app. appellatio enim post latam excommunicationem impedit denunciationem in ignorante; non autem in sciente se esse excommunicatum. Cæterum, si sententia excommunicationis lata est à iure, & est notorius excessus, absque citatione, & declaratione potest iudex denunciare excommunicatum: si verò excessus non est notorius, reo non vocato, & declarato, in canonem incidisse, denunciatio fieri non debet. Abb. in c. peruenit. i. num. 5. de appell.

De effectibus proprijs maioris excommunicationis.

CAPVT XIII.

EXcommunicationis effectus, qui magis propriè effectus vocari possunt, consideremus: hi autem multi sunt, quorum primus est; eos, qui cum excommunicato in eodem crimine, propter quod excommunicatus est, participant, ita affici, vt pariter sint excommunicati eadem excommunicatione. ita habetur c. nuper. de sent. excomm. vbi aduertendum est cum Panor. c. contingit. i. de sen. excomm. duò esse necessaria, vt participans cum excommunicato, eius excommunicationem contrahat; vnum, quod participet in eodem crimine, propter quod ille alter excommunicatus est, dando auxilium, consilium, fauorem. Alterum est, vt ista participatio sit, postquam iam commissum est crimen, & contracta est iam ab illo excommunicatio: vnde, qui excommunicato, postquam excommunicatus est, modo aliquo ex prædictis in crimine

C

illo,

illo, propter quod est excommunicatus, participat, afficitur eadem maiori excommunicatione. & hoc vocant Doctores, participare cum excommunicato in crimine criminoso. Adde tertium, non de quocunque excommunicato hoc procedere, sed de nominato, & rursus de eo, qui sciens excommunicatum ob tale crimē, sic participavit cum eo; de his enim canon ille expressè loquitur.

Alter effectus est, collatio beneficij facta excommunicato ipso iure est nulla. ita habetur cap. postulastis, de cler. excom. ministr. Et licet postea absoluat ab excommunicatione, indiget noua collatione, si, quando beneficij collatio facta fuerat excommunicatus, quia nulla fuit collatio prior. c. postulasti. & ibi Gloss. & Doct. de cler. non ordin. ministr. Immo etiam impetratio literarum à Papa, ad beneficiū obtinendum & quodcumque rescriptum ab ipso excommunicato impetratum, ipso iure est nullum, præterquam super articulo excommunicationis, vel appellationis, per c. de rescript. in 6. Modò verò, quoties à Papa literæ impetrantur ad beneficiū, solent similiter impetrari absolutio ab excommunicatione, ad effectum validitatis literarum, & sic cessat iste effectus in hoc. Fely. in c. ad Apostolicā. in prin. de except. quod intelligendum modò impetrans nō in surduerit per annū, vel non commiserit aliquid eorum, quæ in regulis cancellariæ excipiuntur, quibus illa absolutio non suffragatur, si post quatuor menses, ob aliquod illorum delictorum commissorum, excommunicationem sustinuerint: ante quatuor autem menses impletos, etiam istis suffragatur. Quamuis autem huiusmodi regulæ minuantur, aut augeantur, pro Pontificum beneplacito, tamen tenor regulæ, quæ in Xisti Quinti Pontificatu seruatur, hic est. Item, ne personis, pro quibus literæ suæ Sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem à censuris ecclesiasticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, & in literis Apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insurdescendi in illis, statuit, & ordinavit, huiusmodi absolutionem, & clausulam in literis, quas in futurum cum illa concedi contingeret, non suffragari non parentibus rei iudicatæ, Incendiarijs, Violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus literas, & supplicationes Apostolicas, & illis vrentibus, receptoribus, fauoribus eorum, ac res veritas ad infideles deferentibus, Violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti, aufer-

temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel executores Apostolicæ Sedis, & eius officialium eis commissa exequentes impediuntibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicari à iure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam huiusmodi sustinuerint, & generaliter quibuscumque alijs, qui censuris aliquibus, etiam alias, quam ut præfertur quomodolibet ligati in illis per annum continuum infurderint.

Tertius est, non potest excommunicatus eligi ad beneficium ecclesiasticum, per cap. constitutis. i. de appel. & ibi Gloss. & consequenter, nec postulari, nec præsentari ad beneficium patronatus, quia eadem est ratio electionis, postulationis, & præsentationis, iuxta Gloss. cap. quoniam. de elect. in 6. & ita tenet Couar. relect. cap. alma mater. prior. p. 5. 7. num. 1. & 2. & idem esse de pensionibus censuit Gigas tract. de pensio. q. 14. cui consentit Couar loco allegato.

Aduerte autem, quamuis electus ignoret, se esse excommunicatum, electionem tamen esse nullam; & idem de collatione, & alijs: excusabitur quidem à peccato, & pœna, quoad Deum, dum ignorat, si ignorantia probabilis est, tamen quoad actum, cum primum feiat, debet procedere, ac si nullus esset. ita habet Gloss. c. Apostolicæ, ut ignorantia, de Cleri. excom. ministr. & ibidem Panorm. & Henric. Boic. nu. 1. nam excommunicatio, quoad pœnas, ignorantem excusat; sed non quoad validitatem actus. Cassiad. decis. i. de præb. per cap. postulationis. de cleric. non ordin ministr. Quod dictum est de electione ad ecclesiasticum beneficium, dicitur etiam de electione ad dignitatem secularem, Regis, vel Imperatoris, vel Ducis; nulla enim electio est, si electus est excommunicatus. ita habetur c. venerabilem de electio. Aduerte tamen, quod, licet, excommunicato hæc conferri non possint, & collationes, si fiant, sint nullæ, potest tamen excommunicatus acceptare beneficium ante excommunicationem sibi collatum, & optare præbendam, si alias iure consuetudinis competeat sibi optio, Rot. in antiq. decis. 126. cui accidit communior sententia, teste Couarruias libro tertio vari. resolut. cap. 16. numer. quarto.

Quartus est, excommunicatus non potest exercere actum iurisdictionis, absque peccato, imò si publica est excommunicatio facta, & sententiæ nullæ sunt. c. ad probandum, de sen. & re iud.

Hinc est, eum, nec excommunicare, nec conferre beneficia, nec eligere, nec presentare, nec alia posse, quæ ad iurisdictionem pertinent; & si facit, actus est nullus. c. cum inter. in fin. de elect. & c. cum dilectus, de consuet. ita etiam dicunt Io. Andr. in cap. pia, colum. 5. in fin. de excep. lib. 6. & Abb. in c. ad probandum, nu. 20. de re iud. Hoc autem procedit, ut dixi, si sit publice excommunicatus, secundum Abb. in d. e. ad probandum. sed si sit occultus, actus in aliorum fauorem factus, ratione publici officij erit validus, Abb. vbi supra, nu. 15. & ibi Fely. nu. 3. cum opinione communi, per l. barbarius. ff. de offi. pref. Averte tamen in hoc, quod si ille, in cuius fauorem actus iurisdictionalis est gestus, adiuit scienter ipsum excommunicatum occultum, actus ille debet retractari in eius odium, secundum Cald. in c. ad probandum, de re iud. & Abb. in c. veritatis, nu. 43. de dol. & contum. alios etiam pro eadem sententia citat Fely. in d. e. ad probandum, nu. 8. per c. fin. de procur. quam post constit. Martini ipse Fely. credit huiusmodi dictum Cald. cessare, ea ratione, quia cessat odium culpæ committentis cum excommunicato occulto, subdens, quod licet in constitutio Martini non suffragetur excommunicatis, sedolum succurrat conscientijs timoratis, ut in ea dicitur, tamen dictum Cald. est fundatum in odium scientis, & non curantis excommunicatum, quod quidem odium est sublatum, & per consequens eius dictum non videtur habere locum. ita Fely. ibi & in c. Rodolphus, nu. 4. de rescript.

Quintus est, non potest exercere actum ordinis, ut celebrare, ordinare, nec confirmare, nec absolueret; denique nec exercere actum aliquem, cuiuscumque etiam minoris ordinis, & si exerceat, sit irregularis, per c. cum medicinalis. de sent. excom. in 6. & ibi Gloss. quo casu, licet ordinatus recipiat characterem, non tamen executionem recipit. c. 2. & ibi Gloss. & Doct. de ordin. ab Episcop. qui renunciau. Episcop. quod tamen est verum, si sit ordinans publicus excommunicatus: nam si occultus, non solum characterem, sed etiam executionem reciperet ordinatus ab excommunicato. Abb. in c. ad probandum, nu. 15. de re iud. Innoc. in c. 1. nu. 4. de Schismaticis. L. apus alle. 89. nu. 12. quamuis non desint contrarium affirmantes. Hæc intellige de iure communi: nam post extrauagantem Martini supra allegatam, solos excommunicatos nominatum post denunciationem, & publicos percussores Clericorum vitare debemus. Qui igitur ab his ordines suscipit, suspensus est: a cæteris vero,

non,

non, quamuis ipsi conferentes peccent, & sint irregulares. de hac tamen irregularitate, quæ etiam contrahitur, si excommunicatus recipiat ordines, dicemus inferius, quando de tali materia occurreret sermo.

Sextus est, qui tenebantur aliàs obnoxij vinculo fidelitatis, vel iuramenti alicui, liberantur a tali vinculo, si is inciderit in excommunicationem, ea durante: ita habetur can. nos sanctorum. & can. iuratos. 15. q. 6. Non tamen per hoc intelligendum est, absolui debitorem ab obligatione soluendi debitum creditori etiam excommunicato, vt bene notauit D. Medi. de restituti. q. 3. caus. 9. Canones enim illi procedunt de debitis, non re, sed verbis contractis, contra Glossam c. absolutos. de Hæreticis.

Septimus est, priuat actu iuridico accusandi, testificandi, patrocinandi, procurandi, cap. decernimus. de sen. excom. in 6. immò etiam reconueniendi. c. cum inter priorem. de excep. defensio tamen legitima ei non negatur, iuxta idem c. cum inter priorem.

Ostauus, si in excommunicatione à viuis decedat, priuatur ecclesiastica sepultura, & est exhumandus, si excommunicatus sepultus est, c. sacris. de sepult. hoc intellige post extrauagantem Martini, quando est nominatim excommunicatus, & denunciatus, vel notorius percussor Clerici; alios enim licet sepelire, sicut communicare cum eis viuis: nam cui communicamus viuo, communicamus etiam mortuo. 24. q. 2. can. sane. 1. & c. sacris. de sepult.

Nonus est, clericus perseuerans in excommunicatione vltra annum, poterit priuari beneficijs, quæ obtinet. Abb. & Dd. in c. cum bene. de ara. & qualir. qui in eodem textu fundantur, & Couar. in rep. c. alma mater. prior. part. relect. §. 7. nu. 10. ver. tertio si quis.

Decimus est, conuentus super crimine ciuilitè, vel criminaliter, & ob contumaciam excommunicatus, si in annum perseuerat, censetur conuictus de crimine, cuius fuit accusatus. Couar. qui alios citat vbi supra.

Vndecimus effectus est, qui per annum permanet in excommunicatione, efficitur suspectus de hæresi, vt habetur c. vlr. de pœnis; vbi, qui biennio in excommunicatione perdurauerat, suspectus dicitur hæreticæ prauitatis. Notat autem ibi Panor. & Doctores idem esse, si per annum in excommunicatione in surduerit, argum. can. rursus. & can. quicumque. 11. q. 3. suspicio

antem hæc inducit purgationem, vt ibi notat Panor. ex Innocent. & alijs Simancas autem in Catholicis institut. c. 7. tradit ex praxi inquisitorum, esse suspensionem leuem; quæ intelligitur quacunque de causa sit excommunicatus, etiam si non sit materia hæresis. Hæc doctrina confirmata est Concil. Trid. sess. 25. c. 3. vbi sic habetur: Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta, & communionem fidelium non recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexis in illis insurderit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit. Notant autem Felyn. & Ioan. de Anan. cap. postulasti. de homici. contumacem in excommunicatione, etiam ante annum, posse puniri pœna temporali.

Duodecimus effectus est, suspectus de hæresi, & ea de causa vocatus ab inquisitoribus, iudicium subterfugiens, & ob eam contumaciam excommunicatus, si ad annum in ea persistat, tanquam conuictus de hæresi est pronunciandus hæreticus, ita habetur c. cum contumacia. & ibi Gloss. de hære. in 6. & c. excom. §. qui autem. de hæreti. Nota ex Gloss. c. cum contumacia hoc habere locum, quando contumax suspectus de hæresi creatus fuerit expresse, vt ad iudiciū accedat super reb. fidei c. super crimine hæresis, cuius accusatur, aut suspectus est, responsurus. Notat autem Francus in eodem c. satis esse, si in genere crimen hæresis in edicto exponatur, nec requiritur in specie hæresim significari. notat etiam Gonzalvus à Villadiego tract. de hæreti. quæst. 12. præfatam decisionem habere locum, quando vere contumax est; si enim absens iustum habuit impedimentum, quo legitime impeditus non potuit eo tempore ad tale iudicium accedere, non est vt hæreticus condemnandus, poteritque ille iustas causas absentiaæ allegare, & probare.

Vltimus effectus est, excommunicatus non potest percipere fructus beneficiorum suorum, hæc est communis sententia, quam sequuntur Palu. 4. d. 18. q. 4. & Silu. Clericus. 4. q. 25. & Ioan. de Ligna in c. quia diuersitatem. de concess. præb. Dec. in c. pastoralis. §. verum. col. 3. de app. Sum. Confess. lib. 3. tit. 33. q. 81. ver. effectus. Armil. ver. excom. num. 9. qui limitant, hoc procedere, quando excommunicatus est in mora, id est per ipsum stat, quo minus absoluat. Panor. vero c. pastoralis. §. verum, nu. 21. de app. nullam ponit limitationem: sed dicit, excommunicatum ipso facto non posse percipere fructus beneficiorum

suorum

suorum, nec, post absolutionem, fructus temporis præcederis, in quo fuit excommunicatus, eidem reddi debent: sed ecclesiæ propriæ. & hanc sententiã tenuit ante ipsum Glo. in c. studeat. in fi. dist. 50. & Hostien. in sum. Rubr. de sent. excom. nu. 11. ver. item vt quamdiu & Inno. in d. c. pastoralis, nu. 4. & cum his est communis sententiã, teste Pute. decis. 280. lib. 1. Quod quidem adeo verum esse, affirmat communiter Doct. vt quamuis clericus excommunicatus sit egenus, & pauper, illi tamen nõ sit prouidendum de alimentis, nisi fame periret, Gloss. in d. §. verum. & ibi Abbas nu. 16. & Couar. variar. resolu. lib. 3. c. 13. nu. 8. ver. duodecimo: & ratio est, quia potest sibi ipsi prouidere petendo absolutionem, verba Hostie. sunt: Nihil de fructibus beneficiorum suorum percipiat. Abb. verba: Fructus debent conueniri in utilitatem ecclesiarum, & excommunicato non dantur. Pute. verò dicit: Excommunicatus non facit fructus suos. Aduerte verò, quòd si sint distributiones quotidianæ, nõ Ecclesiæ, sed alijs accrescunt. Gloss. in Clem. 2. ver. pars dimidia de ætat. & qualit. Dec. in c. pastoralis. §. verum. colum. 3. de appel. Aduerte rursus, si excommunicatio est iniusta, excommunicatus postea absolutus recuperat fructus medij temporis sibi subtractos, vt dicunt Hostien. Abb. Boic. & alij vbi supra per c. super causa 2. qu. 4. quod etiam respectu distributionum quotidianarum locum habet, quando ante excommunicationem iniustam erat solitus diuinis officijs adesse, & tẽpore excommunicationis præsens fuit in loco, vbi beneficium habebat, vt notat Couar. varia. resolu. lib. 3. c. 13. num. 8. ver. duodecimo. Hæc sententiã communis maximè nititur cap. pastoralis. de appellat. vbi dicitur: Meritò subtrahuntur prouentus ecclesiastici, cui Ecclesiæ communiõ denegatur. quibus verbis significat, sicut excommunicatio lata priuat statim communiõne Ecclesiæ excommunicatum, ita etiam statim consequenter priuat prouentibus, vnde merito Panor. ibi reprobat Glossam, dicentẽ, non priuare, nisi in ipsa sententiã exprimatür priuatio, quod verũ non est, cum sit cõsequens effectus ipsius excomunicationis. Titulum autem beneficii ante excommunicationem obtenti, excommunicatus nõ amittit, vt notat Panor. c. pastoralis. allegato. §. verum. nu. 18. nec amittit possessionem: immò spoliatus posset agere de spolio: vt notat Innocen. cap. veritatis, num. 3. de dolo. nec etiam absoluitur ab obligatione recitandi horas canonicas, vt dicit Couarru. alios citans cap. alma mater. prior. part. relect. §. 3.

num. 8. eas tamen recitare debet priuatim, & secreta, & si sit in facris, absque, Dominus vobiscum: sed loqu illius dicit, Domine exaudi orationem meam, vt notat Albert. de Ferrari. in repetit. c. 1. q. 12. de celebra. miss. & Armil. excom. nu. 9. Nec etiam liberatur ab onere soluendi pensionem, si iuste sit excommunicatus, licet fructus non percipiat, vt notat Gigan. tract. de pensio. q. 64.

De quibusdam adnotandis in absolutione ab excommunicatione.

CAPVT XIV.

Priusquam de eo, qui potest absoluere ab excommunicatione, in particulari tractemus, opus est, quedam in generali ad absolutionem pertinentia præmittere.

Primo, sicut vnus potest simul multis ligari excommunicationibus, varijs de causis contractis, vt habetur. 3. q. 4. can. Engelerudam, & Glof. ibi cum communi Doctorum sententia, in consequenter pluribus indiget absolutionibus, vel vna generali, si omnes sunt relaxandæ, vt habet Inno. c. cum pro causa. de sen. excom. potestque vna sine alia relaxari, secundum Palud. 4. d. 18. p. 3. art. 3.

Secundo, vt rectè adnotant Silu. absolutio. 1. §. 3. & Ange. absolutio. 1. §. 1. Absolutio dupliciter fieri potest; vno modo in foro exteriori; altero modo in foro cōscientiæ, quæ fit vna cū absolutione à peccatis. Illa prior potest à non sacerdote fieri, hæc posterior à solo sacerdote, non ratione ipsius excommunicationis: nam ab ea, quilibet habens iurisdictionem excommunicandi, potest absoluere, etiam si is, nec presbyter, nec diaconus, nec subdiaconus sit. Qui aut à non sacerdote absolutus, à sola excommunicatione est, manet quidem reconciliatus communioni hominum, & sacramentorum, in quantum priuatus erat per sententiam, vt Ioan. Andr. in c. a nobis 2. & ibi Henric. Boic. numer. 11. de sent. excomm. Sed ratione peccatorum, à quibus non sacerdos non potest absoluere, indiget absolutione sacerdotis, vt dicunt Henric. Boic, vbi supra, & latè Couar. in c. alma mater. prior. part. relect, §. 11. numer. 10. qui reprobant opinionem Hosti. distinguētis duplex vinculum in excommunicatione; a quorū vno potest absolui à non sacerdote; ab altero verò, à solo sacerdote, in foro pœnitentiæ.

quæ

quæ distinctio nullius est momenti: nam, vt dicit Io. Andr. & Henric. vbi supra, communiter Iudices delegati, & Ordinarii absoluunt perfectè, & ex integro, quos ligant, licet presbyteri non sint; nec curant subtilitatem Host. Nec est necessaria absolutio à sacerdote, nisi ratione peccatorum, qua non existente, etiam non sacerdos in vtroq; foro absoluit; quando verò coniuncta est cum absoluteione à peccatis, tunc à solo sacerdote fit: & hæc dicitur propriè absolutio in foro conscientie. Rursus, ad illam priorem non est necessaria voluntas excommunicari: nam etiam inuitus potest absolui, sicut potuit inuitus excommunicari. ita habet Palu. loco citato, & S. Thom. 4 d. 18. q. 2. ar. 5. quæstiuncula. 2. Non tamen debet id fieri, nisi ex causa rationabili, nimirum quando excommunicatio non prodest excommunicato, & nocet communitati, propter participationem, vt notat Panorm. cap. apostolica, de excep. Capel. Tolosan. q. 290. num. 3. Rursus, illa priori potest absolui ignarus, & inscius absoluteionis; non enim est necessaria admonitio, sicut ad excommunicationem. Aduerte tamen circa monitionem, quod, si excommunicatio sit facta ad alicuius instantiam, cuius intersit audiri, puta, quia potest prætereendere offensam manifestam, quo casu excommunicatus absque satisfactione non absoluitur, etiam cum cautione. c. experte. 1. de verbo. sign. tunc citatio eius, ad cuius instantiam est excommunicatus, requiritur, secundum Glos. in c. excommunicatos. 11. q. 3. & notat Abb. & testatur de communi, in c. qua fronte, nu. 6. de appella. vbi id tractant Ancar. num. 6. & Dec. col. 3. in fin. post specul. in tit. de contum. § fin. ver. sed pone excommunicatus. Quamuis autem hoc casu citatio requiratur, si tamen fieret absq; citatione, teneret absolutio, vt dicunt Abb. & Dec. in d. c. qua fronte Fely. in c. sacro de sen. excom. per illum tex. Potest etiã illa prior dari per literas, vt habet Ricar. 4. d. 18 ar. 10. q. 2. immo habetur can. quanto. 2. q. 5, vbi Glos. addit. quod etiam potuit per literas excommunicari. Potest etiam illa fieri per procuratorem, vt habent Archidia. cap. eos, qui de sent. excom. in 6. & Ioan. Andr. cap. qui ad agendum. de procura. in 6. Hæc tamen fieri non possunt in absoluteione posteriori ratione absoluteionis à peccatis, quæ non potest prædictis fieri circumstantijs.

Tertiò, absolutio ab excommunicatione debet fieri sine cõditione, vt adnotat Panorm. cap. de quibus. de baptis. Quod intelligendum est de conditione futuri, quæ actum suspendit,

donec conditio impleatur; tunc enim nulla est, vt notat Silu. absolutio. 3. §. 1. & probatur ex cap. actus. de reg. iur. in. 6. Vt, si quis dicat, absoluo te, si restitueris, vel hoc, aut aliud feceris: hoc casu nulla est absolutio; quando tamen conditio est, quæ actum non suspendit, quia, vel est de præterito, vel præfenti, tunc fieri potest, & valet, sicut dicitur in baptismo. Si non es baptizatus, ego te baptizo.

Quartò, absolutio quæ datur ad cautelam non conceditur iniuste excommunicato; sed illi tantum, qui dicit excommunicationem nullam, c. solet de sent. excomm. lib. 6. & in c. per tuas. extra eod. tit. Conceditur autem ad cautelam ex quadam iuris benignitate, & gratia; vt habetur in dictis constitutionibus, & in c. venerabilibus. §. sed si ex causa. de sent. excomm. lib. 6.

Quintò, petens absolutionem ab cautelam, nõ tenetur exprimere causam nullitatis. Oportet tamen eam in specie nominare, nempe quia lata est post appellationem, aut quia errorem continebat intolerabilem; aut quia defuit iurisdicção, aut alijs de causis nullitatis, in specie narratis. Couar. cap. alimater. prior. part. relect. §. 12. num. 7.

Sextò, relaxatio ab excommunicatione illico debet fieri, quando excommunicatus vult satisfacere, secundum Abb. in c. reprehensibilis, nu. 3. de appell. per cap. nemo 1. & cap. illud. tit. q. 3. quod limitandum est, quando tunc satisfacere non potest, & cautionem dat sufficientem de satisfaciendo, aliàs expectari debet satisfactionis complementum, maxime quando agitur de interesse partis.

Septimò, absolutio ab excommunicatione à iure, quando datur ab eo, cui de iure competit, valet, etiam si prius non fiat id, quod canon præcipit, puta satisfacere, aut hoc, vel illud implere. ita habet Innocen. in cap. cum ab Ecclesiarum, num. 6. de offi. ordin. Tamen non valet ea, quæ fit ab eo, cui de iure non competit, sed ex aliqua commissione, aut mandato; talis enim debet fieri iuxta formam mandati, vel commissionis, aliàs est nulla, vt notat D. Nauar. cap. 27. summa. num. 37. & Ang. excomm. 3. §. 2. etiam si sit articulus mortis, si potuit seruari forma mandati, vel canonis. Est & inter hos altera differentia; nam cui de iure competit, potest alteri delegare, vel demandare absolutionem, vt habet Glof. cap. eis quibus de offi. ordin. Ei autem de iure competit, cui ex officio alicuius ordinariæ potestatis competit, & Glof. exemplificat in legatis ex officio

legatio-

legationis, & his, quibus committitur ex priuilegio perpetuo, ratione dignitatis, & Episcopis in certis casibus, de quibus dicemus inferius, & Abbatibus. Si verò sit alicui commissum ex priuilegio speciali, quia habet nudum ministerium, non autem iurisdictionem, hic non potest alteri committere, vt habetur cap. quoniam, de offi. iudi. deleg. & ibi Glos.

Octauò, absolutio, obrenta in foro conscientie, etiam præmissa satisfactione, non prodest in foro exteriori, vt notat Couarr. in cap. alma mater. prior. part. relect. §. ii. num. 15. ver. 3. plurimum etenim, vt ipse dicit, detraheretur iurisdictioni Ecclesiasticæ, si à Confessario absolutus secretè, posset se ingerere diuinis.

Nonò, facultates, quæ per Romanum Pontificem dantur per Iubilæum, aut Bullas Confessarijs absoluendi à quibusuis censuris, non concernunt forum exterius; sed tantum ea, quæ ad pœnitentiæ forum, & conscientie purgationem spectant, vt notat Paris. conf. 67. num. 20. libro quarto, & Couar. vbi supra, ver. quinto, attestantes, hunc esse stylum Romanæ Curie, vt reuera est.

Decimò, non est certa forma absolutionis, sicut nec excommunicationis, est tamè necessarium aliquod verbum, quo exprimatur actus absolutionis, seu relaxationis à vinculo, Sunt autem seruanda quædam in absolutione solemnè, vt notant Doctores, & refert Ang. ver. absolutio. 3. §. 1.

Primò, vt absoluens faciat absoluendum iurare, eum pariturum mandatis Ecclesiæ, seu ipsius absoluentis, iuxta c. ex tenore, de sentent. excomm. quod limitat in horrendis criminibus, vt incendiarijs, falsarijs, & huiusmodi, non in leuioribus.

Secundò, antequam absoluator, satisfaciat sufficienter læsis pro facultate sua, iuxta cap. porro. & cap. parochianos, de sen. excom.

Tertiò, absoluator cum psalmo, & oratione dominica, verbis, & alijs consuetis, vt dicit Silu. absolutio. 3. nu. 4.

Quartò, iniungatur ei præceptum, ne vnquam faciat contra canonem illum, contra quem faciens incurrit excommunicationem.

Quintò, vtatur verbo absolutionis, vel relaxationis.

Dicat ergo primo, *Miserere.* & orationem dominicam. Rursus. *Saluum fac seruum tuum, &c. Domine exaudi orationem meam, Dominus vobiscum; Deus, cui proprium est misereri, &c.*

Deinde

Deinde dicat, *Absoluo te ab excommunicatione, quam incurristi propter hoc, vel illud, & restituo te sacramentis Ecclesie.* Ista forma nō est ita necessaria, v, si præmittatur, & solo verbo fiat, nō teneat; immō tenet, quia hæc non sunt de essentia, vt dicit Panorm. cap. fin. de rest. spolia, & Inno. c. cum dilect. de rescrip. cum communi Doctorum sententia.

Vndecimò, absolutio iniusta valet, vt habetur cap. venerabilibus. §. vbi de sen. excom. in 6. etiam, si sit ex parte causæ iniusta. Ideo Inno. in cap. cum ab Ecclesiarum, num. 6. de offic. ordin. dicit, quod, si Episcopus absoluat, non præmissa satisfactione, tenet absolutio; Episcopus tamen male facit, & debet corrigi, quia iurisdictionem non seruat subditis suis; & in hoc differt ab excommunicatione, quæ quando ex parte causæ iniusta est, non valet in foro conscientie, vt supra diximus, in c. 10. Non tamen valet absolutio, etiam si iusta sit causa, per vim, & metum extorta, cap. vni. de ijs, quæ vi. met. in 6. quod capitulum iuxta Glos. 2. ver. excommunicationis. habet locum, etiam si excommunicatio esset iniusta. Idem Gem. ibi. num. 3. valeret tamē excommunicatio tali medio extorta, si iusta esset causa, vt Glos. notat eod. cap. ver. vacuamus. quam Glos. dicit Abb. in c. albas, nu. 17. de his, quæ vi. met. esse mente tenendam. Nec etiam valet absolutio, quando causa expressa est falsa, vt habet Innocen. cap. ex parte. de offic. ordi. & ibi Glos. ver. redire. vt deducitur ex c. officij. & ibi Glos. de sent. excom. puta, si mentiat, qui absoluitur, dicens, se satisfecisse, & non satisfecit, ratio est, quia superior nō intendit absoluere, nisi ex causa expressa, vt notat Abb. in c. cum pro causa. in fin. de sent. excom. arg. tex. in d. c. officij. eod. tit. valeret tamen, licet iniusta sit absolutio, si iudex intenderet absoluere, etiam si falsa causa esset expressa, vt dicit Panorm. cap. ex parte, de offic. ord. num. 6, & quamuis dicat simili modo in eodem casu excommunicationem valere, & consentiat. Silu. absolutio. 1. §. 4. nu. 13. post Glos. in c. venerabilibus. §. vbi. ver. competit. de sent. excom. lib. 6. Quia par ius est ligandi, & soluendi. c. verbum, de poenitent. d. 1. Rot. decis. 399. in nou. tamen re vera non valet sententia excommunicationis lata ex falsa causa, quando in ea continetur notoria iniquitas facti, vel exprimitur iuris error, iuxta notata superius in cap. 10. quia tunc continere diceretur intolerabilem errorem, excederetque potestatem Iudicis; quæ quidem ratio intolerabilis erroris & excessus potestatis non militat in absoluteione concessa, ex falsa, vel nulla causa ex-

pressa,

pressa, si constat de intentione superioris absoluentis, quia nec ius humanum, nec diuinum irritat talem absolutionem. Aduertere tamen, in casibus, in quibus ita prohibet absolutionem absque causa, ut aliter facta non valeat, quantumcumque superior intenderet absoluere, talis absolutio non valet, argu. tex. c. venerabilibus, §. vbi. de sent. excomm. in 6. vbi Pontifex redit ratio, cur teneat absolutio iniusta, dicit, quoniam, etsi contra ius litigatoris, non tamen contra ius constitutionis absoluit.

De eo, qui potest absoluere ab excommunicatione in mortis articulo.

CAPVT XV.

IN primis statuendum illud est, in mortis articulo omnes sacerdotes posse absoluere quoslibet poenitentes à quibusuis peccatis, & censuris etiam reseruatis; in eo enim articulo nulla est reseruatio, ut habetur Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. & ante Concilium erat doctrina receptissima, & multis canonibus confirmata. Nec desunt, qui affirmant, eam facultatem cuiuslibet Sacerdoti, deficiente proprio, esse concessam iure diuino; inter quos sunt S. Thom. 4. sen. d. 20. q. 1. ar. 3. Dur. d. 19. q. 2. & Palude. d. 20. q. 1. art. 2. Communis tamen opinio Canonistarum est, iure Ecclesiastico concessam esse; praesumitur enim Papa in eo casu facultatem talem dare cuiuslibet sacerdoti, etiam simplici. Sunt tamen aliqua adnotanda.

Primo, secundum Innocen. & Panorm. cap. quod de his, de sent. excomm. mortis articulus non solum est, quando ex infirmitate, sed etiam quando ex alijs causis mortis periculum probabile imminet: utpote in mari, non quidem quando aliquis mare ingreditur, sed quando imminet naufragium, ut notat Glos. cap. pastoralis, de offic. iudi. ordi. ver. praeterquam in articulo mortis. Quod si talis esset nauigatio, in qua timeretur probabiliter periculum, nec copia tunc Confessarij futura, censeretur articulus necessitatis, etiam ante imminens naufragium. Idem dicendum est in obsidione, ut ibi etiam notat Glos. & in bello, & in praegnantibus, quando imminet partus, ut notat Ioann. Andr. cap. pastoralis, allegato.

Denique, quando non solum ex infirmitate, sed ex alijs

causis

causis periculū mortis probabiliter imminet, censetur articulus mortis, ad effectum vt possit absolui constitutus in tali articulo à quolibet sacerdote, etiam à reseruatis, vt notant allegati Doctores: vnde canones aliquando articulum, aliquando periculum mortis appellarunt.

Secundò, qui in tali mortis articulo absolutus est ab excommunicatione reseruata, si conualuerit, debet se presentare, cum primū commodè poterit corā superiore, cui erat reseruata; quod si non fecerit, reincidit in eandem, vt habetur cap. eos de sen. excom. vbi etiam definitur; quando aliquis à Papa, vel delegato absoluitur, iniuncto, vt se Ordinario presentet, si id non facit, cum primū commodè potest, re incidere etiam in excommunicationem eandem. Qui ergo in tali articulo absoluit, admonere debet de hoc pœnitentem. Notat autem Caietan. ver. excom. cap. 69. satis esse, si per se, aut per procuratorem se presentet: quod si non est censura, sed sola peccatorum reseruatio, non tenetur se presentare, vt notat Siluest. secundū communem opinionem, verb. confessor. num. 16.

Tertiò, quando in tali articulo simplex sacerdos absoluit ab excommunicatione maiori, caueat, ne absoluat, nisi satisfactione præmissa, si forsan ea fieri debet, iuxta Clement. 1. de Hæret. quod si commodè fieri non potest, absoluat cum cautione, secundum Glos. eiusdem Clement. §. verum. ver. & tunc, quæ cautio fiat, vel per fidei iussores, vel per iuramentum, vel modo, quo potuerit effici. Si verò articulus necessitatis urget, nihilq; horum fieri potest, absoluat, cum ad impossibile nemo teneatur.

Quartò, laicus in eo articulo non potest absolueri ab excommunicatione. ita habet Panorm. cap. à nobis. 2. de sen. excom. quicquid alij dicant. & ratio est efficax: nam non conceditur huiusmodi facultas absoluendi à censura, seu excommunicatione, nisi, vt pœnitens possit absolui à peccatis. Cum igitur laicus nequeat absoluere à peccatis, vt dicit Glos. communiter recepta capit. pastoralis, de offic. ordin. §. præterea, consequitur, vt nequeat absolueri ab excommunicatione.

Quintò, presente eo, cui casus, seu excommunicatio reseruata sunt, seu absente, ad eum tamen potest sine periculo fieri recursus, non debet absolueri pœnitentem sacerdos simplex, qui extra articulum mortis absolueri non poterat. ita habet

Innoc.

Innoc. cap. 1. & cap. nuper. de sent. excomm. & probari potest ex cap. eos, de senten. excomm. si enim tenetur pœnitens conualescens, cum primum poterit adire superiorem, aliàs incidit in excommunicationem, igitur multo magis tenebitur adire eum ante absolutionem, quando sine periculo id fieri poterit.

Sextò, non quilibet sacerdos potest in articulo mortis absolvere: nam præcisus, qualis est Hæreticus, aut Schismaticus, non potest. ita habet S. Thom. 3. par. quæst. 82. art. 7. ad 2. quamvis Glos. cap. non est. de sponsa. contrarium teneat; tamen Prepositi. ibi dicit, Glosam hanc communiter esse reprobam, & Panormit. ibidem, affirmat, veriorē esse alteram Glos. d. 32. can. præter. §. verum, quæ tenet oppositum. Ratio Panormit. & aliorum est, ne pœnitens in eo articulo decipiatur ab Hæretico, aut in desperationem inducatur. At, si casus accideret, quòd non esset periculum tale desperationis, aut seductionis, non est improbable, quod affirmant, præter Glos. allegatam, etiam Palud. 4. sentent. distinct. 25. quæstione 1. & Siluest. verb. confessor. 1. §. 16. posse nempe absolui ab Hæretico, aut Schismatico, quando scandalum nō esset. Communis tamen opinio est in contrarium.

Septimò, idem censent quidam de excommunicato maiori excommunicatione, quod de Hæretico, & Schismatico. ita habet Turrecrem. can. præter hoc. distinct. 32. tamen oppositum est verius; & quidem de excommunicatis quibuscumque, præter nominatim denunciatum, & publicum percussorem clerici, certum est, eos posse in articulo mortis absolvere, cum liceat cum illis communicare per extrauagantem Martini, ut supra diximus. Quod verò ad hos duos attinet, non est eadem ratio de eis, & Hæreticis, cum certum sit, nullum periculum subesse, si ab excommunicatis sacramenta suscipiantur; & si concessum est extra articulum mortis communicare cum excommunicatis alijs, multo magis concessum erit in mortis articulo communicare cum illis duobus. Quam opinionem ante nos amplexus est Melchi. can. relect. de pœni. p. 5.

Octauò, absolutus sacramentaliter in mortis articulo, à simplici etiam sacerdote, sepeliri debet in loco sacro, etiam si absolutus non sit ab eo, cui erat reseruata excommunicatio. ita habetur cap. Parochiano, de sepul. quod etiã intelligitur de

Hære-

Hæretico, quamvis propter instantem necessitatem non fuerit solemniter reconciliatus, ita habet Innoc. cap. à nobis. 2. de sentent. excom. & Host. lib. 3. summ. tit. de sepul. §. quibus interdicitur.

Nonò. qui non potuit in mortis articulo absolui ab excommunicatione, si perijt pœnitentiam, & signa contritionis ostendit, potest absolui post mortem, non quidem à peccatis, sed ab excommunicatione; non tamen à quolibet sacerdote, ut potuit ante mortem, sed ab eo, ad quem est referuata excommunicatione. ita habetur cap. à nobis. 2. de sentent. excomm. vbi Innocent. & Panormit. reddunt causam, cur non à quolibet post mortem absoluat, sicut ante mortem, nimirum, quia iam cessat periculum, quod prius erat in mora, ne discederet non absolutus à peccatis. Signa autem talia pœnitentiæ, quæ fuerunt ante mortem, probari possunt per vnum testem fide dignum, ut dicit Henric. Boic. eodem cap. à nobis, num. 6. & Astens. lib. 5. tit. 16. quid nulli sit præiudicium. Non tamen debet sepeliri huiusmodi, qui mortuus absoluitur, antequam absoluat ab excommunicatione, etiamsi cum signis contritionis mortuus fuerit, ut definitur eodem capit. à nobis, allegato. Etiam Hæreticum mortuum cum signis contritionis potest absolui post mortem, sicut & alios pœnitentes, affirmat Innocent. in eodem cap. & ratio eadem militat in omnibus.

De eo, qui potest absoluerè ab excommunicatione extra mortis articulum.

CAPVT XVI.

IN primis illa, quæ dicta sunt de eo, qui potest excommunicare, etiam dici debet de eo, qui potest absoluerè eisdem de causis. Nec enim fœmina, nec laicus, nec simplex sacerdos absoluerè possunt, cum absoluerè sit iurisdictionis ecclesiasticæ; quæ iurisdictione in illis non est, nisi ex priuilegio aliquo, ut illic diximus. Qui etiam iurisdictionem habent ex officio, tamen impeditam ob aliquam censuram, quia nimirum excommunicati, vel suspensi sunt, absoluerè non possunt, quando nominatim excommunicati, & denuntiati, aut publici clericorum percussores sunt, iuxta Bullam Martini. Supposita ergo iurisdictione, & remoto impedimento, & extra tempus necessitatis, modò quærimus, quis possit absoluerè a

maiori

maiori excommunicatione: pro cuius resolutione repetenda est diuisio illa excommunicationis à iure, & ab homine, & loquendum primo de ea, quæ est à iure; quæ quidem duplex est, & reseruata, & non reseruata. Reseruata est, quando conditor canonis absolutionem sibi, vel alteri reseruauit. Non reseruata est, quæ à conditore absolute fulminatur, non exprimendo, ad quem eius absolutio pertineat. Quando reseruata est, tunc ille solus potest absoluere, cui reseruatur: vnde, quando absolutiones in canonibus & iuribus Summo Pontifici reseruantur, Episcopi non possunt absoluere, nec alij inferiores, nisi ex commissione aliqua, vel concessione, vel priuilegio ab eodem summo Pontifice factis, & in hoc omnes Doctores conueniunt.

Quando autem non est reseruata, etiam si à Papa sit fulminata, potest tunc excommunicatus absolui ab Ordinario, vel à proprio sacerdote; vt habetur in cap. nuper. de sen. excomm. licet enim proprius sacerdos non habeat iurisdictionem, tamen absoluit ex commissione Papæ: vt habetur expresse in d. cap. nuper. Et per Ordinarium intelligimus Episcopum, Capitulum, sede vacante, vel alium Prelatum habentem iurisdictionem in excommunicatum, vt habet Silu. absolutio. i. §. 4. Simplex etiam sacerdos, qui non sit curatus, seu parochus, habens tamen facultatem absoluendi à peccatis mortalibus, potest absoluere ab excommunicatione, secundum Innocen. & Hostien. in dicto cap. nuper in fin. & S. Thom. 4. d. 18. q. 2. art. 5. & Bonauen. 4. d. 18. q. vltima. Silu. ver. absolutio. i. nu. 4. & hæc est communis sententia: nam per proprium sacerdotem intelligitur omnis is, qui à peccatis mortalibus absoluendi habet facultatem, & de sic proprio sacerdote procedit tex. in d. c. nuper. licet. 1. anormit. cap. mona. hi. & c. mulieres de sent. excom. cum alijs teneat proprium sacerdotem, etiam curam animarum habentem, absoluere non posse, & ipsam sententiam Abb. praxis communis recepit. teste Couar in rep. c. alma mater. prior part. relect. ver. nobis autem prior placet, §. 12. nu. 5. in fin. qui etiam testatur vtramq; opinionem esse communem, nec obstat, quod sit par potestas ligandi, & soluendi, c. verbum de poenit. d. i. quia sacerdos proprius ex commissione canonis nuper. absoluit, prout etiam aliquibus in casibus canonum commissione etiam excommunicat, vt notat Siluest. absolutio. i. num. 5.

Aduerte autem, aliquando in iure excommunicationis, ab-

D

solutio-

solutionem referuari Episcopo, vt in cap. mulieres, de sent. ex-
 com. vbi statuitur, vt mulieres, & personæ non sui iuris ini-
 cientes manus violentas in clericos, ab Episcopo Diocesano
 absoluantur, & tunc non nisi ab Episcopo, non autem ab infe-
 riori absolui possunt, vt notat Ange. absolutio. i. §. 3. Si tamen
 Prælati inferior habet iurisdictionem quasi Episcopalem pri-
 uatiuè ad Episcopos, potest omnia, quæ potest Episcopus in
 his, quæ sunt iurisdictionis, vt tenent Abb. in Clem. i. num. 1.
 de reb. eccl. non alien. & in c. i. nu. 7. de voto. & Fely. in cap. a
 si clerici. §. de adulterijs nu. 11. Et sic officium concessum Ep-
 scopo in sua diocesi in his, quæ sunt iurisdictionis, competi-
 etiam prælati inferiori habente iurisdictionem Episcopa-
 lem, vel quasi, vt etiam in specie absolutionis ab excommuni-
 catione notat Fely. vbi supra. Simile est in alijs casibus, in qu-
 bus ius alicui referuatur, tunc inferior non potest, sed ille cui
 referuatur, vel superior. Idem est dicendum de excommuni-
 cationibus statutorum Prouincialium Conciliorum, seu sy-
 nodalium, seu quæ faciunt Legati in suis legationibus. Sic
 enim non referuantur absolutiones, potest Ordinarius, vt ha-
 bet Panorm. in cap. graue. de præben. Addit etiam Silu. abso-
 lutio. i. §. 7. proprius sacerdos etiam potest absolvere: nam
 excommunicationes sunt furis cuiusdam: excipit tamen Re-
 giosos, quibus prohibitum est à talibus synodalibus, aut pro-
 uincialibus sententijs absolvere, præterquam in casibus à iure
 expressis, vel per Sedis Apostolicæ priuilegia concessis, Clem.
 religiosi. de priuileg. Ultra hoc Panorm. in prædicto cap. gra-
 ue. addit, posse Episcopum absolvere subditum suum, etiam
 in aliena diocesi contraheret excommunicationem, contra-
 ueniens statuto prouinciali, vel synodali illius diocesis, etiam
 esset confirmatum per Papam, si non est reseruatio illa: & ra-
 tio est in promptu, quia, si potest absolvere ab excommuni-
 catione lata per canonem, igitur & ab ea, quæ fertur per con-
 stitutionem inferioris, licet sit confirmata per Papam. Immo
 si quis habens domicilium in aliqua diocesi contrahit exco-
 municationem ex statuto aliquo non reseruatam, & postea se
 transfert in aliam, potest absolui ab Ordinario, ad quem se
 transfert, vt dicunt Ioan. Andr. & Panorm. cap. ex frequen-
 tijs, de instit. & Ricar. 4. d. 18. art. 9. q. 5. Etiam proprius sacer-
 dos posset iuxta superius dicta: sed intellige, si non est reser-
 uata, aut ab homine in particulari lata; tunc enim pertinet ad
 eum qui excommunicauit. Eadem etiam est ratio in statutis,

seu sententijs generalibus Ordinariorum, quando excommunicationes fulminantur in genere, non determinata persona, hæ enim vim iuris habent, nisi non est reseruatio, & ab eis possunt absolueri illi, qui absoluntur a non reseruatibus a iure, vt habent Io. Andr. & Card. in d. c. graue. de præben. Hæc dicta sint de excommunicatione a iure vel ab homine in genere latis.

Superest dicamus de excommunicatione ab homine, quæ in particulari fulminatur contra determinatam personam: huius autem absolutio pertinet ad eum, qui excommunicauit; vel ad successorem, si mortuus est, vel ab officio ammotus qui tulit sententiam; vt habetur. n. q. 3. can. 33. vel ad superiorem habentem plenam iurisdictionem in excommunicatorem: vt, si sacerdos parochialis, vel Archidiaconus, aut alius subditus Episcopo ex consuetudine, vel alio iure subditum suum excommunicauit, talis ab Episcopo potest absolui, vt habet Inno. cap. cum ad Ecclesiarum. de offi. ordi. quia Episcopus est Ordinarius totius diocesis. n. q. 1. per totam, & c. cum Episcopus, de offic. ordin. lib. 6. & concurrit cumulatiue cum his ad actum iurisdictionis. Glos. in cap. pastoralis, in prin. & ibi Doct. de offi. ordin. & Abb. in cap. qua fronte, num. 7. de appel. Non tamen debet, irrequisito excommunicatore, si ex officio processit, absolueri, vt habet Abb. in cap. per tuas, num. 13. de sent. excom. Nec etiam parte non citata, sed ad instantiam partis fuit lata excommunicatio; vt dicit Abb. ibi & notant Doct. in cap. qua fronte, de appell. nisi periculum, sit in mora, secundum Abb. in d. c. per tuas, num. 13. Si tamen faceret, teneret absolutio, secundum communem, vt notat Abb. in d. cap. qua fronte, nu. 6. 7. etiam non præmissa satisfactione; tamen male faceret, quia suis subditis iurisdictione non seruat, vt notat Inno. in d. c. cum ab Ecclesiarum, nu. 6. Hoc tamen limitandum est, nisi consuetudo habeat, ab Episcopo non posse absolui excommunicatos per inferiorem, sed alterum primò cognoscere debere; tunc enim absolueri non posset, neque teneret, quod ab Episcopo fieret; iuxta Inno. vbi supra, num. 6. per cap. dilecto. de offi. Archi. Si autem superior non haberet plenam iurisdictionem, absolueri non posset; vnde Archiepiscopus non potest absolueri excommunicatum a Suffraganeo indifferenter, nisi ab eo fuerit ad illum appellatum, & hoc, vocatis partibus, & cognito de appellatione, vt habetur cap. Romana. de appell. n. 6. vel in quibusdam casibus, in quibus iudicare potest de subditis Suffraganeorum. Qui autem sint isti casus, vide

Silueft. in summ. ver. Archiepiscopus. Extra hos casus, si absoluat, nulla est absolutio, quia est à non suo, iuxta cap. pastoralis, de offic. ordin. & notat Abb. in cap. qua fronte, num. 7. de appell.

Aduerte autem, si superiori, ad quem deuoluitur iurisdic-
tio via appellationis, constat euidenter, sententiam excom-
municationis esse iustam, debet absque absolutione remitte-
re excommunicatum ad excommunicatorem; nisi excom-
municator requisitus, malitioso illi absolutionis beneficium
deneget, iuxta cap. per tuas, in fin. & ibi, Abb. num. 10. de sen-
t. excomm. Si uero constat, iniustam esse sententiam, nequaquam
est remittendus ad suum excommunicatorem: sed debet sine
difficultate aliqua mox absolui, cap. venerabilis, §. sane de sen-
t. excomm. lib. 6. & Abb. ubi supra. Quod si dubitatur de iusti-
tia, vel iniustitia, tunc ante absolutionem, siue petatur ad cau-
telam, siue non, debet constare de legitimitate appellationis.
& tunc est in optione sua, an velit remittere, an absolueret,
ut habet Abb. ubi supra per illos tex.

Aduerte rursus, in casibus, in quibus est deuoluta iuris-
dictio ad iudicem, si ipse iudex absoluat absque citatione, uel
absolutionem, iuxta Abb. in cap. qua fronte, num. 7. de appell.
Potest etiam ille, cui Episcopus committit suas uices, absolue-
re ab excommunicatione lata per ipsum Episcopum, quando
expresse commissa est absolutio: non autem, si in genere com-
misit uices suas, ut habet Directori. lib. 3. tit. 5. & Ange. absolue-
tio. 2. §. 4. immo etiam, si committat uices in his, quæ requi-
runt speciale mandatum: nam in tali mandato non claudun-
tur grauiora, & maiora, quam sint in commissione expressa,
ut habetur ex Clem. non potest, de procurat. Absolueret autem
ab excommunicatione est maius, quam absolueret simpliciter,
quia est cum iniuria superiorum, ut etiam habet Silu. ab-
solutio. 2. §. 2.

Similiter etiam, quando quis excommunicatus est, quia
participauit in crimine criminoso: pertinet absolutio ad ex-
communicatorem prioris, ut habetur cap. nuper. de sentent. ex-
com. uel ad eius successorem, uel superiorem, aut vicarium, ut
dictum est de absolutione ab excommunicatione ipsa homi-
nis: & idem est, quando excommunicatio fuit canonis; eiusdem
enim est absolutio talis participantis, cuius est absolutio ex-
communicati, cum quo taliter participat, ut notat Couar. cap.
alma mater, §. 3. num. 5.

Extra

Extra territorium autem proprium, sicut Episcopus, vel alius iudex non potest excommunicare suos subditos, ut superius diximus, ita nec absolueri, nisi de licentia proprii diocessani, vel, ut illic adnotauimus, quando est expulsus à propria diocesi; vtrumque tamen intellige, cum necessaria est cognitio causæ ad excommunicandum, vel absoluendum; si enim non est necessaria, quia est in manifestis, potest vtrumque facere, ut habet Ange. absolutio. 2. §. 5. Hostien. in c. nouiter. & ibi Henric. Boic. de offi. leg. Aduerte autem causæ cognitionem tunc impedire absolutionem, quando fit cum strepitu iudicij, & non quando ex officio priuatim adhibetur; ut notat Card. Alex. in c. qui in aliquo, col. 2. in fin. dist. 31. & Calderi. consi. 2. de elect.

Aduerte postremò, quamuis verum sit, qui excommunicauit, quando sententia est ab homine, in particulari, posse absolueri à sua sententia; tamen in aliquibus casibus non potest.

Primus est in delegato Papæ, qui inobedientem suæ sententiæ excommunicare potest; tamen post annum à sua definitiva sententia, non potest absolueri permanentem in excommunicatione tali. ita habetur cap. quarenti. de offic. delega. vbi Panor. affirmat, eandem rationem esse de quouis alio delegato alterius; pertinet enim tunc absolutio ad eum, cuius est delegatus.

Secundus casus est, si, postquam excommunicauit, ipse incidit in excommunicationem, quia tunc, sicut non potest excommunicare, 2. q. 1. can. audiuius, ita nec absolueri: quod de publico intelligendum est in foro exteriori, & de maiori excommunicatione: nam si incidit in minorem, potest absolueri, iuxta cap. si celebrat. de cleri. excom. ministr.

Tertius casus est, in incendiario, quem Ordinarius excommunicare potest; sed post denunciationem absolueri non potest, sed solus Papa, ut habetur cap. tua, de sent. excom. Aduerte autem, incendiarium Ecclesiæ, vel loci religiosi, esse ipso iure excommunicatum, c. in literis, & ibi Glos. de raptor. & incendiar. & Glos. in c. cum deuotissima. ver. si vero. 12. q. 2. Alij verò incendiarij non sunt ipso iure excommunicati, sed excommunicandi per sententiam; & tam primi, quam secundi, post publicationem non possunt absolui, nisi per Papam. Antea vero Ordinarius posset, ut habet Abb. in d. c. tua. num. 2.

Quartus est, in sententia lata ab inferiori, sed per Papam ex

certa scientia confirmata. quod intelligitur de sententia ab homine, secundum Ioan. Andr. cap. ex frequentibus, de institut. Secus, si confirmat sine certa scientia, aut causæ cognitione, vel sententia esset per statutum quantumcumque confirmatum; quia tunc absolueret inferior, nisi Papa sibi, vel alteri referuasset, sicut de his, quæ sunt à iure, vt supra diximus.

Quintus, in eo, cui Papa mandat, vt aliquem excommunicet sine aliqua cognitione causæ, quia, cum talis sit merus executor, absolueret non poterit, deducitur hoc ex cap. fin. §. fin. de offi. delega. Secus, si cognitionem causæ mandasset, quia tunc poterit absolueret, vt notant Ioan. Andr. & Hostien. cap. cum inferior. de maior. & obed.

Sextus, quando Episcopus denunciatur excommunicatum spoliatorem Ecclesiæ cum effractione, tunc à Papa est absoluedus, vt habetur cap. conquesti. de sen. excom. Hi sunt casus, in quibus in sententia ab homine non potest is, qui excommunicatur, absolueret: ex quibus omnibus patet, quis possit absolueret ab excommunicatione.

De minori excommunicatione.

CAPVT XVII.

Minor excommunicatio hominem separat à passiuo sacramentorum communione: ita vt, qui aliquod sacramentum suscipit, mortaliter peccet; non tamen ob talem susceptionem irregularis fit, etiamsi celebret, vt habetur cap. si celebrat. de cler. excom. ministr. A collatione vero actiua sacramentorum, non remouetur; ob id, nec mortaliter peccat conferendo, nec irregularis fit: vnde, qui celebrat, mortaliter peccat, cum celebrando, sacramentum suscipit; conferendo tamen, grauitur peccat, vt habetur prædicto cap. si celebrat. Hoc tamen Doct. multi exponunt de veniali peccato, inter quos sunt Maior. 4. d. 18. q. 2. Adrian. 4. in materia de clamibus q. 3. & Palud. 4. d. 18. q. 6. quibus consentio, quia per excommunicationem hæc, non separatur ab actiua sacramentorum collatione: vnde non peccat mortaliter, conferendo, sed venialiter, ob irreuerentiam quandam, etiamsi aliqui aliter sentiant. Sacramenta tamen collata à tali excommunicato tenent, & suum sortiuntur effectum, vt omnes Doct. dicunt. In hac

igitur

igitur separatione a passiva sacramentorum communione huius excommunicationis natura consistit; sicut etiam natura maioris excommunicationis in illa plena separatione, de qua diximus in superioribus.

Minoris excommunicationis effectus vnus est, nempe priuare huiusmodi excommunicatione passiva beneficii Ecclesiastici, vt eligi non possit ad beneficium, seu dignitatem Ecclesiasticam. ita habetur in prædicto cap. si celebrat: vnde, qui minori excommunicatione ligatus beneficium recipit, mortaliter peccat, sicut & sacramentum suscipiens, quia, tam sacramentorum susceprione, quam electione passiva priuatur. An tamen talis electio teneat, an potius ipso iure sit nulla. Doct. discordant. Panormit. eodem cap. si celebrat. & ibi Glos. cum alijs tenent, ipso iure nullam esse, immo etiam, si ignorata excommunicatione eligitur. Mihi tamen magis placet, cum Fely. cap. dilectæ de except. Ange. ver. electio. §. 24. Siluest. ver. electio §. 16. non esse ipso iure nullam, sed esse annullandam per sententiam, & quod me mouet est, quia in illo cap. si celebrat. dicitur, irritandam esse talem electionem, quod verbum non significat ipso iure irritam, & nullam, immo dicitur, si scienter excommunicato est facta; quando enim ignorantia erat, adhuc non videtur irritanda, nec est aliud caput, in quo talis electio ipso iure irritetur: nam reliqua, in quibus electio excommunicati ad beneficium annullatur, procedunt de maiori excommunicatione, vt ex ipsis colligitur, & ex Doctorum communi sententia. Quæ autem sunt iurisdictionis actiue, vt eligere, excommunicare, & cætera, non sunt prohibita excommunicato minori excommunicatione, vt Doct. communiter tenent, in prædicto illo. c. si celebrat. & in eodem cap. expresse id habetur.

Minor hæc excommunicatio, licet ab homine ferri possit, tamen non est in vsu, immo in iure non inuenitur casus alius in quo propriè contrahatur, nisi communicando cum excommunicatis, iuxta cap. nuper. de sent. excom. Quod limitandum adhuc est per extrauagantem Martini, superius positam ad nominatim excommunicatos, & denunciatos, & ad publicos percussores clericorum, qui enim cum his communicat, minorem contrahit excommunicationem, sed hæc minor non afficit alios; non enim qui communicat cum excommunicato minori; contrahit minorem. ita habet Glos. ii. qu. 3. can. ex-

cellentissimus. etiamsi cōmunicet cum eo in sacramentorum susceptione, ea ei conferendo: vnde fit, vt minor etiam propter veniale peccatum contrahatur aliquando: nam, vt supra diximus, non semper est mortale peccatum communicare cum excommunicato: nam in humanis communicare, est veniale, nisi adsit contemptus, vel sit excommunicatus de participantibus: & tamen minor etiam in eo casu contrahitur, in quo est veniale.

Eius absolutio potest fieri, etiam à quocumque sacerdote, habente facultatem absoluendi prædictum excommunicatum à mortali, vt habetur cap. nuper. de sent. excomm. Immo, si excommunicatus non haberet nisi veniale, posset absolui à quocumque simplici sacerdote, vt habet D. Nauarr. cap. 27. in sum. num. 39. talis enim sacerdos respectu venialis est proprius Confessarius.

*De excommunicationibus in Bulla Cœna
reseruatis.*

CAPVT XVIII.

Postquam ea pertractauimus, quæ de excommunicatione in generali scitu necessaria duximus, ad casus particulares, quibus excommunicationes à iure contrahuntur, descendere oportet: est enim necessarium, Confessarium hos non ignorare. At quia excommunicationes in duplici differentia reperiuntur, quædam sunt, quarum absolutio summo Pontifici reservatur: quædam, quarum absolutio aut nemi, aut Episcopo reservatur: priori loco duximus exponendas eas quæ Papæ reservatam absolutionem habent: quamuis autem inter has, quædam sint antiquiores, quædam minus antiquæ: & inter has sint quæ communiter vocantur in Cœna Domini, tamen quia harum absolutio difficilius à Sede Apostolica cōceditur, & quia hæ singulis annis, solemnitare magna à Romano Pontifice, coram toto populo fulminantur, initium faciemus ab ipsis, exponentes Bullam Cœnæ, editam à Sanctissimo Domino Sixto Quinto, Anno millesimo quingentesimo octuagesimo sexto: antequam autem ad eius expositionem accedamus, oportet prænotare tria.

Primo, Bullam hæc appellari processus generales, quasi sententias quasdam contra personas quascumque delinquentes,

& con-

& contrauenientes mandatis Romani Pontificis contenti, in eis; Romanus enim Pōtifex animaduertens vnionem fidelium cum capite Christo, & secum eius Vicario maxime esse necessariam, ad Religionis puritatem retinendam, specialia quædam, quæ huic vnioni obstare posse videbantur, sententia particulari prohibuit. & licet quædam ex eis antiquo iure prohibita essent, etiam sub excommunicatione reseruata Romano Pontifici; quædam verò excommunicatione non reseruata; quædam autem nullam censuram haberent annexam; voluit tamē hæc omnia hominis sententia multo magis, quā antequam erāt, inhibere, & à fidelibus prorsus auertere, vt acerbior pena à peccatis huiusmodi perpetrandis amplius deterreret. Atque hæc est materia & finis horum processuum. Olim autem ter in anno publicabantur solemniter à Romanis Pontificibus, vt habetur in Cæremoniali vetusto manu scripto in Bibliotheca Varicana, & refert Gloss. in Clem. i. tit. solennes. de iud. pura in die Iouis Sancti, in die Ascensionis, & in die dedicationis basilicæ Petri, & Pauli. Modò tamen à multis annis semel in anno publicantur, nempe in die Iouis Sancti; ob id communiter processus hi vocantur Bulla in Cæna Domini.

Secundò adnotandum est, processus hos antiquos esse, & Romanos Pontifices à multis annis solitos fuisse eos publicare: nam in Vaticana Bibliotheca reperiuntur processus Gregorij vndecimi, qui vixit anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo, nec creditur primus, q. hos publicauit: licet aut, quando inceperint, ignoretur, hoc tamen certum est, Romanos Pontifices mutasse, aut minuendo, aut augendo; in illis enim processibus Gregorij, hæc tantum excommunicationis fulminatæ reperiuntur; contra Hæreticos, piratas, imponentes noua pedagia, deferentes prohibita ad infideles, falsarios litterarum Apostolicarum; mutilantes personas ad Sedem Apostolicam venientes, & recurrentes ad eandem curiam super eorum causas; capientes Romipetas; & occupantes terras Ecclesiæ. At nunc multo plura personarum genera comprehensa sunt sub posterioribus processibus, & sub presentibus maxime, de quibus nunc tractamus.

Tertiò adnotandum est, excommunicationes contentas in huiusmodi processibus, esse ab homine, vt bene notarunt Doct. Sotus. 4. d. 22. q. 2. art. 3. & Nauar. cap. 27. summa, num. 54. Habent tamen vim iuris non solum in eo, quod generaliter fulminantur, sed etiam in eo, quod durat efficacia eorum, etiã

mortuo Pontifice, & Sede vacante: nam quamuis olim affirmari posset mortuo Pontifice, processus hos non habere robur contra peccantes, seu contrauenientes mandatis eo tempore, quo Sedes vacabat licet ij, qui ante erant ligati viuente Pontifice, non ob id censerentur absoluti, sicut in sententia ab homine ista solent accidere: tamen in his processibus presentibus, & quia tempore Pij Quinti pronunciati sunt, id cautum est, processus hi habeant robur, etiam Sede vacante, vsque ad tempus quo à futuro Pontifice noui edantur. His igitur suppositis, accedamus ad singularum partium explicationem.

De prima excommunicatione in Bulla Cœna contenta.

CAPVT XIX.

Prima excommunicatio fulminatur cōtra hæc vndecim genera personarū. Hæreticos quocumq; nomine cēfentur, & cuiuscumque sectæ existant; eorum credentes; receptatores; fautores; quoslibet eorum defensores. Libros Hæreticorum hæresim continentēs, vel de religione tractantes, sine Sedis Apostolicæ auctoritate, scienter legentes. Eosdem libros retinentes; imprimentes; quomodolibet defendentes, quauis causa, publice, vel occulte, quouis ingenio, vel colore Schismaticos, eosque, qui à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, aut recedunt. Horum quinque, scilicet Hæretici; eorum credentes; fautores; receptatores; defensores, erant excommunicati olim iure communi, licet excommunicatio non fuerit reseruata. ea. excommunicamus. extra de Hæretic. ab Innoc. 3. & c. quicumque de Hære. in 6. ab Alex. 4. Schismatici etiam excommunicati erant c. nulli. d. 19. vt bene notauit Silu. ver. Schismaticus. §. 4. Oportet singula explicare.

Hæretici dicuntur, qui errorem habent aliquem contra fidem cum pertinacia; est enim pertinacia necessaria ad constituendum hominem hæreticum, vt habetur. 24. qu. 3. can. dixit Apostolus. & can. qui in Ecclesia. Est autem pertinacia, quando homo scit, aut scire debuit, & potuit aliquid esse contrarium Scripturæ Sacræ, aut ab Ecclesia damnatū, & ei adheret assensu: vnde ignorantia crassa à pertinacia non excusat, vt dicit Sotus 4. d. 22. q. 2. art. 3. Dubius etiam cum eadem pertinacia

in fide

in fide est hæreticus, cap. 1. de hæret. vbi dicitur: Dubius in fide est infidelis, & c. 1. de sum. trinit. vbi censetur hæreticus dubitans animam rationalem esse corporis formam. Ille autem dubitat cū pertinacia, qui animo deliberato dubitat in ijs, quæ sunt contra scripturam, aut Ecclesiam, sciens, aut ignorantia crassa ignorans.

In hoc autem sunt tria notanda. Primum est, ad incurrendam excommunicationem, non satis esse interiorem hæresim, aut dubium; qui enim hereticus est tantum in mente sua, nec vlllo signo, vel verbo, vel facto expressit errorem, non est excommunicatus, potestque absolui à quolibet Confessario. ita tenet Alexan. de Ales. 2. p. qu. 132. nu. 2. & S. Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. qui docent, vniuersaliter non posse Ecclesiam circa actus purè interiores præcipere aliquid, aut punire. Hoc in particulari de hæretico tenet etiam Anto. 3. part. tit. 25. c. 4. Caietan. ver. hæresis. Palud. 4. d. 13. qu. 3. cum alijs multis, licet contrarium teneat Gloss. Clement. multorum. de hæret. & Adri. quodlib. 8. q. 1. Sed prima sententia est communissima, & tenenda.

Secundum est, hæreticum purè exteriorem, qui facto, vel verbo hæretico vsus est, aut timore, aut alia passione, sed interius non est hereticus, non incurrere etiam in excommunicationem in foro interiori. dico interiori, quia exterius, sicut reputabitur hæreticus, sic etiam excommunicatus. Istud est contra Caiet. 2. 2. q. 94. art. 1. & q. 12. art. 1. tamen eius sententia non est tenenda; cum enim huiusmodi homo verè non sit hæreticus, non comprehenditur sub censura lata contra hæreticos: & ita tenet Anto. 3. p. tit. 12. c. 5. Tabi. ver. hæreticus, num. 1. Silu. ver. hæresis, 1. §. 9.

Tertium est, hæreticum, qui interius habet errorem, & exterius exprimit aliquo signo, vel verbo, vel omissione alicuius exteriorum, quod debebat facere, & ex errore omittit, quantumcumq; sit occultissimus, incidit in excommunicationem istam. Ita tenet Caiet. ver. hæresis. Silu. ver. excommunicatio. 7. §. 3. & Gloss. 24. q. 1. can. Achatius 1. & Palu. 4. d. 13. q. 3. nam ille talis est hæreticus, super quem Ecclesia facultatem habet.

Secundum genus personarum est, credentium hæreticorū: qui autem sint credentes hæreticorum explicant bene Archidia. cap. quicumque, de hare. in 6. & Palu. 4. sent. d. 13. q. 3. & Sil. verb. hæresis 1. §. 10. nempe illi, qui errorem expressè, & explicite non habent, sed implicite. exemplum ponit Palu. de

quibus

quibusdam. Vnus habebat multos errores, & dicebatur Gulielmus; alter erat Rusticus, nihil in particulari sciebat, sed dicebat se velle mori in fide Gulielmi. prior erat hæreticus, posterior dicebatur credens, & absque dubio, etiam credens hæreticus est, sed credens dicitur, quia hæresim implicite, & in alio profitetur. Sicut etiam inter Catholicos sunt Rustici, qui fide implicite tenent credentes quidquid credit Ecclesia. Credentes igitur hæreticorum, excommunicati sunt, quando talem implicitum errorem exprimunt exterius dicentes Calvinum fuisse virum bonum, se velle mori in fide illius, & alia his similia errorem suum experimentia.

Tertium genus personarum sunt, receptatores hæreticorum aut credentium eorum: notant autem Archi. Palu. Silu. locis citatis, non sumi receptatores secundum vim grammaticam, ut illi dicantur receptare, qui frequenter recipiunt; sat enim ad contrahendam hanc excommunicationem, si vel semel receperint. Dicuntur autem, secundum prædictos, doctores receptare omnes illi, qui in domibus, vel in alijs locis hæreticos recipiunt, occultando eos, ne in manus Iudicum veniant, & pœnas hæreticos latas euitent. Idem etiam tenet Tabie. ver. excom. casu. 2. num. 7. & deducitur hoc ex lege. l. ff. de recepta. & in l. congruit, ff. de offi. præsid. Vbi dicuntur receptatores, sine quibus latro diu latere non potest, quasi is sit receptor, qui recipit ad occultandum. Qui ergo alios ob fines recipit, non est censendus receptor; ut, qui recipit, ne occidatur à latrone, vel à Iudice procedente ratione homicidij, vel alterius criminis; debet enim esse in causa hæresis.

Quartum genus personarum sunt, eorundem fautores. prædicti autem Doct. Archi. Palu. Silu. locis citatis, explicant, fautores esse in duplici differetia; quidam sunt fautores omissione, quidam commissione. Ij dicuntur omissione fautores, qui, cum ex officio teneantur hæreticos punire, & in carcerare, nõ faciunt, nec contra eos procedunt, iuxta c. ad abolendam. de hæret. Addit etiam Silu. sub hac censura comprehendendi etiam personas priuatas, quæ ex iuramento aliquo tenentur eos deferre, aut denunciare, & non denunciant, quales sunt ij, qui familiares inquisitionis dicuntur; non tamen illos, qui non ex iuramento tenentur, sed ex præcepto charitatis: nam quilibet hæreticum denunciare tenetur, & omittendo denunciare, peccat; tamen non censetur fautor, nisi iuratus sit; quamuis Palu. 4. d. 18. quæst. 3. art. 1. teneat, esse fautores, personas priua-

tas, quæ nolunt indicare; melius tamen dicit Siluest. Illi autem dicuntur commissione fauere, qui verbis, literis, aut factis fauent; vt, qui laudat hæreticos, dicendo, inique; Inquisitores procedere contra ipsos, esse bonos viros; aut, qui mittunt munera, iuxta cap. accusatus de hæret. in 6. aut præstant alimoniam, arma, quibus fugiant, & liberent se à manibus Iudicum, aut alia huiusmodi faciunt; fauorem enim semper debet esse in ordine ad hæresim; vt etiam dicit S. Anton. in tract. de excomm. cap. 4.

Quintum genus est, defensorum hæreticorum, vel creditium eorum: qui autem sint defensores, explicat Archi. cap. quicumque, de hæret. in 6. & Sil. hæresis. i. §. 10. nempe, qui viribus, aut potentia defendunt hæreticos, ne veniant in manus Iudicum puniendi, aut excommunicandi, aut capiendi. Dicit etiam Card. Clemen. 1. de pœnit. defensores esse eos, qui patrocinium præstant, & aduocant pro hæreticis, scientes, non habere illos iusticiam, & hoc in casu hæresis. Addit etiam Paul. 4. d. 13. q. 3. Notarios etiam qui suum ministerium adhibent in simili casu, esse defensores. Ex his sequitur, defensionem esse intelligendam in ordine ad hæresim; vnde Silu. loco citato dicit, non esse defensorem, qui hæreticum defendit a priuata persona, vt a latrone, vel alio iniuste volente ei nocere. Adde etiã, non esse defensorem, qui in causa ciuili, vel criminali alia ab hæresi ipsum quoquomodo defendit. Tales enim non sunt defensores, de quibus in hac Bulla fit mentio.

Oportet autem in his tribus, receptatione, fauore, & defensione adnotare, ad contrahendam excommunicationem, debere fieri scienter, nempe, vt qui receptant, fauent, defendunt hæreticum, ea faciant scientes eum esse talem. Adnotanda etiam est in his tribus doctrina Caiet. ver. excommu. c. 1. non esse fauorem, defensorem, receptatorem hæretici, nisi qui defendit, fauet, receptat hæreticum, vt hæreticus est. idem Nauar. c. 27. sum. mæ. num. 36. Quod intelligi dupliciter potest; vno modo, vt fauor, receptatio, aut defensio hæretici fiat propter heresim, seu in fauorem hæresis. Altero modo, vt fiant in causa hæresis, licet non fiat propter hæresim. Primo modo nõ est intelligendus Caieta. est enim opinio falsa; non enim tantum, qui sic receptant, fauent, aut defendunt, excommunicari sunt: nam l. 2. ff. de recepta. puniendus est, vt receptator consanguineus, & affinis, qui receptat latronem occultando; & clarum est, quod illi non recipiunt, quia fur est, vel in furti fauorem,

uorem,

uorem, sed quia consanguineus; tamen, quia illa receptatio est in furti occultationem, censetur receptor. Sic etiam erit de receptatore hæretici, defensore, vel fautore. Modo tamen secundo verissima est opinio, ut defensio, fauor, receptatio sint in causa hæresis, licet non propter hæresim fiant, sed quia amici, aut consanguinei sunt, aut similibus alijs finibus, vel motiuis. Quod tamen sine licentia Inquisitoris fieri non potest.

Sextum genus personarum sunt, scienter libros hæreticorum legentes, non quidem quoscumque, sed eos dumtaxat, in quibus vel eorum errores continentur, vel de Religione tractant, etiamsi in eis error non contineatur. Qui vero cæteros legunt libros ab hæreticis compositos, non contrahunt huius Bullæ excommunicationem; sed eam, quæ est in Indice librorum prohibitorum. Præterea, siue pauca lineæ, siue multæ legantur, incidunt legentes in canonem hunc dummodò tamen scienter legant, id est, sciendo esse librum hæretici. Præterea, pauca lineæ, siue multæ legantur, incidunt legentes in canonem hunc; dummodò tamen scienter legant, id est, sciendo esse librum hæreticum. Præterea, siue legant ad errores cognoscendos, vel impugnandos, vel ad aliquam eruditionem depromendam; omnes hi excommunicationem incurrunt, dummodò sine licentia Sedis Apostolicæ fiat. Hic tamen aduerte, aliud esse legere libros prohibitos tantum, aliud libros hæreticorum; sunt enim multi libri prohibiti, qui non sunt hæreticorum, ut Biblia in lingua vulgari, opera quorundam, quæ in Indice habentur. Qui ergo hos libros legunt, non comprehenduntur in hac excommunicatione: sed Regulæ Indicis sunt considerandæ: at verò, quando libri sunt hæreticorum, tunc legentes sunt excommunicati in Cœna.

Reliqua tria personarum genera non indigent explicatione; sunt enim scienter tales libros hæreticorum retinentes; aut eos imprimentes; eosdem defendentes, quolibet colore, publicè, vel occultè. Et ij dicuntur defendentes, qui modo aliquo prohibent, ne ab Inquisitoribus tales libri habeantur, aut comburantur, sicut supra diximus de defensoribus hæreticorum; aut, qui etiam verbis eos laudant, affirmâdo, tales libros non esse comburendos, aut prohibendos.

Decimum genus personarum in excommunicatione hæc contentarum, Schismatici sunt, qui quidem in Bullis antiquis

ante

ante Pium Quintum non continebantur. Dicuntur autem Schismatici à Schismate, quod est peccatum contra charitatem. Est autem Schisma rebellis separatio ab Ecclesiæ capite, & Vicario Christi: sunt enim duo necessaria ad peccatum hoc contrahendum, ut habet S. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. ad. 2. Alterum, ut homo se separet ab Ecclesiæ capite, scilicet Summo Pastore, & Vicario Christi, per inobedientiam, non obediendo ipsi. Alterum, ut sit hoc cum rebellionem quadam, nimirum pertinaciter ipsius iudicium subire nolendo eiusque præceptum contemnendo. talis est Schismaticus. Est autem aliquando Schisma coniunctum cum hæresi, aliquando sine hæresi.

Cum hæresi quidem, quando homo opinatur, Pontificem Romanum non esse Christi Vicarium, nec caput totius Ecclesiæ; hæc enim hæresis est. Sine hæresi autem est, quando interius quidem non negat esse caput, tamen malitia, vel passione tractus, non vult ipsum cognoscere, nec talem opere confiteri, tunc est Schisma purum sine hæresi: unde omnis hæreticus est etiam Schismaticus, non tamen omnis Schismaticus est hæreticus; quamvis frequentissime sit etiam hæreticus. ut habetur 2. 4. q. 3. can. inter heresim. Hi igitur Schismatici incidunt in hanc excommunicationem, etiam si nullam hæresim habeant admistam.

Undecimum genus est personarum ab obedientia Romani Pontificis pertinaciter se subtrahentium, aut ab ea credentium. Nec est putandum, Schismaticos significari his verbis: nam iam tales superius proprio nomine excommunicati sunt; sed significantur illi, qui mandato Romani Pontificis pertinaciter, id est, scientes esse tale mandatum, nolunt obedire, nec hoc ad Schisma satis est: nam Schisma est, quando homo in totum à iudicio, & obedientia Romani Pontificis se subtrahit, opere ipso non recognoscendo eum superiorem. Hac ergo censura ligantur pertinaciter inobedientes, licet Schismatici non sint; non enim omnis inobediens est Schismaticus.

non sint; non enim omnis inobediens est Schismaticus.

*De secunda, & tertia excommunicatione in Bulla
Cœna contentis.*

CAPVT XX.

Secunda excommunicatio fulminatur contra tria genera personarum, nempe appellantium ad futurum Concilium ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis Summi Pontificis; dantium ad hoc consilium, & dantium etiam auxilium vel fauorem. In qua excommunicatione nonnulla sunt notanda.

Primò, duo esse verba, nempe, Excommunicamus, & Interdicimus. Prius refertur ad personas; posterius ad Vniuersitates, Collegia, & Capitula appellantia, vel dantia auxilium, & consilium; hæc enim non possunt excommunicari, vt habetur c. Romana. de sen. excom. in 6. ob id interdiciuntur. At persona cuiuscunq; conditionis gradus, vel status excommunicantur.

Secundò, hæc excommunicatio contra eadem tria genera personarum est antiqua, lata, & reseruata à Pio Secundo, confirmata à Iulio Secundo, cuius extrauagantis meminit Caiet. verb. excommunicatio. cap. 25. & Silu. ver. excommunicatum. 93.

Tertia excommunicatio lata est contra omnes Pyratas, Curfarios, & Latrunculos maritimos discurrentes mare Ecclesie, præcipue à Monte Argentario, vsque ad Tarracinam, & contra eorundem fautores, receptatores, & defensores. In declarationem huius nonnulla dubia occurrunt.

Primum est; Quis sit dicendus Pyrata. Ad quod Ang. verba Pyrata. respondet, Pyratam esse, quicumque in mari, vel flumine deprædatur: si in mari, dicitur marinus, & excommunicationem hanc incurrit: si in flumine, est fluuiialis, & non incurrit eam, quia contra maritimos fulminata est. Silu. autem verba excom. 7. §. 56. non recipit hoc: putat enim, tria esse necessaria ad Pyratam.

Primum est, indifferentia spoliandorum, id est, vt non tantum vnus nationis homines deprædatur, sed indifferentes homines, siue vnus, siue alterius nationis, vnde Genueses spoliantes olim solos Venetos, non censebantur Pyratæ.

Secun-

Secundum est, intentio principalis; si enim aliqui Mercatores, suæ negotiationi incumbentes, in itinere spoliarent aliquos, non sunt propterea Pyratæ dicendi.

Tertium est, ut non sit bellum inter spoliantes, & spoliatos indictum; indicto enim bello, siue iusto, siue iniusto, non dicuntur Pyratæ, quia iure, & titulo belli, tunc spolium fit. Cum Silu. consentit Tabien. verb. excommunicatio. 5. casu. 25. nu. 4. Ego secundam, & tertiam conditiones puo esse necessarias; sed non primam: nam spoliantes hos, vel illos, etiam si vnus nationis essent Pyratæ dicuntur. Denique qui principaliter versantur in deprædando in mari, dicuntur Pyratæ, aut Latrunculi, aut Cursarij maritimi, siue hæc idem, siue diuersa significant: sub his enim vocibus omne genus, talium latrunculorū, & deprædatorum comprehenditur.

Aduertendum autem est, hanc excommunicationem restrictiorem esse, quam in alijs Bullis: prius enim excommunicabantur omnes Pyratæ, Cursarij, Latrunculi maritimi, & illi præcipue, qui in mari, à Monte Argentario, vsque ad Tarracinam discurrebant. At nūc ablata est illa particula (&) sequens: que verbum non copulat, sed restringit præcedens, nempe illos maritimos excommunicari, qui discurrunt mare Ecclesie, præcipue à monte Argentario, vsque ad Tarracinam. Cæteri tamen non comprehenduntur in hac Bulla; sicut nec qui in fluminibus deprædantur, ut dicemus inferius. Verba Bullæ sunt hæc. (*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Pyratas, & Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, præcipue à monte Argentario, vsq; ad Tarracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.*) In alijs vero Bullis sic habebatur. (*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Pyratas, Cursarios, Latrunculos maritimos, & illos præcipue, qui mare nostrum à Monte Argentario, vsque ad Tarracinam discurrere, & nauigantes in illo deprædari, mutilare, interficere, ac rebus, & bonis suis spoliare presumpserunt, hæcenus, & presumunt, ac omnes receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem.*)

Aliud dubium est, an incidant in excommunicationem hæc Pyratæ, statim ac mare discurrere incipiunt. Caiet. verb. excommu. c. 18. respondet, quod non; sed est necessaria vna harum actionum, deprædari, mutilare, aut interficere, aut spoliare bonis suis aliquem. Si autem, vel semel horum aliquid fecerint, excommunicati sunt. Hæc tamen doctrina non habet locum in Bulla hac, in qua actio discurrendi sola exprimitur,

quæ sufficit, etiam si nulla alia sequatur. Aduerte procedere in ista de Pyratibus, qui Christianos expoliant, non de his, qui infideles.

Aliud dubium est, an isti iure antiquo fuerint olim excommunicati: dico cum Silu. loco citato, & cum alijs communiter Doct. quod non, sed erant excommunicandi, vt habetur cap. excommunicationi. de rap. vbi dicitur, excommunicationi subduntur, qui Romanos, aut Christianos nauigio vectos promerogatione, vel alijs honestis causis, capere, aut bonis suis spoliare præsumunt; Quæ excommunicatio ex vna parte limitata est, quam quæ nunc habetur in hac Bulla, quia non complectitur discurrentes tantum, sed eos, qui aliquid ex narratis actionibus faciunt. Ex altera tamen parte latior est, quia complectitur quoscumque Pyratas maritimos, vel fluuiales, vbi cumque deprædentur: non autem solos mare tantum Ecclesiæ discurrentes: complectitur eos, qui deprædantur, spoliantur, &c. nauigantes quocumque modo, & quacumque de causa, etiam non honesta.

Aliud dubium est, an qui in mari versantur, & flumen ingrediuntur, vt alios deprædentur, sint in hac Bulla excommunicati. Respondeo affirmatiuè: nam maritimi Pyratæ decurrunt; non vero, qui solum in fluminibus deprædantur, vt dicit Ang. ver. Pyrata.

Receptatores horum Pyratarum, auxilium dantes eis, aut fauorem, sunt etiam excommunicati. Quæ sunt intelligenda, iuxta dicta in prima excommunicatione. Olim apponebantur dantes consilium, sed modo ablatum est verbum comprehenduntur enim sub auxilio. l. qui seruo. §. plus. Pompo. ff. de furt. Barto. in l. non solum, §. si mandato. numer. 17. ff. de iniur.

*De quarta, & quinta excommunicatione in Bulla
Cæno contenta.*

CAPVT XXI.

Quarta excommunicatio fertur contra eos, qui rapiunt Christianorum naufragantium bona, siue in nauibus existentia, siue ex eisdem ciecta, siue in littore inuenta, cuiuscumque generis bona sint, & in quocumque mari. Nec contra hanc excommunicationem priuilegium, aut con-

suert-

fuetudo, aliquatue, etiam longissimi, & immemorabilis temporis possessio, aliusue pretextus aliquid operatur, quo minus talia bona surripientes, eam contrahant. Aduerte, iure antiquo laram esse excommunicationem contra huiusmodi raptos bonorum naufragantium, cap. excommunicationi. de raptor. non tamen erat reseruata: nunc vero, inter eas, quæ sunt in Bulla Cœnæ, posita est primo à Gregorio XIII. Differt autem hæc ab ea, quæ iure antiquo lata est; hanc enim non statim rapientes talia bona contrahebant, nisi mora non restituendi intercedente: nam in contextu fulminatur contra capientes, nisi ea restituerint: per solam igitur capturam non erant excommunicati, nisi post moram non restituendi, ut ibi notat Panor. immò Ioan. Andr. affirmavit, necessariam esse admonitionem, cuius sententiam merito Panormit. ibi rejicit.

At verò in hanc excommunicationem Cœnæ incidunt surripientes bona sine vlla mora; quicquid dicat Nauar. nam simpliciter lata est contra surripientes, sine vlla conditione (nisi restituerint). Qui ergo surripiunt, excommunicati sunt; & si postea restituant, animo mutato, non propterea desinunt esse excommunicati, donec absoluantur. Cum autem audis surripientes, intellige eos, qui animo non restituendi accipiunt talia bona; qui enim animo reddendi dominis, cum primum noverit, ea capit, non dicitur surripere, nec excommunicatus est.

Quinta excommunicatio comprehendit eos, qui noua pedagagia, seu gabellas in terris suis, præterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permittis imponunt, aut augent; aut imponi, vel augeri prohibita exigunt. In cuius declarationem nonnulla etiam dubia sunt resoluenda.

Primum est, quid per Pedagagia intelligendum sit, Doct. in cap. super quibusdam. de verb. significat. & Summistæ verb. pedagium, aut verb. gabella. aut verb. vectigal. dicunt esse tributum, quod soluitur pro inuectis mercibus; & etiam quod soluitur, pro viâ transitu, quando pontes eriguntur, aut viæ aptantur, ad differentiam guidagij, quod pro ducatu, & viæ securitate soluitur: tamen in hac Bulla vniuersaliter sumitur pro gabella quacunque, quæ imponitur, siue pro inuectione mercium, siue pro venditione, & emptione rerum; siue pro transitu, siue pro ducatu, siue alia de causa;

ob id in nulla à Pio Quinto additum est verbum (gabellas quod ante non apponebatur : & certè videtur aucta excommunicatio: nam ante in sua pura, & particulari significatione verbum pedagij accipiendum videbatur.

Aliud dubium est, qui sint imponentes noua pedagja, quæ sub hac excommunicatione comprehenduntur. Pro intelligentia aduerte, esse posse gabellas iniustas multis ex partibus.

Primò, ex parte personarum, quibus imponuntur: nam personis Ecclesiasticis à Laicis imponi non possunt, vt habetur cap. Clericis. de immu. Eccle. in 6. sine auctoritate Sedis Apostolicæ: qui tamen eas imponunt, absque tali auctoritate, non comprehenduntur præsentis excommunicatione, sed quadam alia, quæ in Bulla inferius continetur; vbi hoc explicabitur.

Secundò, est iniusta ex parte causæ, quia sine vlla, aut sine rationabili causâ imponitur.

Tertiò, ex parte modi, quia modus, & mensura non sentitur: quæ autem sit iusta causâ, & quis modus sit obseruandus, dicemus inferius, dum de ista materia tractauerimus.

Dubium igitur est, an imponentes gabellas quouis modo iniustas, sint excommunicati per Bullam. Angel. enim verbum pedagium §. 5. & Tabien. verbum pedagium, §. 6. tenent, esse excommunicatos per hanc Bullam. At Silu. verbum gabella, §. 5. tener, non omnes esse excommunicatos; sed eos tantum, qui sine auctoritate imponunt, vt statim explicabimus. Et quamuis Silu. non expressè id dicat, tamen ita dicendum est; non enim iniusta pedagja, sed noua imponentes excommunicantur. Vnde ad aliud caput est hoc referendum, nimirum, quando absque auctoritate imponuntur, siue iusta sit causâ, & modus, siue non.

Dices, qui sunt illi, qui habent auctoritatem imponendi pedagja, seu gabellas? Dico, ex cap. super quibusdam, de veterbor. lignifi. esse tria genera personarum, Imperatores, & Reges, non tantum Romanorum Reges, vt quidam dixerunt, sed Reges cuiuscumque, vt ibi explicat Innoc. & Panor. cap. in nouamus, de censibus. Similiter Concilium Generale, sub quo Papa etiam complectitur, vt ibi Doct. dicunt, in terris suis Ciuitates autem, sine Principis sui auctoritate, non possunt, vt habetur Codice, noua vectigalia l. 2. nisi habeant missum Imperium, vt sunt in Italia aliqua, vt notant Panor. & Ioan.

Andr

Andr. in d. cap. super quibusdam. Iure etiam Ciuili hoc etiam de Imperatore statutum est ff. de publica. & vectig. l. vectigalia Præter hos, reliqui Duces, Domini, Principes, qui sub alterius sunt iurisdictione, non possunt imponere hæc pedagia, sine auctoritate prædictorum, & sine ea imponentes, sunt excommunicati in hac Bulla, & iste est sensus huius excommunicationis. Et Pius V, interrogatus de hoc ex parte Regis cuiusdam, ita declarauit.

Aliud dubium est, an absque prædicta auctoritate, vetera augentes, sint excommunicati, quando vetera licita erant. Armil. verb. gabella, § 8. & Rossell. excommunicatione 44. §. 5. tenent, quod non, quia non imponunt noua. Tamen contrarium tenent, Silu. verb. excommunicatio. 7. §. 54. Tabien. ver. pedagium, §. 6. Angel. verb. pedagium, §. 5. Hoc tamen dubium locum habebat in Bullis ante Pium V. iam verò non est dubitandi ratio: nam à tempore Pij additum est illud. *Imposita augenti*, quod adiectum fuit ad tollendas dubitationes, & opinioniones: at quauis adiectum non esset, verè erat etiam prohibitum nam ex alteratione, & augmento resultat nouum tributum, & est noua impositio.

Aliud dubium, qui sint isti exactores, qui excommunicantur. Dico esse ministros; & officiales; qui talia pedagia prohibita, id est, absque auctoritate imposita exigunt, qui sunt etiam excommunicati: vnde illud verbum, *prohibita*. refertur ad pedagia absque auctoritate imposita, vel aucta.

Aliud dubium est, an, qui à sponte soluentibus accipiunt huiusmodi pedagia, vel gabellas, sint excommunicati. Silu. verb. excommun. 7. §. 54 & Nauar. cap. 27. sum. num. 61. dicunt, quod non, quia illi non exigunt, & ita est. Sed aduerse, quod in his, qui Clericis sine auctoritate imponunt, sunt excommunicati exigentes, & accipientes à sponte soluentibus, vt inferius dicemus, cum de his agemus; modo enim tantum loquimur de impositis pedagijs ex defectu auctoritatis tantum imponendi super

Laicas personas.

(.)

*De sexta excommunicatione in Bulla Cœna
contenta.*

CAPVT XXII.

Sexta excommunicatio est, contra falsarios literarum Apostolicarum; comprehendit autem quatuor genera personarum.

Primum, falsariorum literarum Apostolicarum in forma breuis.

Secundum, falsariorum supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, aut per Vicecancellarium, aut per eorum locum gerentes, aut de mandato Romani Pontificis signatarum.

Tertium, falso fabricantium literas Apostolicas etiam in forma breuis.

Quartum, falso signantium supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices eorum. Pro intelligentia nonnulla occurrunt dubia.

Primum est, quid per literas Apostolicas intelligere debeamus. Dico, intelligi literas, quæ nomine Romani Pontificis, seu Sedis Apostolicæ expediuntur, quales sunt Bullæ, in quibus est plumbum, & breuia Apostolica. Unde per literas Apostolicas, non intelliguntur literæ Legatorum, nec Summorum poenitentiariorum Papæ, nec nunciorum, nec inferiorum Prælatorum, vt adnotauit Palu. 4. d. 18. q. 3. ar. 2. hæ enim non expediuntur Romani Pontificis, sed prædictorum illorum nomine; propterea harum literas falsificantes non incurrunt in hæc censuram.

Aliud est dubium, quid per supplicationem intelligere debeamus. Dico, quod licet supplicatio proprie illa dicatur, quæ fit ad instantiam partis, vt notat Innoc. in cap. ex literis, nu. 3. & ibi Abb. nu. 6. de restit. in integr. tamen, per supplicationes intelligere debemus hic, tam quæ ad instantiam partium, quam quæ motu proprio Papæ conceduntur; quoniam secundum communem vsus loquendi, tam illæ, quam istæ supplicationes appellantur, vt dicit Gomer. in regul. de non iud. iuxta for. suppl. quæst. II. ver. non obstat. Qui quidem vsus loquendi debet attendi, & præfertur proprio significato, secundum Gomer.

met. vbi supra, & est textus in l. Labco. §. idem Tubero. ff. de supellect. leg.

Aduerendum est, hanc excommunicationem iure communi latam esse, vt habetur in cap. ad falsariorum. de crimin. falsi. Tamen amplior est excommunicatio iuris, quàm hæc, eaque de causa in Bullis solebant adiungi ista verba (extendentes cap. ad falsariorum cum omnibus pœnis in eo contentis) quæ verba a Sixto Quinto ablata sunt: tamen eam declarabimus, vt hoc in loco integra tradatur notitia falsariorum. Iure igitur illo antiquo excommunicantur multa genera personarum.

Primò, falsificantes per se, vel per alios literas Apostolicas.

Secundò, vtentes literis falsis, etiamsi ipsi non falsificauerint, sed hanc de vtentibus non incurrunt, nisi Laici, vt ibi notat Panorm. contra Hostie. & debet intelligi de scienter vtentibus, vt ibi affirmant Doct.

Tertiò, impetrantes literas falsas: non autem dicuntur impetrare literas falsas, qui impetrant literas suggerendo falsitatem, vel supprimendo veritatem, quia literæ in se veræ sunt, vt a Pontifice conceduntur, vt notat Silu. ver. excommunicatio. 7. §. 9. & Caiet. ver. excom. c. 26. & Tabie. ver. excom. §. casu. 5. immò, nec quando sub nomine alieno pro se literas impetrant, vt ibidem dicunt Silu. & Tabie. sed illi impetrant falsas, qui ab alijs obtinent literas falsificatas. Hæc tria genera personarum ipso facto excommunicantur. Similiter etiam defensores, & fautores prædictorum falsariorum. Ista tamen excommunicatio à iure, non est reseruata, sed ab Ordinario potest absolui. Vltra excommunicationem apponitur pœna: si clerici enim sunt, & literis falsis vtuntur, officijs omnibus, & beneficijs priuantur: si vero per se ipsos, vel per alios falsificant, officijs, & beneficijs priuari degradantur, & brachio sæculari pœnis legitimis affiendi traduntur. Hoc omnia in eo capite continentur. Si igitur hæc excommunicatio Bullæ conferatur illi capiti, in parte est latior, in parte est strictior. Strictior quidem est, quia non comprehendit vtentes, nec impetrantes, nec fautores, & defensores falsariorum, nec falsificantes per alios, sed solos falsarios per se. Latior tamen est, quia illud caput comprehendit tantum falsarios literarum Apostolicarum: at verò hæc, nō solos hos, sed etiam falsarios signantes supplicationes, gratiam, vel iustitiã

concernentes, nomine Vicecancellarij, aut locum gerentis, vt superius dictum est.

Aliud dubium est; an, qui, non variato sensu, vnum punctum, vel literam addit, vel minuit, vel corrigit, in prædictis breuibus, aut literis, incidat in hanc excommunicationem. Quidam affirmant, in literis Apostolicis expeditis, vel vno punctum mutant, aut literam corrigentes, etiam sensu non mutato, præter eos, quibus ex officio incumbit, esse ligatos hac excommunicatione. Ita habent Hostien. in sum. tit. de crim. fals. §. porro vers. si hodie. & Panorm. c. ex literis, num. 5. de h. de instr. Silu. excommunicatio. 7. §. 10. Caiet. verb. excommunicatio. cap. 26. Argumentum in fauorem huius sententia est, quod in priuilegijs olim concessis Summo pœnitentiario, illud erat, vt posset absoluere ab excommunicatione, quæ incurritur propter mutationem literæ, vel puncti in literis Apostolicis, sensu non mutato. At verò, contrarium tenent alij, non incidere in hanc excommunicationem, nisi, qui mutant literam, vel punctum, quando sensus variatur, vt literæ fiant validæ ex inualidis, aut ex validis, validiores. ita habet Richard. 4. d. 18. art. 12. q. 4. Anton. 3. p. tit. 24. c. 16. Ange. excommunicatio. §. casu. 3. num. 3. Tab. excommun. §. casu. 5. cum alijs multis, & ita tenendum est, sed nõ propter rationem istorum Doct. sed alia de causa: Scias enim, olim in Bulla Cœnæ apponi solere illa verba, *Mutantes punctum, vel litteram in literis Apostolicis*, vt aperte constat ex Hostien. loco citato, & tunc data fuit illa facultas Summo Pœnitentiario. & absque dubio prior sententia vera erat, si talia verba modo perseverarent, tamè ablati sunt à multis iam annis, nec inter facultates absoluendi Summo Pœnitentiario concessas illa nunc habentur: ob id, non incidunt in hanc excommunicationem corrigentes, nisi sensus mutetur; tunc enim sunt falsarij. Quod quidem probatur ex cap. ex conscientia. de crim. fals. vbi habetur, quod per rasuram Bullæ in loco non suspecto, non censetur falsa. Non ergo est falsarius, qui literam radit, sensu non mutato.

Aliud dubium est, de habentibus literas falsas Apostolicas. Dico illi, qui habent, & non vtuntur, non incidunt in hanc excommunicationem Cœnæ, nec in excommunicationem iure contentam; nisi tamen intra viginti dies, postquam sciverint esse falsas, eas lacerauerint, aut resignauerint, sunt excommunicandi per Ordinarium, & semel excommunicati,

non

non possunt nisi à Papa absolui; non autem sunt ab ipso facto excommunicati, ita habetur cap. dura. de crim. fal. in quo capite excommunicati sunt ipso iure, qui literas Apostolicas accipiunt ab alio, quam à manibus Papæ, vel officialium, & bullatorum, nisi sint magnates, qui per Internuncium possunt accipere, quod de existentibus in Curia intelligunt Ioan. Andr. & Doct. sed iam non est ista excommunicatio in usu, & consuetudine, ut ibi Glos & Panormit. aduertunt, nisi ubi periculum falsitatis timeretur. Ex his omnibus manifestum est; qui, & qualiter sub hac censura comprehendantur, & in quo differat ab ijs, quæ habentur in iure.

*De septima excommunicatione in Bulla Cæna
contenta.*

CAPVT XXIV.

Septima excommunicatio est, contra deferentes arma infidelibus, aut Hæreticis, in duas partes est diuisa: in priori excommunicantur tria genera personarum.

Primò deferentes Saracenis, Turcis, aut alijs Christiani nominis inimicis, aut Hæreticis, per Apostolicam Sedem expressè, & nominatim declaratis, vnum aliquid ex his octo, equos, arma, armorum materiam, scilicet ferrum filum ferri, stannum, chalibem, & alia metallorum genera, quæ armorum materia sunt. Instrumèta bellica, lignamina, funes, materiam funium, aliaque huiusmodi, quibus infideles prædicti Christianos impugnant.

Secundò excommunicantur, de rebus ad statum Reipublicæ Christianæ pertinentibus certiores facientes prædictos Hæreticos, aut infideles, in perniciem, & damnum Christianorum.

Tertiò excommunicantur, consilium præstantes eisdem in eandem perniciem, & damnum Christianorum. In posteriori parte reuocantur omnia priuilegia, & concessiones, si qua in hac parte Principibus, aut priuatis personis sunt à Sede Apostolica concessa, ut in hac parte nulla sint. Aduerte, in hac Bulla esse adiunctos Hæreticos, non quoscumque, sed eos, qui per Sedem Apostolicam expressè, & nominatim declarati sunt, qualis nostris temporibus est Regina Angliæ. Pro decla-

ratione huius excommunicationis, sunt aliquot dubia declaranda.

Primum dubium est, an nomine deferentium intelligantur hi, qui vendunt absque vlla delatione, quales sunt Christiani, qui in suis terris vendunt Turcis ad se venientibus huiusmodi prohibita. Dico cum Caietan. ver. excommunicatio. cap. 20. & Nauar. super cap. ita quorundam. de Iudæ. notab. 30. nu. 41. quod non, quia cum ista materia sit pœnalis, verba sunt intelligenda in sua propria significatione. Vendere autem non est deferre. Non igitur vendentes excommunicantur in hac Bulla. At Silu. ver. excommunicatio. 7. §. 64. videtur dicere oppositum, sed primum verius est.

Aliud dubium est, an, qui in vna terra Hereticorum, vel infidelium existentes deferunt huiusmodi prohibita ad aliam terram eorundem, sint censendi deferentes. Tabie. ver. excommunicatio. 6. num. 7. & Silu. verb. excommunicatio. 7. §. 64. respondent, quod non, & allegant declarationem Gregorij Noni in extrauag. postulastis. qui id declarauit; quam quidem Tabie. dicit esse reuocatam, quantum ad excommunicationem, sed non quantum ad declarationem: unde consequitur, hac noua excommunicatione Cernæ illos esse comprehensos; si enim aliqui Christiani existentes in terris infidelium, aut Hereticorum, hæc deferrent ad alios, qui impugnant Catholicos, vtique essent excommunicati.

Aliud dubium est, an dicatur deferens, qui mandat deferri, ita vt sub hac excommunicatione comprehendatur. Ad hoc respondimus superius in cap. ... vbi generaliter negauimus, comprehendendi mandantes sub excommunicationibus latis contra aliquid facientes, nisi exprimantur ipsi mandantes, aut alijs iuribus fiat interpretatio. Idecirco sub hac excommunicatione contra deferentes, non comprehenduntur mandantes, maxime cum in hac Bulla aliquando mandantes exprimantur, aliquando non, quod est argumento non comprehendi, nisi vbi sit eorum expressa mentio.

Aliud dubium est, an, qui deferunt hæc arma ad Hæreticos, qui non sunt expressè, & nominatim per Sedem Apostolicam declarati, contrahant hanc Bullæ excommunicationem. Respondeo negatiue: nam ante huius particulæ adiunctionem, nomine infidelium, Christianæ religionis inimicorum, non comprehendebantur Hæretici; ideo enim adiuncti sunt.

Igitur

Igitur post adiunctionem, ij debent tantum intelligi, qui per verba adiunctionis significantur.

Aliud dubium est, quid per arma intelligere debeamus. Dico cum Siluest. excommunicatio. 7. §. 59. & Tabie. excommunicatio. 6. §. 1. & cum communi opinione, intelligi arma tam offensiva, quam defensiva, & hoc probatur ex l. armorum. ff. de verbor. signifi. & ex l. 3. ff. de vi. & vi armata, ubi arma vocat, scuta, galeas, gladios, fustes, & lapides. Dicunt autem prefati Doct. ea dici arma, quæ principaliter, & immediatè instituta sunt, ad præliandum, seu se defendendo, seu alios offendendo: unde cultri ad scindendum pennas vel panem, non sunt arma, ut etiam dicit Panorm. cap. Cleric. i. de vit. & honestat. Clerico. nec alia instrumenta in usum agriculturæ, & similia: unde hæc deferentes, non dicuntur deferre arma. Aduerte autem ex predictis Doct. posse ista esse arma ex intentione vtendi: nam si qui vellent his uti ad præliandum, tunc arma dicerentur etiam cultelli, & qui deferret, esset sub hac censura conclusus: Est tamen differentia inter ista arma, & priora: nam ista deferre, quando talis intentio vtendi deest, non est arma deferre: at illa priora, etiam si intentio desit, est deferre arma, & contrahitur propter hoc excommunicatio, ut notat Ioann. Andr. Panormitan. Glor. super cap. ita quorundam. de Iudæ.

Aliud dubium est, quid per lignamina intelligendum sit. Dico cum Siluest. excommunicatio. 7. §. 59. & Tabien. excommunicatio. 6. num. 3. per lignamina intelligi ligna, ex quibus possint Galeæ, Naues, aut aliæ machinæ ad impugnandum fieri, non autem ligna alia ad comburendum, aut in alios vsus extra bellum: nam illud verbum in Bulla appositum. *quibus Christianos impugnant.* cadit super singula verba antecedentia. Nauarr. cap. ita quorundam. de Iudæ in notab. 7. nu. 14. dicit, sub hoc nomine etiam comprehendi ipsas Galeas, & Naues, quæ lignamina sunt, & mihi placet, quamuis Caiet. ver. excommunicatio. cap. 20. solam materiam intelligat; verius tamen est, quod Nauarr. dicit, nam latius sumitur hoc verbum, quam in cap. ita quorundam. ubi dicitur. lignamina Galearum: hic autem sine addito ponitur, ut omnia complectatur, tam materiam, quam quæ ex ipsa materia confata sunt, & cum lignamina prohibeantur, ne naues fiant, multo magis videntur prohibita Naues, Authentico multo magis. C. de sacrosanct. Eceles.

Aliud

Aliud dubium est, quid sit intelligendum per illud verbum *aliaque huiusmodi*. In cuius gratiam aduerte, in Bullis prioribus, loco huius positum esse (aliaque prohibita) quæ particula occasionem dedit dubitationis multis; nam inuenimus iure antiquo tria genera prohibitorum. Quædam, quæ prohibentur absolute deferri omni tempore, & omni loco, qualia arma, & reliqua hic posita; hæc enim deferre ad infideles olim, & nunc etiam ad Hæreticos prohibitum est deferre, omni tempore, belli, & pacis. Quædam, quæ omni loco prohibentur; sed non omni tempore, sed tempore belli, vt mercimonia, victualia, &c. cap. quod olim. de Iudæ. Quædam omni tempore, sed non omni loco: nam in Alexandriam, & Aegyptum, & terras Soudani, nullo tempore licebat victualia, aut mercimonia deferre, vt habetur extrauag. multa de Iudæ. Et attende, tempus treugæ reputari pro tempore belli, vt habetur cap. significauit. de Iudæ. Tempora tamen extra actuale bellum, & treugæ, non reduratur tempus belli, vt bene aduertit Tabien. excommunicatio. 6. num. 5. Erat igitur dubium, an sub verbo in Bulla, scilicet (*alia prohibita*) essent comprehensa omnia hæc, ita vt tempore belli deferri mercimonia in Cœna prohiberetur, & similiter deferre in Alexandriam tempore pacis, an tantum prohibita censerentur in Bulla illa prima; reliqua verò non, sed manerent sub excommunicatione tantum in iure posita. Tabie. verb. excommunicatio. 6. §. 4. putat omnia tria comprehendi. at Siluest. excommunicatio. 7. §. 60. & Caietan. verb. excommunicatio. cap. 20. tenent, quod non; sed tantum prima. & ita ego credo: nam illud relatiuum. *alia*. referebatur ad antecedentia, in quibus sola prohibita continentur, quæ ad præliandum spectant, verbum etiam quod sequitur. *quibus Christianos impugnant*. ad idem determinatur: alijs enim mercimonijs, & victualijs non dicuntur impugnare, etiam si tempore belli ministrantur. Quamuis ergo sit peccatum, & sub censura iuris comprehensum, (nam excommunicatio prohibitorum secundorum non reseruatur; tertij verò generis est Papalis) tamen neutra sub Cœna continetur, quamuis Nauar. notab. 10. super cap. ita quorundam. limitet, quando est tempus belli in damnum Christianorum, sed non placet, nam non dicuntur infideles illis mercimonijs, & victualijs impugnare. At modo ablata est difficultatis occasio: nam posita est particula (*aliaque huiusmodi*) quæ respicit tantum ea, quæ sunt eiusdem rationis cum præcedentibus.

Aliud

Aliud dubium est, an qui defert huiusmodi ad Infideles, aut Hæreticos, non vt contra Christianos vtantur, sed vt ipsi Infideles, aut Hæretici contra alios pugnent, incurrant in hanc censuram. Dico eos incurrere, quia postea hæc manent, quibus impugnare possunt postea Christianos, nisi talia essent, quæ certum esset, non permansura post bellum contra tales Infideles. His dubijs notum fit primum genus personarū sub hac excommunicatione contentum.

De secundo verò aduerte, non semper qui certiores faciunt Infideles, aut Hæreticos de rebus Christianorum esse excommunicatos, nisi ea, de quibus faciunt certiores, sint talia, quæ statum Christianæ Reipublicæ concernunt, idque cedat in damnum, & perniciem ipsius; vtrumque enim necessarium est ad incurrendam hanc censuram.

Similiter etiam intelligendum est tertium genus personarum; non enim omnes consilium dantes sunt sub hac censura, sed dantes consilium in damnum, & perniciem Christianorum. Et hæc sunt de priori parte excommunicationis.

In posteriori verò aduerte, omnia priuilegia quibuscumque concessa, contra aliquid hac excommunicatione prohibitum, annullantur, & derogantur. pro cuius intelligentia aduerte ex Tabie. verb. excomm. 6. num. 5. duo priuilegia concessa Genuensibus; Alterum à Xisto IV. viuæ vocis oraculo, vt negotiari possent cum Infidelibus, & maxime Turcis, etiam tempore belli, non tamen de rebus prohibitis, excepta fune, quam dare oportet nauibus ipsorum, euntibus ad portus suos. Alterum est Iulij II. qui anno 1504. concessit ad centum annos, vt possint deferre species, stanni, plumbi, æris, seu rami, electri, seu ottonis. Silu. autem excommuni. 7. §. 58. refert, Venetos habere priuilegium pro mercibus deferendis, extra arma, ferrum, &c. & quamuis dubitetur de hoc priuilegio, tamen Contra. q. 51. affirmat. Possunt etiam alij habere similia priuilegia, de quibus certus non sum. Aduerte tamen, illa priuilegia deferendi mercem, extra arma, ferrum, &c. & exercendi cōmercia, non derogari in hac Bulla, quia hæc non facit mentionem de talia deferentibus, vt diximus. Illa verò, quæ sunt de deferendis armis, aut alijs in hac excommunicatione prohibitis, sunt derogata, nec amplius valorem habent.

De collatione eorum, quæ dicta sunt in cap. precedenti:
cum his, quæ sunt in iure com-
muni.

CAPVT XXIV.

Alterum nunc superest. vt hæc cōferamus cum his, quæ iure communi continentur, extra Bullam istam. In cuius gratiam aduerte, quatuor præcipuè inter alia Pontificum decreta in iure haberi.

Primum est Alex. III. cap: ita quorundam. de Iudæ. vbi communicauit tria genera personarum.

Primò, deferentes Sarracenis arma, ferrum, lignamina, Galearum. Et per Sarracenos intelligere oportet omnes, qui scilicet impiam Machometi sequuntur.

Secundò, regimen, vel curam gubernationis gerentes in galeis, & nauibus pyraticis.

Tertiò, subministrantes necessaria Sarracenis eisdem, ad impugnandos Christianos. Ista excommunicatio non est seruata. Si autem Canon hic conferatur cum hac Bulla, inueniuntur in parte latiore, in parte strictiore. Latior est, quia sub illo verbo. *subministranti necessaria.* comprehenduntur tempore belli victualia deferentes, qui sub Bulla non continentur, vt superius diximus. Vnde hi excommunicati sunt, sed excommunicatione sola iuris, quæ non est in Cœna. Simile est de dantibus, vel mutuantiibus illis pecunias, quibus indigent ad impugnandos Christianos.

Primum verò genus in Bulla continetur: similiter & secundum sub illo verbo. *consilium præstantes.* qui enim talem curam gerunt, consilium adhibent in damnum Christianorum. Ex illa parte strictior est.

Primò, quia Bulla extenditur, non solum ad deferentes ad Sarracenos, sed etiam ad quoscumq; inimicos nominis Christiani, & ad Hæreticos.

Secundò, quia complectitur gubernationis curam gerentes, non tantum in galeis, & nauibus pyraticis; sed omnium Infidelium, & Hæreticorum contra Christianos, licet Pyratæ non sint.

Tertiò, complectitur deferentes, non arma solum, & ferrum, sed stannum, plumbum, & alia metalla, quæ sunt armorum materia, & equos etiam tempore pacis, quæ non includuntur

in illo

in illo canone, nisi quatenus necessaria sunt illis Sarracenis ad bellum contra Christianos.

Quarto, complectitur certiores facientes Infideles de rebus Christianorum, ut diximus. Latior ergo est in his Bulla.

Alterum decretum est, Clem. III. cap. quod olim. de Iudæ. ubi excommunicat illos, qui tempore belli cum Sarracenis mercimonium habuerint. Similiter eos, qui per se, vel per alios, nauibus, seu quouis alio ingenio aliqua rerum subsidia, vel consilia duxerint impendenda, etiam tempore belli durante: & per tempus belli, ut diximus supra, intelligitur etiam tempus treugæ, ut habetur cap. significauit, de Iudæ. quo capite excommunicantur, non solum qui merces lucrandi causa ad Sarracenos deferunt post treugam, sed etiam qui per alios eas merces destinant. Hæc autem excommunicatio non est etiam reseruata, in qua habentes mercimonium tempore belli sunt excommunicati, tamen non in Cœna, nisi merces hæc sint arma, & alia omni tempore, & loco prohibita, ut diximus. Rursus, impendentes subsidia, nisi sint aliquid eorum, quæ in Bulla sunt prohibita, non incurrunt in Bulla; ut, si victualia, pecunias, & alia huiusmodi impenderent, hæc enim in Cœna non sunt prohibita.

Tertium decretum est Innocen. III. cap. ad liberandam. de Iudæ. qui excommunicat eos, quos supra Alexander excommunicauit, & addit vendentes galeas, aut naues, & qui machinis, vel quibuslibet alijs, auxilium, vel consilium præstant Sarracenis, in dispendium terræ sanctæ, quæ excommunicatio non est etiam reseruata, & apponitur inter alias poenas, ut illi non absoluantur, nisi totum quod habuerunt ex damnato commercio, & tantundem de suo reddant in fauorem terræ sanctæ. In hac excommunicantur vendentes galeas, & naues; in Bulla autem non continentur, nisi simul deferant ad ipsos, ut superius diximus. Reliqui continentur. Adde, quod hic Canon procedit, quando ista fiunt in dispendium terræ sanctæ, quamuis vendentes galeas absolute sint excommunicati, etiam si non in dispendium terræ sanctæ sit, propter cap. ita quorundam, quia necessaria subministrant Sarracenis ad impugnandos Christianos.

Auerte autem, non dici necessaria, quia illis Sarraceni indigent, sed quia ipsa sunt ex se necessaria ad impugnandum.

quam

quamuis Saraceni propter abundantiam non indigeant; hoc enim est per accidens, nec sic est consideratio faciendâ; sed considerari debet res ex se, & non ex accidenti.

Quartum decretum est, Clem V. in extrauag. multa. de Iudæ. vbi excommunicat illos, qui arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcumque mercimonia in Alexandria, vel alia loca Saracenorum terræ Aegypti deferunt, mittunt, vel portant, seu de portibus eorum, vt eisdem deferantur, extrahunt, vel extrahi permittunt, aut qui talia de gentibus fauorem aut auxilium quoquomodo præstant. Et autem ista excommunicatio Papæ referuata, in qua multi excommunicantur, qui non continentur in Cœnâ; illi enim tantum, qui equos, arma, ferrum, lignamina deferunt, in Bulla continentur. Ex his habes multos in iure excommunicari in hac parte, qui tamen in Cœnâ Bulla non continentur. Bulla etiam ex alia parte latior est; nam non solum ad Sarracenos, sed etiam ad alios Infideles, aut Hæreticos deferre arma prohibet. Similiter etiam certiores facientes, etiam tempore pacis: similiter etiam eos, qui pro redemptione captiuorum arma deferunt, quod quidem olim licebat, iuxta cap. significauit. de Iudæ. vt quidam putant, vt refert Silu. ver. excom. 7. & quamuis ego credo cum Glo. illius capituli, quod nec olim licebat. & cap. illud est intelligendum de alijs mercibus extra arma, ferrum, &c.

Dubium est Christianis remigantibus in Infidelium terris, mibus contra Christianos an peccent, & sint excommunicandi. Nauarr. super cap. ira quorundam. de Iudæ. dicit tria.

Primo illos peccare mortaliter.

Secundo, illos non contineri in Bulla hac, cum nullo verbo comprehendantur.

Tertio, illos incurrere excommunicationem iuris, quia necessaria subministrant, & auxiliū dant ad impugnandos Christianos. Ego certe sæpius dubius de hoc extiti, tamen semper inclino in eandem sententiam, nec audeo, nec video modum quo possim eos a peccato excusare, etiam metu mortis; non enim licet auxilium dare alicui volenti occidere alterum, etiam metu mortis, ergo nec his licet: nam Infideles intendunt occidere, & capere, & furari, & ad hoc veniunt; in casu enim hoc loquimur, quando nempe inuadunt ad occidendum, & expugnandum Christianos. Præterea si banditi aliqui velint occidere inimicos aliquos, & ad auxiliū conuocarent tres v. i. quæ-

tuor alios, minantes mortem, nisi venirent, non excusarentur venientes a peccato mortali, auxilium prestando, ergo nec illi. In alijs duobus placet etiam sententia Nauarr. quamuis Silu. ver. excom. 7. §. 64. videatur hos sub nomine executorum ab excommunicatione iuris liberare, quia non videntur vlllo verbo comprehenssi; sed tamen absque ratione, quia sub illo verbo comprehenduntur: *subministrant necessaria. & sub illo subsidia impendant.*

De Octaua, Nona, Decima, & Vndecima excommunicatione in Bulla Cœna contentis.

CAPVT XXV.

Octaua excommunicatio continet tria genera personarum.

Primò, impediendum, seu iniuentium eos, qui vidualia, siue alia necessaria ad vsum Romanæ Curiaë adducunt.

Secundò, impediendum, aut prohibentium aut perturbantium, ne ea adducantur, aut deferantur.

Tertiò, eorum, qui per se, vel per alios defendunt eos, qui talia faciunt. Ista autem excommunicatio extenditur ad omnes, etiam si Pontificali, Regali, vel Reginali dignitate, vel alia quacumque Ecclesiastica, vel seculari præfulgeant.

Nona excommunicatio fertur contra eos, qui venientes ad Sedem Apostolicam, aut ab ea recedentes, vel sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, aut detinent. Contra eos etiam, qui non habentes iurisdictionem ordinariam, aut delegatam à Papa, siue ab eius iudicibus, eam temerè usurpantes contra morantes in curia, aliquid prædictorum audent perpetrare.

Primum dubium est, quid per venientes ad Sedem Apostolicam sit intelligendum. Dico, non intelligi omnes, quorquor Romam veniunt, sed eos dumtaxat, qui ratione Pontificis veniunt: vnde qui ratione tantum stationum, vel Indulgentiarum accedunt, non dicuntur venientes ad Sedem Apostolicam. Nec, qui veniunt alio intuitu, quam ratione Pontificis, quia nimirum negotium aliquod, vel præensionem, vel gra-

F tiam,

riam, vel quid aliud cum Pontifice mediatè, vel immediatè habent: vnde, si Pontifex esset extra Romam, ibi esset Sedes apostolica, non Romæ.

Aliud dubium est, quid intelligatur per morantes in Curia. Respondet Caiet. ver. excommunicatio. cap. 14. Curiales vulgo dictos, qui ratione Curie Pontificie Romæ sunt, sive mediatè, sive immediatè Pontifici inferuiant, sive sint ex Cardinalibus, vel Episcopis, qui adsunt Curie. Vnde Romæ Ciues, & alij, qui alijs de causis Romæ sunt, propter quas essent, etiam si Curia Pontificis alibi moraretur, non dicuntur morantes in Curia.

Aliud dubium est, an illa tria verba, *Interficiunt, mutilant, captiunt, aut detinent*, eodem modo se habent respectu venientium, & recedentium à Sede Apostolica, sicut se habent respectu morantium in Curia. Respondeo, quod non, nam respectu venientium, aut recedentium satis est aliquid illorum simpliciter facere, vt hæc excommunicatio contrahatur. At verò respectu morantium non satis est; sed requiritur, vt ea fiant ex auctoritate vsurpata, nempe qui ea facit, qui iudex, & potestatem habens, faciat.

Excommunicatio decima fulminatur contra multa genera personarum, nempe contra interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, captiuentes, depradantes Romipetas, et alios, qui accedunt causa deuotionis, vel peregrinationis ad Urbem: & non solum accedentes, sed in ea morantes, vel ab eadem recedentes.

Excommunicantur etiam, qui illis auxilium, consilium, vel fauorem dant. Caiet. verb. excommuni. cap. 13. bene nota hic excommunicari, qui aliquid prædictorum faciunt contra eos, qui veniunt in Urbem Romam gratia deuotionis, etiam si Sedes Apostolica Romæ non esset: nam hæc excommunicatio est in fauorem visitantium limina Apostolorum, olim etiam erat in eos, qui talia faciunt contra Peregrinos in terram sanctam, vt refert Tabien. verb. excommunicatio. in fine.

Vndecima excommunicatio comprehendit multa genera personarum, nempe interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, captiuentes, carcerantes, detinentes, vel hostiles insequentes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios. Extenditur etiam excommunicatio ad eos

cienti-

cientes eisdem à suis Dicecesibus, territorijs, terris, seu dominijs; & ad mandantes, vel rata habentes, seu præstantes auxilium, consilium, aut fauorem in aliqua prædictarum actionum. Contra eicientes legatos, aut nuncios lata est excommunicatio in Extrauag. super gentes. Ioann. XXII. inter communes. Quæ quidem excommunicatio amplior est; nam fertur contra impediētes nuncios, vel legatos, quominus exequantur suum officium: plus autem est impedire, quam eijcere: nam omnis eiciens impedit, non tamen omnis qui impedit eicit. In hac verò Bulla soli eicientes excommunicantur; reliqui impediētes, absque eiectione, sunt excommunicati per prædictam Extrauag. quæ quidem excommunicatio non est referuata. Apponitur etiam in hac Extrauag. pœna: nam Regna, Terræ, loca talia sunt interdita, quamdiu in eadem pertinacia durauerint, quæ pœna in hac Bulla non continetur, sed sola excommunicatio; comprehendit tamen non solum prædicta facientes, sed etiam fieri mandantes, consilium, vel auxilium, vel fauorem dantes.

Aduertendum est autem, debere esse consecratos Episcopos; si enim tantum est electus, aut confirmatus, non incurritur hæc censura, ab eum vulnerantibus, capientibus, &c. sed alia Papalis. 17. qu. 4. can. si quis suadente. Ita habet Glos. Clem. si quis suadente. de pœnis. & Caietan. verb. excommunicatio. cap. 12.

Aduertendum est etiam iure esse latam excommunicationem Papalem contra fere omnes hos, ut habetur Clem. si quis suadente. de pœnis. quæ quidem complectitur fere hos omnes, & alios, qui in Bulla non continentur. Excommunicantur enim Episcoporum percussores. sub quo verbo intelliguntur mutilatores, & verberatores: nam hi percutiunt. Excommunicantur etiam interfectores. Similiter excommunicantur captores, sub quo verbo intelliguntur incarcerantes, & detinentes. Excommunicantur etiam bannientes Episcopos, quod comprehendit eicientes. Similiter excommunicantur qui hæc mandant, vel sunt socij, vel dant consilium, vel ratificant, vel dant fauorem, vel scienter recipiunt illos. Similiter excommunicantur Potestates, Rectores, Consiliarij, Consules, Balliui, Scabini, Aduocati, Officiales quocumque nomine nominentur, qui in aliquo horum culpabiles existerint. Non omnes hi in Cœna continentur, ut ex dictis apparet.

Vnde Clementina est multo amplior, quam sit Bulla in hâ parte. Aliæ etiam pœnæ ibi apponuntur, de quibus dicendum est postea in sequentibus.

*De Duodecima, & Decimatertia excommunicatione
in Bulla Cœna contenta.*

C A P V T XXVI.

Duodecima excommunicatio complectitur multa genera personarum sub se. Qui occidit, seu quoquo modo percutiunt, aut bonis spoliunt, siue per se, siue alios, directe, vel indirecte hæc committant, aut exequi procurant, aut in eisdem, consilium, auxilium, vel fauorem præstant, cuiuscumque dignitatis, aut præminentie existant, inquam aliquid ex prædictis faciunt cõtra aliquem ex his nempe recurrentibus ad Romanam Curiam ob sua negotia vel causas; aut eadem in curia prosequentibus eadem negotia vel causas; aut eorum sollicitatoribus; aut aduocatis; aut Procuratoribus; aut Auditoribus, vel Iudicibus super causas, vel negotia prædicta deputatis; siue istæ personæ læsæ sint Ecclesiasticæ, siue seculares. Limitantur tamen istæ actiones omnino propter quas excommunicatio fertur, quando occasione intuitu causarum, vel negotiorum fiunt.

Dubium esse potest hic: nam isti prosequentes negotia, causas, possunt esse simul morantes in Curia, & cum super his sit etiam lata excommunicatio contra verberantes, & mortificantes eos, qui in Curia morantur, videntur isti tales bis excommunicari. Dico ita esse: nam vnus potest multis simul ligari excommunicationibus, propter varia delicta, vt habetur 34. can. Engeltrudam. Vnde, qui hæc committit, duabus indiget absolutionibus, aut vna complectente duas, vt absoluatur a excommunicatione, qua parte incurta est propter vnâ causam, & qua etiam parte incurta est propter alteram.

Decimatertia excommunicatio multa genera personarum complectitur, quæ ipsius tenore facile lectori erunt manifestæ: tenor autem talis est: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quam seculares, cuiuscumque dignitatis, qui prætexentes fruglam quandam appellationem a grauius, vel facta executione literarum Apostolicarum, etiam in forma*

uis, tam gratiam, quam iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executoria-
 lium, & aliorum decretorum à nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis,
 Nuncijs, Præsidentibus Camere Apostolicæ, Auditoribus, Commissa-
 rijs, alijsque Iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & que
 pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias seculares, & laicam po-
 testatem recurrunt, & ab ea instante etiam Fisciprocuratore, vel ad-
 uocato appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibi-
 tiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt,
 quæ illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel exa-
 mine executioni demandari, aut ne tabelliones, & notarij super huius-
 modi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta con-
 ficere, aut confecta parti, cuius interest tradere debeant, impediunt,
 vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, notarios, executores,
 & subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum
 prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ci-
 uitatibus, locis, & regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, con-
 cutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè,
 quæ alias, quibuscumque personis, in genere, vel in specie, ne pro
 quibusuis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel literis impe-
 trandis ad Rom. Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias i-
 psas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis viantur, direc-
 tè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud
 se, aut notarios, seu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præ-
 sumunt.

De Decimaquarta, & Decimaquinta excommu-
 nicatione in Bulla Cæna
 contentis.

CAPVT XXVII.

Decimaquartæ excommunicationis tenor sic se habet.
 Excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos,
 qui per se, vel alios auctoritate propria, ac de facto quarum-
 cumque exemptionem, vel aliarum gratiarum, & litterarum Aposto-
 licarum pretextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spiritua-
 les, & spiritualibus annexas ab Auditoribus & Commissarijs nostris,
 alijsque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarumue cursum, & audien-
 tiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi

volentes impediant, ac se de illarum cognitione tamquam iudices terponunt. Quique partes actrices, quae illas committi fecerunt, & citant ad venocandum & renovari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conueniendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & poenis in illis contentis absolui per statutum, vel alias compellunt, executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, ac decretorum praedictorum quomodolibet impediunt, vel ad id fauorem, consilium, aut assensum praestant, etiam praetextu lenitiae prohibendae, vel aliarum pre tensionum, seu etiam donec ipsi nos informandos, ut dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legum prosequantur, etiam si talia committentes fuerint praesidentes Cancellariorum, Consiliorum, parlamentorum, Cancellariorum, Vicecancellariorum, Consiliariorum, ordinarij, vel extraordinarij, quorumcumque Principum secularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque praestent dignitat, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Cōmendatarij, Vicarij fuerint.

Decima quinta excommunicationis tenor talis est. Quiuē ex eorum, praetexto officio, vel ad instantiam patris, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, capitula, conuentus, & congrega Ecclesiarum quacumque coram se ad suum tribunal, auctoritatem, cancellariam, consilium, vel parlamentum, praetextu iuris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directe, vel indirecte, quouis quæsito dolore, nec non, qui statuta, ordinationes, & constitutiones, pragmaticas, seu quouis alia decreta in genere, vel in specie, ex quouis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam praetextu iuris, & suis consuetudinibus, aut privilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, & libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo leditur, vel deprimatur, aut alias quouis modo restringitur, seu nostris & dictae Sedis, ac quorumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe, vel indirecte, tacite, vel expresse praecipiuntur.

Aduerte, non excommunicari illos, qui secundum iuris dispositionem, ad suum forum trahunt personas Ecclesiasticas, ob id enim illa particula est apposta (praetextu iuris canonici dispositionem.) Sunt autem tres praecipui casus, in quibus iudex secularis iudicari potest personas Ecclesiasticas.

Primus, quando talis persona tradita est per personas, & iudices Ecclesiasticos brachio seculari, iuxta cap. cum non abbas, de iudi.

Secundus, quando est licentia Episcopi proprii, vt habetur cap. 2. de foro compe. quod intelligitur de causa ciuili, vt notat Silu. v. iudex. 1. §. 4.

Tertius est, per viam reconuentionis, vt habetur. 3. q. 8. can. 1. iuncta Gloss. quod etiam in causa ciuili intelligitur, vt idem Silu. notat. Gloss. in d. c. 2. ver. aut. de for. comp. Et hæc sententia, quod per viam reconuentionis laicus possit iudicare, in causa ciuili est communis, & à consuetudine approbata, secundo Ioan. Andr. licet non desint Doctores grauissimi contrarium affirmantes, vt notat Abb. in c. at si clerici. nu. 21. de iudic. Quæ autem sit libertas Ecclesiastica, & quando legi dicatur, inferius explicabitur, cum de quadam iuris excommunicatione, quæ super hoc idem lata est, agemus.

De Decimasexta, & Decimaseptima excommunicatione in Bulla Cæna contentis.

CAPVT XXVIII.

Decimasextæ excommunicationis tenor talis est. Nec non, qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, vel inferiores, Prælatos, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vtantur, secundum quod Canones, & Sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut alias fori eccl. Iudiciū eludentes ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant; eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrociniū, & fauorem in eisdem. In hac nihil occurrit adnotandum.

Decimaseptimæ excommunicationis tenor hic est. Quiue iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum

Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant; vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

Aduerte ex Caietan. verb. excommunicatio. cap. 27. aliquas esse necessarias condiciones, vt aliquis contrahat hanc excommunicationem.

Prima est, vt sint bona pertinentia ratione beneficiorum, Monasteriorum, vel Ecclesiarum, si qua enim bona habentur personæ Ecclesiasticæ aliunde prouenientia, hæc vsurpare, licet peccatum sit obligans ad restitutionem, censuram tamen hanc non inducit.

Secunda, vt sint bona pertinentia ad ipsas personas Ecclesiasticas, ratione beneficiorum, monasteriorum, vel Ecclesiarum obtentorum; vnde, quando beneficia vacant, nec ad personam vllam adhuc pertinent, bona talia vsurpare, licet peccatum obligans ad restitutionem, tamen hanc censuram non inducit.

Tertia, vt sit ista vsurpatio cum quadam appropriatione, quasi ad ipsum vsurpantem pertineret, & hoc intelligit Caietan. quando dicit, vsurpare bona Ecclesiæ, vt sunt Ecclesiæ, vnde milites, fures, & alij huiusmodi, qui bona Clericorum rapiunt, sicut aliorum secularium, non sunt hac censura ligati.

Quarta est, vt id sit sine expressa licentia Sedis Apostolicæ.

De Decimaoctaua, & Decimanona excommunicatione in Bulla Cœna contentis.

CAPVT XXIX.

Decimaoctauæ excommunicationis tenor sic se habet. *Quiue collectas, decimas, talleas, prestantias, & alia onera Clericis, Prelatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia impetrata, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposta eorum à sponse dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel*

alios, directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium consilium, vel fauorem prestare non verentur, cuiuscumque sint præminentie, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicumque etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & terris quoquomodo Præsidentes, & Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti.

Innouantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm alijs Concilijs Generalibus edita, etiã cum Censuris, & penis in eis contentis.

Aduerte, non solum excommunicari, qui imponunt, aut exigunt prædicta ex bonis beneficiorum. Ecclesiarum, Monasteriorum, sed etiam quando ista imponuntur ipsis personis Ecclesiasticis, etiam si beneficia non habeant. Imponentes ergo collectas, &c. super bonis patrimonialibus Ecclesiasticorum, excommunicati sunt. hoc indicat illud verbum (*eorum, & Ecclesiarum*) quod intellige, nisi personæ Ecclesiasticæ, negotiationibus secularibus se immiscerent, tunc liceret imponere illis gabellas, sicut etiam secularibus super tali negotiatione, vt notat Siluest. verb. gabella. 3. §. 1. & Clem. præsentis. & ibi Gloss. de censib. vnde non placet in hoc Nauar. c. 27. nu. 68. suæ summi. qui putauit, excommunicationem comprehendere solos eos, qui imponunt, exigunt, accipiunt onera super bonis beneficiorum. Hoc autem ita non est: nam in Bulla vtrumque ponitur.

Aduerte præterea, ex iure antiquo. c. non minus. extra de immunit. Eccles. ex Concil. Lateran. sub Alexandr. III. fuisse excommunicatos imponentes hæc onera personis ecclesiasticis, sine licentia Sedis Apostolicæ, excepto vno casu, nempe propter vtilitatem, vel necessitatem communem, quando bona secularium ad id non suppeterebant. Ista tamen excommunicationis non fuit reseruata. postea in eodem Concil. Lateran. vt habetur c. aduersus. extra eodem tit. fuit sublata ista exceptio, & determinatum, vt nec in hoc casu id liceret absque licentia Sedis Apostolicæ. hoc fuit sub Innocentio III. Postea successit Bonifac. VIII. & in c. Clericis. de immunit. Eccles. in 6. reseruauit sibi excommunicationem, & rursus extendit ad quocumque modo accipientes, etiam a donantibus. & rursus vniuersitatem talia facientem supposuit interdictioni, & extendit excommunicationem ad ipsas personas, quocumque modo, sponte etiam soluentes onera prædicta. Postea successit Bene-

dictus XI. in extrauag. quod olim de immunitat. Ecclesi. & reuocauit decretum Bonifacij, quantum ad hoc, quod non habeat locum in accipientibus à sponte dantibus, & in ipsis sponte dantibus.

Huic postea successit Clemens V. in Clement. quoniam de immunit. Ecclesi. & reuocauit utrumque decretum, & Bonifacij, & Benedicti, & voluit obseruari illa cap. ex Concil. allegata. non minus, & aduersus. His omnibus successit Bulla, & excommunicat etiam accipientes à sponte dantibus, & quod magis est, innouat omnia decreta, & Concilia generalia, & Canones super his; vnde decretum Bonifacij locum habere videretur, ac si esset in Cœna.

Aduerte etiam, excommunicationem Bullæ extendi et per se, vel per alios, directè, vel indirectè aliquid prædictorum facientes, exequentes, procurantes, consilium, auxilium, & fauorem dantes. Vbi nota, hanc extensionem comprehendere omnia à principio decimæ quartæ inclusiuè excommunicationis dictæ, vt notat Siluest. excommuni. 7. §. 70. 71. 72. Tabien. excom. 6. nu. 12. & propterea sub vno contextu copulatiuè legitur.

Extenduntur etiam omnes hæ excommunicationes, vt diximus, à decimæ quarta inclusiuè, ad omnia personarum genera, cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, præeminentiæ, vt patet in litera.

Postremò innouantur Canones antiqui, super hæc dicta cum interdicto, de quo diximus supra, & cum alijs pœnitentijs eius contentis. Aduerte tamen, non innouari decretum Bonifacij quantum ad hoc, quod ipsi clerici soluentes sint excommunicati, sed quantum ad ipsos imponentes, aut accipientes, vel exigentes: nam non innouantur Canones, nisi quantum ad prædicta in hac excommunicatione. In hoc autem non comprehenduntur soluentes, siue sponte, siue quocumque modo.

Decimæ nonæ excommunicationis tenor hic est. Excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Iudices, Notorios, scribas, executores, subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentia; etiamsi talia committentur fuerint.

fuerint Conciliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

De vigesima, & nonnullis alijs prater excommunicationes in Bulla contentis.

CAPVT XXX.

CAetera, quæ in Bulla continentur, non indigent explanatione, satis erit tenorem recitare; & si quid occurreret, breuiter adnotare.

Vigesima sic se habet. *Excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu per alios directè, vel indirectè, seu quocumque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, detinere presumpserint in totum, vel in partem Almam urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae, & Corsicae, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venasini, Sabinsensem, Marchiam Anagninam, Massam Trebaricam, Romandiolam, Campaniam, & maritimas Prouincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, Ciuitatesque nostras, Bononiam, Casennam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Aninonem, Ciuitatem Castellum, Tudertum, & alias Ciuitates, terras, & loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaque Romanae Ecclesiae mediatè, vel immediatè subiecta. Quiae supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis presumunt, necnon adherentes fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet praestantes.*

Post has excommunicationum sententias latas, multa Pontifex facit.

Primo quidem referuat absolutiones Sedi Apostolicæ, excepto mortis articulo, quas nec tunc dari præcepit, nisi prius facta satisfactione, aut præstita cautione de stando mandatis Romani Pontificis.

Secundo, reuocat omnia priuilegia, per quæ absolutio extra mortis articulum poterat ab alio, quam a Romano Pontifice exhiberi. Reuocat etiam tales facultates, etiam datas ante Concilijs generalibus, ex quo habes reuocari facultatem, quæ dabatur Episcopis, sess. 24. cap. 6. vt per se, vel per suos Vicarios absoluerent à casibus omnibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ referuatis, etiam ab hæresi: sed ab hac per se

tantum.

tantum, non per Vicarios. hoc autem reuocatum est per Bullam hanc, etiam quantum ad forum interius.

Tertio protestatur Pontifex absolutionem solemnem in die Iouis Coenae faciendam non comprehendere, nec suffragari vlli ex praedictis, nisi prius a commissis cum vero proposito similia non committendi destiterint: vbi, ne decipiaris, putans Papam eo die absolueri generaliter excommunicatos omnes; nulla enim tunc absolutio ab excommunicatione fit, sed per hanc protestationem id significat, quod generalis benedictio illa, quae tunc fit, non suffragatur vlli excommunicato ad effectum auferendi excommunicationem absque alia absolutione.

Quarto declarat, eos, qui statuta, pragmaticas, vel similes fecerunt contra libertatem Ecclesiae, nullam absolutionem esse profuturam, nisi prius reuocauerint, & de suis Archiuis, locis capitulis, vel libris deleuerint, & de reuocatione hac Romani Pontificem certiores fecerint.

Quinto reuocat quaecumque priuilegia concessa principibus, Regibus, & quibuscumque, vt nequeant excommunicari, aut quae impediunt, quominus haec Bulla locum in eis habeat.

Sexto fulminat excommunicationem latae sententiae contra eos, qui presumpserint absolueri aliquem ex praedictis, aliter quam decretum est per Bullam. In qua excommunicatione dubium oritur, An ista excommunicatio sit reseruata sicut praedicta. Aduerte, Paulum Secundum in sua Bulla, etiam huic excommunicationi addidisse expressam reseruationem, nempe, vt nemo praedictum absoluentem absoluat, praeter Romanum Pontificem, vt refert Fely. c. pastoralis, de offi. iudi. ordin. §. praeterea, num. 9. sed iam talis expressa reseruatio a multis annis est ablata: ob id modo dubium est, an censenda sit reseruata. Et dubium facit; nam, vt diximus, ista Bulla est ab homine, & vt habetur in praedicto cap. pastoralis, excommunicatio ab homine ab eodem, qui fulminauit, vel a superiore tolli potest; ergo, cum sit ista a Papa, a nullo alio aufertur. Hoc non obstante, tenet Nauar. c. 27. num. 74. non esse reseruata, & ratio est, quia etiam si sit ab homine, est generalis, & non lata contra personam determinatam, & talis excommunicatio assimilatur excommunicationi a iure, vt si non est reseruata expresse, censetur non reseruata. Hoc probabilius putat licet Fely. loco citato teneat contrarium; ob id enim olim ap.

ponebatur reseruatō, quia ex se non erat reseruata, etiam si ab homine esset: nam, vt superius diximus, quando generalis est, conditionem iuris habet.

Septimo præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatibus vbilibet constitutis, vt per se, vel per alium, seu alios, præsentēs literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Octauo præcipit Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque locorum Ordinarijs, & Ecclesiarum Prælatibus, necnon rectoribus, cæterisque curam animarum exercentibus, ac presbyteris secularibus, & quorumuis ordinum regularibus ad audiendas peccatorum confessiones, quauis auctoritate deputatis, vt transumptum literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

*Qui contrahant excommunicationem, ab iniectio-
nem manuum in Clericos.*

CAPVT XXXI.

IN explicandis alijs excommunicationibus Papalibus hunc ordinem obseruabimus, vt primo loco eas, quæ in Decretis continentur, exponamus, quia hoc ius est antiquissimum. Deinde, quæ in decretalibus. Deinde, quæ in Sexto. Et postea, quæ in Clementinis. Et postremo, quæ in Extrauentibus. Prima ergo habetur 17. q. 4. Can. si quis suadente diabolo, & est Innocentij Secundi. Si quis, inquit, suadente diabolo, huius sacrilegij vitium, vel crimen incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluerē, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico coospectui præsentetur, & eius suscipiat mandatum. Hic canon generalis est ad vtrumque sexum, quamuis dicatur, si quis, vt notat ibi Gloss. & probatur ex c. mulieres, extra. de sen. excomm.

Quatuor autem in isto canone ponuntur necessaria, vt talis excommunicatio contrahatur.

Primò,

Primò, vt sit manuum iniectio, & per iniectiõem manuum intelligitur quicumque effectus violentus, in personâ vel in adhærentia personæ, vt notat Silu, verb. excomm. 6. §. etiam, vnde Gloss. citata notat, manuum iniectiõem dici, si quis aquam proiciat, vel puluerem, vel saliuam, per modum iniuriæ, immò tentio violenta sine vlla læsione est iniectio manuum, vt habetur cap. nuper. de sent. excom. & idem dicitur de his, qui eripiunt e manibus, aut corpore aliquid, vt ad frenos equi manus admonent, aut abscindunt cingulum phipij, aut eum ita furiosè persequuntur, vt cogat se præcipitare in flumen, aut aliud discrimen ad se liberandum pati, secundum communem text. Nauar. in sum. c. 27. num. 77. per tex. in d. cap. nuper, §. nos igitur de sen. excom. vbi habetur, etiam citra corporalem læsionem violentiam sæpius circa clericos nequiter perpetrari. Secus tamen, si clericum insequitur, vt cædat, & ille sine percussione cadat, & lædatur, vt dicit Silu. verb. excomm. 6. num. 5. ver. 7. Denique iniuriõsus effectus realis, licet non sit violentus, d. cap. nuper. puta, si percussit quis clericum subiicientem se sponte verberibus, si non facit iocose, vt dicit Abb. in cap. contingit, t. num. 5. de sent. excomm. vel ipsemet clericus se ipsum percussit secundum communem text. Abb. vbi supra. quia priuilegium clericale dicitur esse non fauore proprio, sed ordinis clericalis, cap. 1. & cap. de monialibus, de sent. excomm. Abb. in d. c. contingit in fin. De hoc autem effectum realem: nam aliàs non est manuum iniectio, vnde Siluest. excommu. 6. §. 2. dicit verba iniuriõsa, comminationem, immò eleuationem manus, vel ensis ad percutiendum, si effectus non sequitur, non esse iniectiõem manuum, iuxta Gloss. communiter receptam in c. si quis pulsatus de pœnit. dist. 1.

Secundò debet esse violenta, ad excludendum casum: nam quando casualis, etiam si sit homicidium, immò fiat cum peccato mortali, quia forsã non est adhibita diligentia, non inducit hanc excommunicationem, quia non est violenta, aut iniuriõsa iniectio.

Tertiò debet esse suadente diabolo, idest notabilis ita, vt sit peccatum mortale; pro solo enim mortali peccato excommunicatio maior fulminatur, vt habetur. ii. quæst. 3. can. nemo.

Quartò debet esse facta in clericum, vel in monachum, & per clericum intelligimus etiam, qui solam habet primam tonsuram,

suram,

suram, cap. cum contingat. de ætat. & qualit. Immo etiam, si
 coniugatus sit, gaudet priuilegio huius canonis, dummodo
 tonsuram, & habitum ferat, & cum virgine cõtraxerit, vt habetur
 c. 1. de cleric. coniuga. in 6. Hodie verò per Concilium Triden.
 cap. 6. sess. 23. requiritur vltcrius, quod alicuius ecclesiæ serui-
 tio, vel ministerio ab Episcopo deputatus ecclesiæ seruiat, vel
 ministret, & eodem gaudent priuilegio etiam Clerici coniu-
 gati cum virgine, qui dimiserunt habitum, illo reassumpto, dũ-
 modo non reassumant in fraudem, vt dicit Ancar. qui alios
 citat in cap. vnico. de Cleric. coniug. per illum text. in fin. vbi
 non portantes habitum, priuilegio non gaudeant: non autem
 dicitur, quod perdant. Illo ergo, quando cunque portent, gau-
 debunt, & quatenus diceretur, quod perdunt, intelligeretur
 vsque ad reassumptionem. Immo etiam Clericus excom-
 municatus, interdictus, suspensus, irregularis, degradatus so-
 lum verbaliter, sed non realiter, gaudet hoc priuilegio, vt ha-
 bent Doct. cap. ex parte. extra de Cleric. coniug. immo degra-
 dati verbaliter, etiamsi sint incorrigibiles ex iteratione de-
 lecti gaudent eodem priuilegio, quousque fuerint ter moni-
 ti secundum Abb. in cap. cum non ab homine, numer. 28. de
 iud. & in cap. contingit. 1. numer. 12. de sen. excomm. Per mo-
 nachum autem intelligimus monachos, & regulares profes-
 sos, & conuersos eorum, cap. non dubium. de sent. excomm. &
 monachas, & earum conuersas, cap. de monialibus, de sent. ex-
 comm. immo nouitios, & nouitias, vt habetur cap. religiosa.
 de sent. excomm. in 6. Similiter & fratres tertij ordinis S. Do-
 minici, vel S. Francisci, qui gregatim viuunt, & habitum por-
 tant religiosum secundum Rot. in antiq. decis. 332. in fin. & Fe-
 lyn. in cap. 2. numer. 10. de foro. comp. & idem dic de Hæreni-
 tis subiectis alicui regulæ, vel superiori, secundum Siluest. ver.
 Hæremita. numer. 2. qui ita restringit Gloss. in cap. qui verè. 16.
 q. 1. indistinctè loquentem. Idem etiam dicendum de illis, cui
 se, & sua obtulerunt cum alteratione habitus. Silu. ver. Eccle-
 sia. 1. numer. 6. ver. adde idem. Atque etiam de militibus S. Ioan-
 nis Hierosolymitani, qui profitentur regulam S. Augustini.
 Silue. vbi supra: ipsi enim emittunt tria vota, iuxta cap. cum
 ad monasterium de stat. regular. & dicuntur personæ religio-
 sæ, ac promittunt obedientiam superiori, vt dicit Pute. de-
 cis. 363. libr. 1. Et aduerte, secundum Felyn. in capit. à nobis. 2.
 nu. 4. de sen. excom. priuilegium concessum clericis, aut mona-
 chis, quod illorum percussores sint excommunicati, habere

locum

locum tūm si percutiantur viui, tūm etiam si mortui. Iniectiones ergo manus violentas in prædictas personas, excommunicationem Papæ referuatam incurrunt.

Quamuis autem per hunc tantum canonem, soli iniectores manus violentas in prædictas personas, excommunicationem hanc contrahant, tamen ad alia quatuor personarum genera, per alios canones à Pontificibus declaratur, & extenditur.

Primò, qui mandant prædictam manuum iniectionem etiam si per se eam non committant, ita habetur c. mulieres tent. excom.

Secundò ij, quorum nomine facta est, etiam ipsis ignorantibus, tamen posteaquam se iuerunt, ratificauerunt; talis enim rati habitio retrahitur, vt habetur in c. cum quis de sen. & com. in 6. vbi habetur, quod quando rati habitio est iniectio nis, sed non est iniectio facta nomine illius, qui ratificat, tunc non contrahitur excommunicatio, sed tantum peccatū, quando vero nomine illius facta erat, tunc contrahitur excommunicatio canonis, si quis suadente. Et aduerte, illud dici factum nomine alicuius, quod eius sit contemplatione, Glossa in c. cum quis verb. tuo nomine. de sent. excom. lib. 6. Aduerte milititer, quatuor requiri ad hoc, retrahatur delictum aliterius nomine factum, secundum Io. de Anan. in c. laudabilem. de conuer. coniug.

Primò, quod nomine illius sit factum.

Secundò, quod habeatur ratum: nam si diceret, doleo, quod sit factum nomine meo, sed gaudeo, quod sit factum, non dicitur ratum habere.

Tertiò, quod sit tale delictum, quod per alterum possit committi; secus si non potest, vt est adulterium.

Quartò, quod rati habitio eodem tempore possit fieri, quod sit actus; qui enim rata haberet, quæ gesta sunt nomine eius quando erat infans, non dicitur ratum habere, quia non poterat illum actum tunc facere. Aduerte vltèrius, quod habeatur ratum incidit in pœnam ex nunc, quo ratum habuit, & nõ tunc, quo delictum fuit perpetratum, Glo. in d. c. cum quis vel incurris Abb. in c. sicut uis nu. 7. de simon.

Tertiò consentientes tali iniectio ni, vt habetur in c. quareta, vbi Glossa bene aduertit, non omnes consentientes excommunicari, sed eos, qui ad prædictam iniectio nem cooperantur, vel consilium, vel auxilium, vel fauorem dando.

Quartò

Quarto, qui possunt obuiare iniectioni predicta, & non obuiant. ita habetur eodem c. quarta, & licet ibi Gloss. limitet ad eos, qui non obuiant, cum possint, & ex officio, vel auctoritate obuiare tenentur: generaliter tamen, siue habeant iurisdictionem, siue non, si dolose non obuiant, quod incidant in canonem tenent Host. in d. c. quarta, in fin. & ibi Abb. nu. 7. & Boic. nu. 6. Secus, si ex negligentia, vel quia nolunt se immiscere rumoribus aliorum, tunc non incidunt in canonem, qui requirunt dolum, vt per Host. & Abb. & Boic. vbi supra Silu. verb. excom. 6. nu. 5. ver. quinto.

Qui excommunicati ob manuum violentam iniectionem, ab alio, quam à Romano Pontifice absolui possint.

CAPVT XXXII.

Aduertendum est ex Panorm. & Ioan. Andr. c. peruenit de sent. excomm. triplicem esse lesionem, enormem, leuem, mediocrem. Enormis est, vt habetur c. cum illorum, §. qui si claustrales. in fin. de sent. excommun. quando processum est ad membri mutilationem, vel effusionem sanguinis; aut ratione persona, quando in Episcopum, aut Abbatem violenta manus est iniecta. Per mutilationem intellige cum Silu. absolutio 4. §. 2. quando est truncatio membri, aut vulnus, ex quo est inhabilitatio membri. Per effusionem sanguinis intellige, quando est copia, & abundantia, vt Gloss. in eodem c. cum illorum. notat: nam verbum effusionis, abundantiam significat, vt habetur 16. q. 1. can. reuertimini. & notat Silu. loco citato, non debere esse copiam è loco, vnde facile egreditur, vt è naribus, sed aliunde. Aduerte etiam ex eodem cap. quando lesio esset in aliquam aliam similem personam, vnde scandalum ortum esset in populo, esset enormis lesio, vt in eod. c. declarat Iano. Leuis autè est illa, quæ fit pugno, palma, manu, pede, ligno, lapide non facientibus vulnus, vt declaratur in extrauag. perlectis, cuius meminit Hostica. in cap. peruenit. de sen. excomm. Non vocamus autem leuem, quæ fit sine mortali peccato: nam propter talem non incurritur excommunicatio, sed quæ fit cum mortali, sed respectu enormis, leuis censetur. Est autem, vt habetur in ex-

G

trauag.

trauag. perlectis. ad iudicandum læsionem leuẽ iudicium faciendum, non solum facti, sed qualitatũ, & modi, & circumstantiarum aliarum, loci, & personarum, propter, quæ, quæ leue est, potest esse graue. Mediocris læsio est, quæ media est inter enormem, & leuẽ, nec de hac potest esse regula eadem iudicium tamen pertinet ad Episcopum, vt dicit Hostien. c. peruenit. citato. Addit Silu. absolutio. 4. §. 3. etiam ad simplicem sacerdotem, qui ab Episcopo habet absoluendi potestatem. Hoc supposito nonnulla notanda sunt.

Ab excommunicatione contracta ob iniectonem manũ violentam in Clericum ex leui læsione, potest Episcopus absoluerẽ, tam sæculares, quàm Clericos. ita habetur expressè peruenit. de sen. excom. & ibi Gloss. & Panorm.

Rursus à contracta ob læsionem mediocrem, potest Episcopus absoluerẽ Clericos collegialiter viuẽtes, si forte vnus eorum percussit, sed non ob enormem, ita habetur, c. quoniam de vit. & honest. Cleric.

Rursus, quando sunt monachi, seu religiosi in claustro congregati, & vnus alterum lædit, à proprio superiori potest absolui, quod si percussus est alterius claustri, ab vtroque superiori debet absolui, si læsio est leuis, vel mediocris; tamen si enormis, à Papa. Hæc dicuntur c. cum illorum de sen. excom. in eodem c. habetur, quod si percussus est Clericus sæcularis, tunc religiosus percutiens à Papa est absoluendus, intelligitur ob mediocrem: nam ob leuẽ potest Episcopus solus: non autem Prælati Religiosi percutiẽtis, iuxta c. religioso. de sen. excom. in 6.

Rursus, si ostiarius Principis, Prælati, vel alterius potestatis sui officij causa lædit Clericum, non animo iniuriandi, sed ob detinendam turbam, aut officij sui causa, absoluitur ab Episcopo, si leuis, aut mediocris læsio fuerit; sed non nisi à Papa, si enormis, vt habetur c. si vero. i. de sen. excom.

Rursus, quando impedimentum legitimum temporale occurrit, quominus iniector manus violentæ possit ad Sedem Apostolicam venire, vt quia habet inimicitias, vel ob alias istas causas, tunc potest ab Episcopo absolui cum iuramento, vt cessante impedimento veniat ad Sedem Apostolicam, ita habetur c. de cætero. de sen. excom.

Rursus serui absoluuntur ab Episcopo, etiam ob enormem læsionem, sed in duobus casibus.

Vnus

Vnus, quando seruus fecit in fraudem, vt se à domino liberaret.

Alter, quando, etiam si non in fraudem fecerit, tamen eius absentia est in magnum detrimentum Domini, nec Dominus in culpa læsionis fuit.

Adhuc etiam in his duobus casibus ab Episcopo non potest absolui, quando est tam enormis læsio, vt ad vitandum scandalum, vel tollendum exemplum, sit mittendus ad Sedem Apostolicam. Ista habetur c. relatum de sen. excom. quod non intelligitur de alijs famulis liberis.

Si tamen seruus ad libertatem peruenerit, debet ad Sedem Apostolicam venire, quando ob enormem, vel mediocrem est absolutus ab Episcopo, & cum tali iuramento est absoluentis, c. quamuis de sen. excom. sicut fit in alijs impedimentis temporalibus.

Aduerte autem, quod in omnibus casibus, in quibus data oportunitate tenentur Papam adire, si non adeant, sunt periuri, quia non seruant iuramentum, & reincident in eandem sen. excom. non quod prima reuiuiscat, sed est noua excommunicatione à iure lata propter contemptam, vt dicit Abb. in c. ex ten. in fin. de sen. excom. per rex. in c. eos eo. tit. lib. 6. Sunt autem alij casus, in quibus potest Episcopus absolueri ab hac excommunicatione, ob quamcunque læsionem contractam.

Primo, quando sunt pueri ante annos pubertatis, seu annos quatuordecim, vt habetur cap. super eo. de sen. excom. nec tenentur venire ad Sedem Apostolicam facti grandiores, vt habetur c. quamuis eod. tit. immò si contraxerunt excommunicationem ante annos pubertatis, & quando absoluendi sunt ultra annos pubertatis, absolui possunt ab Episcopo, vt habetur c. vlt. eod. tit.

Secundo, mulieres cuiuscumque ætatis, & conditionis absoluuntur ab Episcopo c. mulieres eod. tit.

Tertio Moniales ab Episcopo Diocesano etiam absoluuntur, c. de monialibus eod. tit.

Quarto, impotentes ad iter, vt cæci, claudi, & similes, ita habetur cap. ea noscitur eod. tit.

Quinto, quando sunt pauperes, vt nequeant sustentari, nisi suo labore, nec tenentur venire ad Sedem Apostolicam mendicantes, c. quod de his: eod. tit. quod est verum, nisi ipse esset solitus mendicare, & medicando sibi prospicere, vt notat Abb. in c. ea noscitur in fin. de sen. excom. Et hoc limita, si sit solitus

mendicando sibi, & familiae prospicere: itinerando aut familia non posset prospicere, quia tunc non teneretur ire, secundum Abb. vbi supra. Sed hi, si post venirent ad pinguem fortunam, tenentur venire, iuxta c. quamuis. eod. tit. vbi inter habentes impedimentum temporale soli pueri excipiuntur.

Eodem priuilegio fruuntur Monachi, qui non habent vicium, & monasterium pauperum eis providere non poterunt, quoniam, & tales absoluit Episcopus. Gloss. in c. religioso. vt exhiberi in fin. de sen. excom. lib. 6.

Sexto, quando sunt personae magnae potentiae, & irascibili, quod laborem veniendi non possunt sustinere; tunc etiam status personae, & veritas negotij est intimanda Romano Pontifici, vt de commisso scelere secundum consilium eius cogantur, priusquam absoluantur, vt habetur c. mulieres, eod. tit.

Septimo, qui sunt in senili aetate ab Episcopo absoluantur, vt habetur c. quamuis, eod. tit.

Hic autem aduertenda sunt tria. Vnum est, quod in casibus his omnibus, in quibus Episcopus potest absolvere, absolutionem potest committere presbytero, vt habet Gloss. in c. cetero eod. tit. & superius hoc diximus.

Alterum est, legatos de latere Romani Pontificis, habent facultatem de iure communi absolendi quoscumque excommunicatos, ob manuum violentam iniectioem, ita habetur c. ad eminentiam. de sent. excom.

Tertium est, occultos etiam excommunicatos, ob iniectioem manuum praeter enarratos, non posse ab Episcopo absolui, sed sunt mittendi ad Sedem Apostolicam, vt habetur c. porro, eod. tit. vel ad legatum de latere, iuxta c. ad eminentiam allegatum. Hodie tamen per Concilium Trident. c. 6. sess. 24. habent Episcopi potestatem absolendi a quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicae reseruat.

In quibus casibus non contrahatur praedicta excommunicatio.

CAPVT XXXIII.

Multi sunt etiam casus, in quibus ex Clerici, vel Monachi laesione, vel manuum iniectioem non contrahatur excommunicatio vlla.

Primus

Primus, quando facta est ioco, etiam si iocus non sit cum modo. ita habetur cap. i. de sent. excomm. quia id non facit suadente diabolo, quod requiritur iuxta cap. si quis suadente, 17. qu. 4.

Secundo, ob eandem causam, quando fortuito fit, ut si aliquis, dum irruentem turbam cohibet, fortuito percutit Clericum, vel monachum, non est excommunicatus, ita habetur c. si vero, 1. de sen. excom. In quo c. est etiam.

Tertius casus, quando, qui percutit vim vi repellit; cum moderamine inculpatæ tutelæ; tunc enim in deitionem etiam si occidat, non est excommunicatus, immo nec irregularis, ut habetur Clem. vni. de homi. In eodem etiam c. si vero. habetur.

Quartus casus, quando percutit incontinenti Clericum, vel Monachum turpiter inuentum cum vxore, vel matre, sorore, vel filia; tunc enim licet peccatum sit manum iniicere, & occidere secundum communem, per c. ad hæc. Glo. 33. q. 2. tamen non contrahitur excommunicatio. Si verò sit inuentus cum alijs personis remotioribus ipsi percutienti, tunc est excommunicatus.

Aduerte autem, quod si Clericus taliter repertus occideretur animo deliberato, & non calore iracundiæ, occidens in canonem incideret, secundum Silu. in ver. excom. 6. cas. 10. quem refert: & sequitur Couar. in 4. lib. decret. 2. part. c. 7. nu. 12. Aduerte rursus, nomine vxoris etiam intelligi sponsam de præfenti secundum omnes, teste Silu. vbi supra. Nominem autem matris, & filie, non intelliguntur omnes ascendentes, & descendentes, sed ipsa tantum mater, & filia, ut habet Gl. in d. c. si vero. ver. matre vbi Abb. num. 9. & Hostien. in fin. dicunt id esse tutius; licet in d. c. in fi. contrarium tenuit Inno. sub nomine scilicet matris, & filie, contineri omnes ascendentes, & descendentes.

Quintus casus habetur in c. si ver. 2. eod. tit. qui enim percutit Clericum cum ignorantia probabili facti, nempe ignorans esse Clericum, quia Clericus non habebat signa, unde Clericus apparet, tunc non contrahit excommunicationem. Et idem dicendum est, si noctu percussit, quamuis signa Clericatus haberet, ignorando esse Clericum, quamuis, qui percussit daret operam rei illicitæ, ut bene dicit Nauar. c. 27. num. 30. licet id neger. Silu. excom. 6. § 6.

Sextus casus est, quando Clericus est realiter degradatus;

tunc enim perdit priuilegium Clericale, c. degradatio. de po-
nis in 6.

Septimus, quando negotiationibus prohibitis se immisce-
& ter admonitus à Prælato non desistit, c. ex literis. extra de
vit. & honest. Cleri.

Octauus quando relicto habitu arma defert militaria, & ter
admonitus non desistit, c. in audientia. extra. de sen. excom. 2.
nota non fat esse arma deferre cum habitu, quamuis Nauar.
cap. 27. num. 80. id affirmet, sed re vera textus contrarium o-
stendit.

Nonus est, quando relinquit habitum Clericalem, qui
ueste, & tonsura consistit, & ter admonitus non se emendat,
contingit. 2. de sen. excom. vbi Panor. nu. 4. docet, debere esse
has admonitiones tres distinctas, & non sufficere vnam pu-
tribus, & debere esse ab Episc. seu Prælato ipsius Cler.

Decimus est cap. 1. de vit. & honest. Cler. in 6. vbi Clerici
qui faciunt se ioculatores, goliardos, buffones, perdunt priu-
legium Clericale, si per annum perseuerant, aut si ante annu-
ter admonentur à Prælati, & non desistunt.

Vndecimus est in Clem. de vit. & honest. Cler. qui enim pu-
blice, & personaliter exercent officium Tabernariorum, vel
Macellariorum, si ter admoniti non desistunt, vel post admo-
nitionem iterum reuertuntur, etiam si destiterint, perdunt priu-
ilegium Clericale. Et in his casibus non contrahitur excom-
municatio ex manu iniectioe seu percussione in Clericum,
vel Monachum.

Duodecimus est casus, si mulier percutit Clericum de su-
pro illam tentantem, modo tentatio fiat facta, & non solum
verbo. Ang. ver. excommunic. §. 21. Nauar. in summ. cap. 27. nu-
mer. 85.

Decimus tertius, si Clericus, qui prius admonitus fuerat, ut
à colloquio cum vxore abstinere domi, etiam honeste, pos-
sita inuentus esset cum ea, etiam honestè loquendo, & detine-
retur per viginti horas ad tradendum eum suo iudici, non con-
traheret excommunicationem, ut dicit rectè Nauar. in summ.
27. num. 85.

Alius est casus numero Decimus quartus, quando talis erit
excommunicatio non contrahitur, nempe, quando in corre-
ptionem, vel disciplinam sit leuis percussio. In cuius gratiam
aduerre, ex cap. cum voluntate. de sen. excomm. sex generibus

perfo-

personarum licere leuem percussionem Clerici, vel Monachi.

Primò ijs, qui curam Ecclesiæ habent eijsendi turbantia officium; hi enim Clericos in minoribus cõstitutos, diuinum officium turbantes possunt percutere & castigare.

Secundò, seniores alij clerici possunt idem præstare zelo deuotionis.

Tertiò, Prælati respectu subditorum.

Quartò, Magistri respectu discipulorum.

Quintò, domini respectu eorum, qui de familia sunt.

Sextò propinqui, vt parentes, & alij etiam propinqui secundum carnem. Circa hunc canonem nonnulla dubia occurrunt.

Primum est, quos clericos liceat his personis percutere gratia disciplinæ, vel correctionis.

Dico primo secundum omnes, duobus primis generibus licere percutere in minoribus tantum constitutos; ita enim canon expressè concedit,

Dico secundò, prælati, & magistris licet percutere etiam sacerdotes. ita habent Panormit. cap. vniuersitatis de sent. excommuni. & Angel. excommuni. §. 10. & canon his non limitat sicut prioribus. De alijs duobus est difficultas, & præcipuè de patre respectu filiorum; sunt enim duæ opiniones. Prior est Ioan de lig. c. cum voluntate. allegato, Siluest. excommuni. 6. §. 6 & Tabien. excommuni. §. cap. 1. num. 8. qui licere dicunt patribus, filios etiam Sacerdotes percutere correctionis causa. Posterior est Panor. cap. cum voluntate. allegato, & Gloss. ibidem, & alterius Gloss. cap. 1. extra de sent. excommuni. qui id negant, & dicunt patres non posse percutere, nisi in minoribus tantum constitutos, & ego ita credo, & ratio hæc est, quia illud caput. Cum voluntate, cum dat propinquis talem facultatem, similiter & dominis respectu familiæ, limitat expressè de constitutis in minoribus, sicut etiam circa illa prima duo genera. Vt ergo primis non licet castigare constitutos in facris, vt bene Gloss. notat in prædicto cap. cum voluntate, ita nec propinquis, & consequenter nec patribus, & hoc tutius est.

Aliud est dubium, an quando modus exceditur in correctione seu castigatione, contrahatur excommunicatio. In hoc sunt duæ Gloss. contrariæ, Gloss. enim cap. vniuersitatis de sen. excomm. tenet partem affirmatiuam; & Gloss. cap. cum

voluntate citato tenet negatiuam. Potest vtraque concordari cum sententia Silu. excom. 6. §. 6. & Tabien. excom. m. §. casu nu. 6. nempe contrahi, quando excessus est paruus, vel subitaneus in quo nec dolus, nec mortale peccatum notatur, alias contrahitur.

Aliud est dubium, an quando prædictæ personæ percussæ etiam prætextu correctionis, sed non ob correctionem, sed odio, vel vindicta, vel alia mala intentione, contrahant excommunicationem. Respondetur ex sententia communi, quæ tenet Silu. & Tabie. locis proximè citatis, contrahere tunc excommunicationem; non enim aliter est concessa eis talis culpa, nisi ob prædictum finem.

Aliud dubium est, an prædictæ personæ possint per alium caligare.

Ad hoc dico primò, Episcopis non licet per se cadere fidei, sed debent per alium, scilicet clericum cadere clericum, ita habetur canon. non liceat d. 86. ibi tamen Gloss. limitat, nisi sit defectus clerici, per quem id faciat. Eandem limitationem dant Gloss. can. in summa. d. 45. & Gl. cap. vniuersitatis. de sen. excom. Non credo tamen, si per se id facerent, quod excommunicationem incurrerent: nam iuxta eum voluntate licet Prælati absque excommunicatione percussere leuiter subditos, nec ille can. non liceat. id prohibet sub excommunicatione.

Dico secundò, Abbati non licet per alium cadere monachum, vel conuersum, sed per se ipsum, nisi necessitas urgeat, ita habetur c. vniuersitatis. de sen. excom. aliter vterque excommunicatus est, Siluest. ver. excommunicat. 6. §. 6.

Dico tertio, qui per laicum clericum cedit, etiam ob correctionem, & iusta causa existente, contrahit excommunicationem Papalem, tam ipse, quam qui mandatum exequitur. Ita habetur in prædicto c. vniuersitatis, quod etiam si de Abbate loquatur, Doct. vniuersaliter intelligunt de quocumque mandante per laicum, etiam gratia correctionis.

Hinc mouet dubium Panorm. c. cum voluntate. citato de his, qui per laicos dant torturam clericis, & non excusant eos Panorm. licet consuetudo. Nauar. autem c. 27. nu. 86. excusant censuram, sed non a peccato. Tabien. autem excom. §. cap. i. nu. 7. omnino excusat ob consuetudinem, & quia clericus non inuenitur, qui id possit facere, aut velit. Idem Silu. loco citato. & hoc videtur probabilius.

Dico

Dico quarto, alijs ab Episcopis non licet percutere per alios sed per se, nisi Abbatibus urgente causa: non autem magistris, & patribus: & si per laicos percutiant, ab excommunicatione non liberantur: nam canon ipsis tantum, non ut per alios id faciant, talem dat facultatem; immo etiam si per clericos percutiant, ut dicit Siluest. ver. excommunicatio. 6. §. 6. ab excommunicatione non sunt immunes.

De nonnullorum dubiorum resolutione.

CAPVT XXXIV.

Nonnulla dubia occurrunt, ex quorum resolutione perfectius ista materia declaratur.

Primum est, an qui mandat percuti clericum, & ante percussorem reuocat mandatum, incidat in sententiam excommunicationis, si mandatarius percutiat?

Ad hoc dico. Primo, si reuocauit mandatum, ita ut reuocatio pertineat ad mandatarium, non incidit in excommunicationem, etiam si mandatarius postea percutiat. Ista est doctrina Glos. cap. mulieres, de sent. excomm. quam Doct. communiter sequuntur. Immo in tali casu, si mandatarius occidat, vel mulier, mandans non incurrit in irregularitatem, ut tenent Innocen Ioan. de Ana. Panorm. cap. ad audientiam. de homici. ubi dicunt, sufficere ad hoc, etiam virtualem reuocationem, ut si mandans fecit pacem, vel amicitiam, vel contraxit parentelam cum aduersario, sciente mandatario; tunc enim virtualiter reuocat, & si postea mandatarius exequatur mandatum, non propterea fit irregularis mandans, & multo minus contrahit excommunicationem, si percussus sit clericus, vel monachus. De irregularitate autem dicemus inferius.

Dico secundo, quando mandans reuocauit mandatum, sed reuocatio ad mandatarium peruenire non potuit, tunc mandans contrahit excommunicationem, si mandatarius percutiat. Hoc dictum est Angel. excommuni. 5. §. 31. quamuis contrarium teneat Glos. cap. cum quis, de excommuni. in 6. ubi dicit non contrahi excommunicationem in tali casu; sed contrarium est verius, & ratio est: nam quando reuocat mandatum, non est res integra, cum cesserit aliquid iam in detrimentum illius, contra quem est mandatum: nam est status talis, in

quo nocumentum remoueri non potest, & est simile de eo qui emisit bombardam, & antequam globus perueniat ad terminem, eum poenitet, & animum mutat, sed globum reuocare nequit, tamen non ob id ab excommunicatione liberatur.

Dico tertio, quando mandans moritur ante mandati executionem, etiam si postea mandatarius percutiat, non contra hit mandans excommunicationem. Istud est Gloss. cap. mulieres. de sent. excomm. & Angel. excomm. 5. §. 33. Ratio tamen Gloss. non est bona; dicit enim, mandatum cessare morte mandantis; hoc tamen non ita est, nisi quando mortis notitia mandatarii peruenit. Ratio vero Angeli est melior, quia mortuus de nouo excommunicari non potest. Verum est, quod ille sine poenitentia est mortuus, & mandatum est publicum non debet in loco sacro sepeliri, non propter excommunicationem, sed quia in publico peccato mortuus est. Vide Silu. de comm. 6. §. 5.

Dico quarto. Idem dicendum est de consiliante, quod dicitur est de mandante. Istud dictum est Innoc. Ioan. de Anani. de nor. locis citatis, & Silu. homicidium. 1. §. 11. quamuis Innocentium alij Doct. praedicti sequuntur, dicat plus exigi in consiliante: nam qui dedit consilium non excusatur a censura, si tantum dissuadeat, sed si non est certus illum mutasse propositum, debet admonere illum, contra quem dedit consilium, saltem in generali, ut sibi caueat. Rationem huius differentiae inter consiliarium, & mandantem dedit Bartol. ff. de iniuriis non solum, §. si mandato. inquit: In mandato res agitur mandantis, ob id sufficit, si mandans reuocet, quia ipse tota causa, propter quam effectus erat exequendus. At in consiliario res agitur ipsius, cui est consilium datum, ob id non sufficit suasio contrarij, sed est remouendus ab effectu ille, cui est consilium datum, etiam alia via, qua remoueri potest.

Aliud dubium est, an liceat seculari iudici capere, seu in vincula dextrudere clericum, aut in custodia detinere. Dico non licere, immo incidit in sententiam canonis, ut habetur in cap. nuper de sen. excomm. licet tamen absq; excommunicatione nulla, aut culpa in quatuor casibus.

Primo, quando est traditus curiae seculari, ut habetur cap. de gradatio. de poenis. in. 6.

Secundo, etiam si non esset traditus, si est incorrigibilis ita

ut prius

vt prius sit depositus, & propter incorrigibilitatem excommunicatus, & anathematizatus, si post hæc perseuerat incorrigibilis, secularis iudex potest eum capere, & digna pœna punire absque alia traditione, vt habetur cap. cum non ab homine. de iudi.

Tertiò, quando id sit de mandato Prælati proprii: tunc enim de tali mandato potest capi, etiam si non sit incorrigibilis, sed propter excessum aliquem commissum, vt habetur cap. si clericos. de excom. in 6. & si sit incorrigibilis, & se defendat, aut sit rebellis, quantum defensio, vel rebellio exegerit, potest eum violentia etiam capi, vt habetur cap. vt fama. extra de sent. excom. vbi Panor. notat talem Prælatum, de cuius mandato clericus est capiendus à seculari, debere esse proprium illius clerici, ita vt habeat iurisdictionem in ipsum, & non quamcumque, sed ita vt criminaliter possit procedere contra eum, & nõ fat est iurisdictione ciuilibis.

Quartò propter bonum finem aliquem, nempe ad impediendum crimen, vel ob crimen commissum, quando periculum est de fuga, potest iudex secularis, vel socius clerici ipsum clericum capere, vt suo Prælato presentetur, ita dicit Panor. cap. cum non ab homine. de iudi. & sic dicit etiam familiam potestatis posse clericum noctu inuentum capere, vt crimen aliquod impediatur, & suo Prælato presentetur. immo dicit licere creditori clericum capere fugientem: consentit Siluest. verb. excommuni. 6. §. vltimo. Ratio huius dicti, quam dat Panor. est, quia in his casibus non dicitur manus violenta, & idem dicendum, si detruderetur in carcere ad tutelam ipsius clerici, puta ne ab inimicis eum persequentibus occidatur, quod est verum, etiam si fieret per violentiam secundum Host. vt notat Ancaran. in cap. si clericos. num. 6. de sent. excomm. lib. 6.

Aliud dubium est, an incidat in canonis sententiam clericus, qui ex odio, vel ira seipsum percutit, quando nimirum percussio est mortale peccatum. Communis opinio tenet affirmatiuam partem, esse talem excommunicatum, ita habent Archidia. can. si non liceat. 23. q. 5. Panor. Fely. Ioan. Andr. cap. contingit. 1. extra de sen. excom. Silu. verb. excom. 6. §. 8. Tabien. excom. 5. cap. 1. num. 32. Et cum sit tam communis sententia, non videtur ab ea recedendum. Rationes mouentes hos Doct. sunt duæ.

Prima ex cap. contingit. 1. de senten. excommuni. vbi dicitur,

illum

illum canonem. si quis suadente. non tam in fauorem persone, quam in fauorem ordinis clericalis esse promulgatum & ibidem dicitur, sat esse iniuriosam manum, etiam si non sit violenta. Cum ergo ille clericus se percipiens modo praedictus sit iniuriosus ordini, quo sacratu est, incurrit in censuram.

Secunda ex can. si non licet. 23. q. 3. ubi habetur, plus esse homicidam, qui se occidit, quam qui alium. Ergo a fortiori etiam contrahit censuram.

Aliud dubium est, an incidat in sententiam canonis, qui percipit clericum volentem se exponere percussioni.

Ad hoc respondeo, incidere, ut habetur in cap. contingit. de sent. excomm. Ita caput hoc interpretante communiter sententia Doct. Fely. Panorm. Ioan. Andr. & Glos. cum alijs communiter; textus enim id non dicit expressè. Casus tamen de consuetudinem fuisse in quodam loco, ut si quis iniuria amiserit aliquem, in satisfactionem exponeret se nonnullis percussibus factis ab eo, cui intulit iniuriam; rogatus Pontifex, an esset excommunicatus, qui Clericum sponte se exponentem sic percussit, respondit esse excommunicatum, quia iniurius est in ordinem Clericalem, in cuius fauorem can. si quis suadente. promulgatus potius est, quam in fauorem persone. Sed an Clericus se exponens sit excommunicatus, respondent Panorm. Ioan. Andr. Glos. quod non, sed de se excommunicandum, quia ibi dicitur tantum, quod excommunicetur Clericus, qui deinceps id fecerit. Contra quod posset aliquis obijcere: nam videtur excommunicatus, qui participat in crimine criminoso cum excommunicato, & qui sic participat, eandem contrahit censuram, iuxta cap. nuper. de sent. excomm. Ad hoc respondet Panorm. cap. contingit. citato, quem sequuntur Tabie. excomm. 3. casu 1. num. 33. & Silu. excommuni. 6. §. 8. ut aliquis sit excommunicatus, quia participat cum excommunicato in crimine criminoso duo esse necessaria. Vnum, ut participet in crimine, propter quod ille est excommunicatus, dando auxilium, consilium, vel fauorem. Alterum, ut ista participatio sit, postquam iam ille contraxit excommunicationem; unde, qui prius participat in peccato, seu crimine, non contrahit, quia nondum est excommunicatus, nisi participet post commissum: verbi gratia. Si excommunicata carentur feminae, quae cum coniugatis copulam illicitam exercent, & aliquis vir primo accederet alicui feminae, qui nondum alias commiserat hoc, non dicitur participare cum

excom.

excommunicato in crimine, ac ob id non est excommunicatus, nisi accederet ei, quæ iam sententiam talem alias contraxit, ac per hoc soluitur argumentum de Clerico, qui non dicitur participare in crimine, nisi percutiens iam alias ob idem esset excommunicatus.

Aliud dubium est de Heremitis, an sint nomine Religiosi comprehensi, ita ut hoc gaudeant priuilegio, etiamsi nullos ordines, nec primam tonsuram habeant. Ioan. de Lign. in Clem. per litteras de præben. tenet quod non. Gloss. verò can. qui vere. 16. q. 1. tenet quod sic. Solutio autem est cum distinctione, qua Archi. illo can. qui vere. citato, & Siluest. verb. Heremita. §. 2. utuntur, nempe esse quosdam profugos, qui nec ordini, nec Prælato, seu Episcopo, seu Religioso subditi sunt, & hi non gaudent hoc priuilegio. Quosdam verò, qui ordini, vel Religioso, aut Episcopo subduntur, & hi gaudent, & censentur personæ Ecclesiasticæ.

Aliud dubium est de fratribus, & sororibus Tertij Ordinis Sancti Francisci, & Sancti Dominici, an gaudeant isto priuilegio. Siluest. excommuni. 6. §. responder gaudere, quia habent priuilegium Xysti super hoc, quamuis de iure fuerit controuersa.

De excommunicationibus in Decretalibus, & in sexto reseruatis.

CAPVT XXXV.

Prima excommunicatio habetur in cap. quærenti. de offi. iudi. deleg. nempe quando aliquis est excommunicatus à delegato Papæ, & per annum manet in tali excommunicatione, tunc non potest absolui, nisi a Papa, qui est superior ipsius delegati, iuxta cap. studuisti. de offi. legat.

Secunda est in cap. ad falsarios. de crim. fal. & alia in cap. dura. ibidem contra falsarios, & contra habentes apud se litteras falsas: sed iam hæc capita exposita sunt in Bulla Cænæ, dum de falsarijs diximus.

Quarta habetur in cap. significauit. de sent. excom. vbi excommunicatur clericus, qui communicat cum excommunicato à Papa, recipiendo eum in diuersis officijs. Vbi nota ut contrahatur ista excommunicatio debent nonnulla concurrere.

PRIMO,

Primò, vt, qui communicat, sit clericus.

Secundò, quod communicet eum excommunicato à Papa per sententiam, quod intellige iuxta Martini Bullam postquam fuerit denunciatus.

Et tertio, quod sit ista communicatio, admittendo eum ad diuina officia.

Quartò, quod id fiat scienter.

Et quinto, quod non metu, sed sponte id faciat: metus autem debet esse iustus, nempe quando minus malum maioris malum uitandi causa eligitur, vt dicunt D. Thom. in 4 sent. d. 24. Sili. ver. metus. in prin. late Couar. in 4 decretal. 2. part. §. 4. num. Minor autem causa requiritur in muliere & minore, quam in adulto, & viro, vt notat Gloss. in cap. cum locum. de sponsal. ibi Abb. nu. 6.

Aduerte tamen, quod si constaret aliquid metui factum, licet non esset metus talis, qui caderet in constantem virum, sufficeret, vt habet Dec. in c. si iustus metus. col. 6. v. & in iuribus de appell.

Quinta est in c. tua nos. de sent. excommu. vbi incendiarij, postquam excommunicati, & denunciati fuerint, à solo Papa absolui possunt. Vbi nota ex Gloss. & ibi Doct. communicari hunc Canonem esse generalem tam de incendiarijs Ecclesiarum, quam aliorum locorum.

Rursus eos non esse per hunc Canonem ipso iure excommunicatos, sed excommunicandos, iuxta can. pessimam. 23. q. 3. cum mandantibus, consulentibus, fauentibus. At postquam excommunicati & denunciati fuerint, Papæ absolutio referuatur secundum sententiam veriorum, vt notant Henric. Boic. in c. conquesti. nu. 4. de sent. excom. licet Doct. graues teneant Ordinarios posse absoluere incendiarios ab ipsis excommunicatos, & denunciatos.

Aduerte autem, disposita contra Ecclesiæ incendiarios habere locum, siue sit Ecclesia cõsecrata, siue non, vt notat Boic. vbi supra, quia eadem immunitate vtraque gaudet, vt notatur in c. pen. de immun. Eccles. & idem diceadum de incendiarijs locorum religiosorum, vel Cæmeteriorum, vt per Boic. ibidem.

Aduerte rursus, in locis, vbi est consuetudo, quod incendiarij locorum non religiosorum sint ipso iure excommunicati, eam esse seruandam, quia consuetudo est optima iuris interpret. cap. cum dilectus. de consuetud. ita Boic. vbi supra. Et in-

tellige

tellige de consuetudine legitime præscripta, vel approbata à suo Prælato, quantum ad suos subditos, vt in simili notat Angel. verb. excomm. 1. §. 6.

Aduerte præterea, quantum ad incendiarios Ecclesiarum Caiet. ver. excommuni. c. 22. & Nauarr. cap. 27. sum. nu. 94. tenere, non esse ipso iure excommunicatos, sed excommunicatos, sicut & incendiarios cæteros, qui non sunt Ecclesiarum: contrarium tamen affirmant Gloss. in cap. tua nos. de sent. excomm. & ibi Abb. num. 4. Gloss. in c. conquesti. & ibi Henric. Boic. alios citans nu. 2. eod. tit. Gloss. in c. deuotissima. 12. qu. 2. Præpos. & alij in cap. canonica. 11. q. 3. Siluest. ver. incendiarius. §. 2. pro qua opinione est Canon in c. in litteris, de raptorib. & incendiar. vbi Papa mandat absolui incendiarium Ecclesiarum à sententia excommunicationis supponendo illum excommunicatum. Et in c. canonica. 11. q. 3. quem canonem ad hunc effectum citat Abb. vbi supra. & ita intelligendum dicit Præpos. in allegato cap. canonica. in fin. At quia ad istos canones respondere potest, eos procedere, quando incendiarij prædicti fuerunt excommunicati propter tale incendium; sic enim Gloss. in cap. in litteris. allegato interpretatur, in propositione casus. Idcirco teneo cum Caiet. & Nauarr. non enim multiplicandæ sunt excommunicationes iuris, vbi non reperitur ius expressum, aut ex iure consequentia necessaria deductum.

Sexta habetur cap. conquesti. de sent. excomm. Rapientes res Ecclesiæ cum ipsarum Ecclesiarum effractione, ipso iure sunt excommunicati, & si denunciati postea fuerint, ad Papam sunt pro absolute mittendi: ante denunciationem vero non est necessarium; possunt enim ab Episcopo absolui.

Et nota duo esse necessaria ad contrahendam hanc excommunicationem; rapere res Ecclesiæ, & cum effractione, scilicet portarum, vel ferarum, vel murorum, vt habet ibi Panorm. Per Ecclesiam verò intellige hospitalia, & alia loca pia, vt dixi supra, & notat Abb. in c. tua. de sent. excomm.

Septima est in c. fundamenta. de elect. in 6. vbi duo statuuntur à Nicolao IV.

Primum est, ne eligatur in Senatorem Romæ, vel Rectorem, vel in officium alicuius gubernationis prædictæ Urbis vllus Imperator, Rex, Princeps, Dux, Marchio, Comes, Baro, aut vllus alius notabilis excellentiæ, præminentæ, potestatis, dignitatis, aut vllus frater, filius, nepos prædictorum.

Alterum

Alterum est, ne vllus eligatur in prædictum Regimen vltra annum, nisi de licentia Pontificis per literas expressa.

Conceditur tamen, vt si quis originem naturalem trahat ex Vrbe, aut in ea continuam habet habitationem, possit assumi in tale regimen, etiam si frater, filius, nepos prædictorum sit, & etiam si titulum Baronæ, vel Comitatus aliquem extra territorium Urbis habeat, dummodo non sit tantæ potentia vt cum prædictis comparari possit.

Contra hanc autem constitutionem nominantes, assumptes, eligentes, & nominati, assumpti, electi, si consenserint, obediens alicui prædictorum septem, aut dantes consilium, auxilium, vel fauorem, sunt ipso iure excommunicati, & communicatio Pontifici reseruatur.

Octaua excommunicatio habetur in c. clericis. de immuni. Eccles. vbi imponentes tales clericis, & clerici soluentes excommunicantur, sed quantum ad soluentes, est reuocata constitutio per Clem. quoniam. de immuni. Eccles. a Clem. Super hoc diximus plura in Bulla Cœnæ.

Nona excommunicatio habetur in c. fœlicis. de pœnis. Bonifacio Octauo, vbi vndecim genera personarum excommunicantur, hostiliter insequentes Cardinales, capientes, vulnerantes, occidentes, socij eorundem, fieri mandantes, ratum habentes, quod intellige cum Gloss. si nomine eorum id gestum est, vt alias diximus; dantes etiam consilium, vel fauorem prædictorum aliquem receptantes, vel defensores. Multa alia pœnæ vltra excommunicationem ibi ponuntur, quæ ad rem præsentem non faciunt. Excommunicantur tandem Potestates, Rectores, &c. qui prædictam constitutionem inuicem non obseruant contra prædictos; tales enim, mensis elapso nisi obseruent eam, ipso iure sunt excommunicati: sed ista vltima non videtur reseruata; nō enim ibi dicitur, in eadem excommunicationem, quæ posita prius erat, incidit, sed absolute quod sint excommunicati.

Decima habetur in cap. quicumque de sent. excomm. lib. 6. vbi quinque personarum genera excommunicantur. Omnes illi, qui, occasione alicuius excommunicationis lata in aliquem, dant licentiam occidendi eos, qui promulgarunt talem sententiam, vel eum, cuius occasione est promulgata, vel eos, qui obseruant prædictam excommunicationem, vel eos, qui nolunt conuersari cum tali excommunicato.

Secundo, excommunicantur etiam ij, qui non solum occidunt

cidendi

cidendi dant licentiam, sed etiam capiendi aliquem prædictorum.

Tertio, qui etiam dant licentiam grauandi aliquem prædictorum, vel in personis, vel in bonis suis, vel suorum.

Quarto, excommunicantur etiam, qui tali licentia vtuntur.

Et tandem quinto, qui etiam sine licentia, sed ex se aliquid prædictorum faciunt.

Aduerte tamen vnā limitationem: qui enim in bonis nocuerunt illa occasione, & intuitu, non statim sunt excommunicati, nisi intra octo dies restituant, & satisfaciant omnia; si enim id præstant, non contrahunt censuram. Similiter qui dederunt licentiam, si in re integra reuocarunt, non contrahunt: alias ipso iure excommunicati sunt.

De excommunicationibus reseruatīs in Clementinis, & in Extrauagantibus.

CAPVT XXXVI.

Prima excommunicatio habetur in Clem. 1. de hære. §. verum. 2. Inquisitores, & in officium inquisitionis ab Inquisitoribus, vel Episcopis substituti, qui odij, gratiæ, seu amoris, lucri, commodiue alicuius temporalis obtentu contra iustitiam, & conscientiam suam omittunt contra quemquam procedere, vbi procedendum est, aut alicui imponunt hæresis prauitatem, aut propterea eum ab eius officio impediunt, & super hoc quoquomodo eum vexant, sunt ipso iure excommunicati, nec ab alio, quam a Papa absoluendi, nisi in mortis articulo; nec tunc, nisi præmissa satisfactione, si fieri poterit: & si Episcopi fuerint aliquid prædictorum facientes, vel Episcopi superiores, non contrahunt excommunicationem, sed suspensionem ab officio per triennium.

Aduerte tria necessaria simul ad contrahendam hanc excommunicationem; Vt contra iustitiam faciant; Et, vt etiam scienter, seu contra propriam conscientiam, intelligendo contra conscientiam; Et vt aliquo fine ex præscriptis in textu. Vno horum deficiente, non contrahitur censura, vt notat ibi Glos. ver. obtentu.

Secunda excommunicatio habetur in Clem. religiosi. in prin. de priuileg. vbi Religiosi contra Papalem excommunicatio-

H nem,

nem, qui clericis, aut laicis sacramentum unctionis ex eterna vel Eucharistia ministrant, vel matrimonia eorum solemnizant, non habita prius parochialis presbyteri licentia specialibus; & hoc procedit etiam, si administratio fieret in articulo mortis secundum Card. in d. Clem. qu. 1. etiam in defectu parochiani, ut notat Siluest. verb. excommunicatio. 7. ca. 14. Excommunicantur etiam, qui excommunicatos à canone, præterquam in casibus in iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis: vel à sententijs per statuta provincialia, aut synodalia promulgatis; vel à culpa, & pœna quemquam absolui præsumunt. Ista intellige remotis priuilegijs. Et nota ex Clem. ver. à canone. non extendi hoc ad eos, qui absolui præsumunt excommunicatos ab homine: sed à iure, seu canone tantum nec ad eos, qui ministrant dicta sacramenta parochiano, & senti se habere licentiam à presbytero parochiali. Glossa in Clem. verb. habita.

Tertia excommunicatio habetur in Clem. si quis suadet. de pœnis. vbi percussores Episcoporum cum alijs generibus personarum excommunicantur, tamen in Bulla Cœnæ hanc Clementinam explicauimus.

Quarta habetur in Clem. cupientes. de pœnis, vbi eandem excommunicationem contrahunt Religiosi, vel clerici, qui inducunt aliquem ad iurandum, vel vouendum, vel promittendum, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel immutandam non immutent. Vbi nota, ad hanc contrahendam debere esse Religiosos, vel clericos seculares. Rursus, debere inducere ad vouendum, iurandum, vel promittendum; simpliciter enim inducere, vt eligat, non satis est. Rursus, vt inducant ad sepulturam eligendam, vel non immutandam apud eorum Ecclesias: nam si vnus Ecclesiæ inducat aliquem ad vouendum eligere sepulturam alterius Ecclesiæ, non propterea contrahit excommunicationem hanc, sicut nec is, qui nec Religiosus, nec clericus est, quamuis inducat ad vouendum, iurandum, vel promittendum.

Quinta excommunicatio habetur Clem. grauis. de sent. excomm. vbi eandem excommunicationem contrahunt domini temporales, & quicumque, qui quomodolibet cogunt aliquem in loco interdicto celebrare diuina. Similiter qui per præcones faciunt populum ad illa audienda conuocari. Et qui similiter nunc hos nunc illos ad audientiam eandem conducunt. Et qui prohibent, ne publicè excommunicati, vt

inter

interdicti super hoc per illos, qui Missas celebrant, moniti ab Ecclesijs exeant. Similiter etiam ipsi nominatim moniti, cum sint excommunicati non exeuntes, contrahunt hanc excommunicationem Papalem.

Sexta habetur in extrauag. & si Dominici gregis. de pœnitentiâ. & remissio. & est Xysti IV. Excommunicantur omnes illi, qui prætextu Confessionaliũ, vel gratiarum concessarum ab ipsomet Xysto præsumunt absoluere Simoniacos, mutilatores, vel occisores existentium in sacris, violatores Ecclesiasticæ libertatis, & demum a casibus reseruatõs in Cœna. Similiter excommunicantur, qui prætextu eodem dispensant in vobis castitatis, Religionis, Hierusalem, Sancti Iacobi, & Sancti Petri Romæ, nisi in prædictis gratijs fiat horum expressa mentio, & derogatio huius extrauagantis. Aduerte non excommunicari hic eos, qui prædicta faciunt, etiam si male faciant, nisi id faciant prætextu dictorum Confessionaliũ, &c.

Septima habetur in extrauag. detestandæ, de sepulturis. Excommunicantur illi, qui cadauera hominum exenterant, incidunt in frustra, elixant, carnes ab ossibus separant, & excutiunt, vt prædicta ossa in sepulturam distantem transferant.

Aduerte primò, non habere locum hoc, quando fit in terris Infidelium, vt ossa in terras fidelium transportentur, ita habetur in eadem extrauag.

Secundò, aduerte ex Siluest. excommuni. 7. §. 79. non habere locum in his, qui ista faciunt in corporibus viuis, nisi in cadaueribus, nec etiam quando id fit in odium, seu vindictam, vel in superstitionem, vel ratione anathomæ; debet enim fieri ad transportandum cadauer in sepulturam remotam.

Aduerte tertio, ex Caie. v. excommuni. c. 70. non habere locum, quando exenterantur corpora Nobilium, & Principum, quia id fit, vt conseruentur corpora, non vt transportentur, quamuis possumus dicere, in hac extrauaganti. excommunicari non eos, qui solum exenterant, sed qui sciunt etiam, & elixant, vt carnes cito ab ossibus separentur.

Octaua habetur in extrauag. sane. de simonia, vbi excommunicantur, tam dantes, quam accipientes ex pacto pecunias, epulas, iocalia, &c. pro ingressu Monasterij, nisi id sponte detur; & hoc tam in Monasterijs virorum, quam foeminarum.

Aduerte ex Caiet. verb. excommuni. cap. 73. id non habet locum, quando Monasterium est pauper, & accipitur in sustentationem ipsius Monialis. ita etiam habet Gloss. cap. non factus de simonia. quamuis Gloss. cap. quoniam. de simonia. id non probet, & videtur conforme ipsi capiti: tamen Anton. 3. p. 24. cap. 67. & Silu. excommuni. 7. §. 81. referunt, Martinū Quartum declarasse vniuersaliter, non habere locum hanc extrauagantem in pacifcentibus super dotibus Monialium.

Nona habetur in extrauag. cum detestabile. de simonia. est Pauli II. Excommunicantur tria genera personarum. Moniaci in ordine, vel beneficio, intermedij, & procuratores simoniae, scientes praedictorum aliquem, & non quanto ea manifestantes Papae, vel Camerario, vel Locum tenenti.

Aduerte quantum ad non reuelantes, non esse in usu hanc extrauagantem, vt habet Tabien. v. simonia. num. 75. & An. ver. simonia. §. 57. & Silu. v. simonia. §. 19. Qui autem simoniaci contrahunt hanc excommunicationem, an mentales, tales, & conuentionales, dicemus, cum de simonia tractatus occurrerit.

Decima habetur in extrauag. viam ambitiose. de regula. ubi omnes fratres cuiuscumque ordinis medicantium transferres ad aliam Religionem, excepta Carthusianorum, sine licentia Sedis Apostolicae, excommunicantur ipso iure; similiter et ipsi recipientes tales.

Vndecima habetur in extrauag. graue nimis. de relig. & v. nera. Sanct. Xysti. IV. & approbatur in Concilio Triden. sess. in fin. Excommunicantur illi, qui affirmant peccare mortaliter, vel esse Haereticos eos, qui defendunt Beatissimam Deam Matrem esse conceptam sine originali; & qui affirmant peccare eos, qui obseruant festum Conceptionis, & qui adhaerent concionibus. Similiter etiam in contrariam partem excommunicantur illi, qui affirmant peccare mortaliter, vel esse Haereticos eos, qui tenent contrarium, puta esse conceptam cum originali; neutra enim pars haecenus definita est; de fide vtriusque potest teneri absque mortali peccato, quamuis certius multo sit, & verius, esse sine vlla macula conceptam, & ita nos credimus.

*De excommunicationibus non referuatis in decreto,
& decretalibus.*

CAPVT XXXVII.

Sequentes excommunicationes nulli referuantur, quarum prima habetur. 23. q. 5. can. administratores. Iudices, & Gubernatores seculares conuerti ab Episcopis, & viris Ecclesiasticis, quod iustitiam non seruent, si, quāum necessitas exegerit absque negligentia, id non correxerint post trinam admonitionem factam, ipso facto sunt excommunicati, non absoluendi vsque ad cōdignam satisfactionem. Hæc excommunicatio fere non est in exercitio.

Secunda habetur cap. licet deuitanda. de elect. Electus à minori numero, quā duarum partium Cardinalium in Pontificatum, si suæ electioni consentiat, est excommunicatus. Electus verò à sola tertia parte, si consentiat suæ electioni, ipse excommunicatus est cum recipientibus eum in Pontificem.

Tertia habetur in cap. non minns. adiuncto etiam cap. aduersus. de immunit. Eccles. vbi excommunicantur primò omnes Rectores, Consules, & alij officiales laici quorumcumque locorum, qui talias, collectas, aliasve exactiones indebitas, id est, onera personarum, aut rerum Ecclesijs, aut personis Ecclesiasticis imponunt, & eorum fautores.

Secundò excommunicantur prædictæ personæ, qui iurisdictionem Prælatorum fere euacuant. Quod intellige cum Ioan. Andr. d. cap. non minus. de iurisdictione. temporal. Tam autem illi, quā isti, & eorum fautores, si admoniti non desistant, sunt ipso iure excommunicati, & sufficit vna admonitio, vt Hostien. notat in prædicto cap. non minus. nec absolui debent, donec satisfecerint competenter.

Tertiò, excommunicantur successores prædictorum officialium, nisi intra mentem excessum suorum prædecessorum purgauerint, & satisfecerint.

Quartò prædicti officiales, etiam officio deposito manent excommunicati, donec fiat compotens satisfactio, quoad collectam quidem per eum, in cuius commodum versa est: & per officiales verò de delicto arbitrio iudicis: sin autem, tenentur ipsi in totum satisfacere, vt notat Abb. in d. c. aduersus. nu. 20.

de immuni. Eccle. Per hæc non est excommunicatus officialis aut Rector, qui non consensit, sed resistit quantum potuit, licet exactio fuerit imposita, vt habet Panor. cap. aduersus, citato nu. 20. & Siluest. excom. 9. nu. 17. arg. cap. ephesi. d. 43. nec tenetur dimittere officium, nisi quando id exercere non potest, nisi se talibus intromittat imponendis, vel exequendis secundum Siluest. quia tunc non debent exercere officium in loco Ecclesijs aduerso, vt dicit Abb. vbi supra. Eadem est ratio de successore, vt dicit Siluest. non enim tenetur officium nouit accipere, quando non potest satisfactionem obtinere, renitente vniuersitate, nec est excommunicatus, licet Abb. in d. ca. aduersus, nu. 22. dicat tunc esse officium dimittere.

Aduertendum est autem, quod hæc excommunicatio non incurritur propter tributa, quæ Clerici debent ob bonorum temporalia, quia illa soluere de iure tenentur, vt dicit Abb. in c. fin. num. 12. de vit. & honest. Cleric. Nec etiam incurritur ob realia extraordinaria, quæ immediate spectant ad eorum bona, vt ad reficiendum iter, quod est ante domum suam, vel ad expurgandum puteum viciniam, in qua est Ecclesia secundum Abb. in c. non minus, num. 16. ver. fateor de immuni. eccl.

Aduertendum est rursus secundum Castren. conf. 423. incip. ex puncto, l. b. 2. excommunicationem prædictam habet locum, quando directe contra Clericos, vel eorum bona collectæ imponuntur, secus si indirecte, & causatiue, puta quando pro reparatione pontium viarum, & similium imponitur gabella super rebus emendis, hoc idem tenet Silu. ver. immunitas, in fin. Abb. in cap. non minus in fin. de immunit. Eccle. Grammat. decis. 99. nu. 26.

Quarta habetur in cap. non magnopere, ne Clerici vel monachi Religiosi professi exeuntes a suis Monasterijs ad audiendas leges, vel medicinam, nisi intra duos menses à die exitus ad claustrum redeant, sunt excommunicati. Extenditur autem excommunicatio ista in cap. super specula. cod. tit. ad habentes dignitatem, vel personatum, etiam si presbyteri non sint, & ad presbyteros etiam, etiam si personatum, dignitatem, vel beneficium non habeant. Hæc non comprehendit religiosos intra claustra audientes, vel foris, manentes tamen in claustris aut reuertentes ante duos menses, vt ibi notat Panor. nu. 3. de mente Inno. contra Hostie. tenentem esse excommunicatos, nec comprehendit docentes dictas scientias, vt dicit Abb.

in d.

in d. c. fin. nu. 16. de mente Inn. Nec etiam Religiosos, vel alios presbyteros, seu personatus habentes priuatim in Camera lectores legum, secundum Cald. in cons. fin. nu. 7. de magistr. & Ancar. in d. cap. specula. nu. 4. qui responderet ad Abb. contrariū sententem. Nec etiam eos, qui student legibus, in quantum conducunt, & possunt conducere ad noticiam canonum, vt habet Boic. in d. c. num. 6. post Ioann. Andr. & Hostien. arg. tex. in c. fin. 37, & 38. dist. tamen in foro fori presumptio esset contra eos.

Rursus non comprehendit Diaconos, aut Subdiaconos, etiam si beneficium habeant, nisi personatus, vt notat Siluest. ex communi. 9. §. 22.

Rursus non comprehendit possidentes parochias, nisi sint plebanie habentes sub se cappellas, in quibus Clerici perpetuo instituantur, vt habetur cap. 1. ne Cleri. vel monach. in 6. Abb. per illum tex. in cap. super specula. num. 10. ne Cleri. vel mona. & licet Inno. contrarium senserit, tempore tamen illius non erat determinatum per d. c. 1. quod est Bonifacij Octaui, qui fuit post Inn. & idem, quod dicitur de plebania habente tales cappellas, est dicendum de plebania collegiata, vt habet Gem. in d. cap. 1. Comprehendit tamen presbyteros, vel Clericos habentes personatus, si audiant per duos menses leges, vel medicinam; etiam si à proprijs domicilijs non exeant, vt habet Caiet. ver. excom. cap. 50. & Henric. Boic. in d. cap. super specula. num. 7.

Requiritur etiam, vt Religiosi hac intētionē exeant à claustris, vt dicit Caietan. Tamen si quis hac intentione exiret, & postea mutaret propositum, & audiret non prohibita, non incideret in hunc canonem, vt dicit Panorm. cap. super specula. numer. 9. etiam si non rediret intra duos menses. Cuius tamen contrarium, nempe, quod teneatur redire, nisi de mandato superioris maneat foris, tenet Innoc. & Vincen. quos sequitur Henric. Boic. in d. cap. inter specula. num. 7. & Ancar. num. 11. pro quorum opinione faciat tex. in d. cap. non magnopere, §. si verò. ibi, nisi infra duorum mensium spatium non redierint.

Requiritur iterius, quod audiant causa discendi principaliter, vt notat Abb. in d. cap. fin. nu. 14. & 16. Ne cleri. vel Monach. & ibi Boic. num. 4. nam si causa honorandi doctorem, vel amicum, & non addiscendi, non includeretur sub huiusmodi prohibitionē; licitum est enim, vt ipsi dicunt, Religiosis

assumere aduocationem, vel procuram, etiam in foro seculari pro amico monasterij. Ergo etiã hoc, dummodo non frequenter id faciant ad tollendas fraudes, secundum Abb. & Boic. vbi supra. & Ancar. ibidem. nu. 7.

Quinta habetur. c. Clericis. ne Cleri. vel mona. Sacerdos officium habens Vicecomitis, aut Præpositi secularis, & communis non vult se emendare, est excommunicatus. Hæc licet solos sacerdotes comprehendere videatur, vt patet ex textu. Nihilominus Host. ibi nu. 3. in fin. expressit, sacerdotem facti vel faciendum, seu Clericum: cum quo est communis sententia, vt testatur Abb. ibi num. 8. sed magis placet sententia Abbatis, qui intelligit de constitutis in sacris: non autem de omnibus Clericis: & ad id probandum, vltra rationes adducit in c. 2. de cohab. Cleri. & mulier. vbi Papa declarat, sub nomine sacerdotis contineri presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos; & de Diacono est etiam tex. in cap. 1. in fin. 15. qu. 5. & in Glof.

Hæc autem excommunicatio non comprehendit eos, qui suæ dignitati iurisdictioni temporalem habentes annexam possunt eam per se exercere, dummodo non inferant pœnam mortis, vel membrorum detractionem. Et idem dicendum est, si ipsam iurisdictionem habent nomine proprio, putatione patrimonij: sed eos, qui vt ministri Principum id faciunt, etiam si iudicium sanguinis non exerceant, vt notat Abb. in d. c. num. 5.

Aduerte tamen, quod licet prædicti Clerici in sacris existentes esse non possint Vicecomites, & Præpositi seculares (sub quorum nomine comprehenduntur Gubernatores, Vicegerentes, alijque Præsidentes, iurisdictionem à secularibus obtinentes, vt notat Caiet. in sum. ver. excom. c. 76.) possunt tamen esse Consiliarij Principis secularis, vt notat Abb. in d. c. clericis. nu. 10. ne clerici. vel mona. post Host. ibi num. 4. dummodo pœna sanguinis se abstineant secundum Hostien. & Abb. vbi supra: quam quidem pœnam sanguinis esse debere grauent dicit Boic. ibidem. in fin. Nec est etiam dictis clericis prohiberi in genere suadere, quod fiat iniustitia; & si nesciunt casum de facto pendere, possunt respondere pro tali casu talem pœnam lege esse impostam. Host. vbi supra. nu. 4. etiam si sit mortalis pœna: de hac tamen re in materia irregularitatis latius agemus.

Sexta habetur in cap. excommunicationi. de rapto. Q

Christi

Christianos naufragium patientes damnata cupiditate rebus suis spoliant, nisi ablata reddiderint, sunt excommunicati. Ad hanc excommunicationem contrahendam non fat est spolasse, sed etiam esse in mora restituendi, ut ibi dicit Panorm. Sed hodie ista excommunicatio est in Coena, & adhuc ampliata, ut illic scripsimus.

Septima habetur cap. nouerit. de sent. excom. Vbi multa genera personarum excommunicantur.

Primò, qui statuta edita, vel consuetudines introductas contra libertatem Ecclesiae fecerint obseruari, nisi de suis libris capitularibus intra duos menses à publicatione huius sententiae fecerint deleri. Iam hi menses completi sunt, quia antiqua est Decretalis, ut per Abb. in d. c. numer. 3. Ligat ergo nunc non delentes, aut seruari facientes, ut notat Hostien. in prædicto c. nouerit.

Secundò excommunicantur statuarij, & scriptores ipsorum statutorum.

Tertiò Potestates, Consules, & Rectores, Consiliarij locorum, in quibus statuta, vel consuetudines edita, vel seruata fuerint.

Quartò illi, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata.

Hæc excommunicatio solum comprehendit illos, qui violant libertatem ecclesiasticam per modum statuti, vel consuetudinis, ut notat Caiet. ver. excom. c. 31.

Rursus primum genus intelligendum est disunctiuè, ut excommunicentur, qui faciunt seruare, vel qui non delent ita, ut vnum satis sit ad excommunicationem contrahendam ut notat Sil, excomm. 9. §. 31. quamuis alij contrarium putent: quod autem excommunicentur illi, qui faciunt seruare, etiam si deleant, colligitur ex textu: nam Consules, Consiliarij, Rectores, vbi talia statuta seruatur, excommunicati sunt, & non repetitur nisi deleant, quia sufficit seruare facere, vel vbi seruantur, habere officium Rectoris, Consiliariorum, vel Potestatum.

Non autem comprehendit illos, qui obseruare faciunt, vel non delent, si ignorant esse contra libertatem Ecclesiasticam. Inno. in d. c. nouit. in fin. de sent. excom. Hostien. nu. 5. in prin. nam, ut ipsi dicunt, excommunicatio non est infligenda, nisi in contumaces, pro magnis criminibus. Et multo minus illos, qui de consilio viri alicuius eruditi, ac conscientia prædi-

ti prædicta faciunt, quoniam agunt ex ignorantia probabile
Calet. in sum. ver. excommunicatio cas. 31.

Nec eos, qui inceperunt statuere contra libertatem ecclesiasticam, & non perfecerunt, licet factum non reuocauerint, quia verbum (statuo) significat rem perfectam cap. in his. verbor. signific. & notat Apostel. ad Abb. in c. nouerit. de sent. excomm.

Non etiam comprehendit Potestates, Rectores, Consules, Consiliarios, quando ipsis non est liberum impedire, ne obseruentur, aut edantur: comprehendit tamen, si ipsis est liberum & non faciunt; quamuis ipsi non sint conditores statutorum, vel auctores consuetudinum.

Aduerte autem, quod statutorum debet fieri realis cassatio, & ablatio, & non sufficit verbo, idque in odium criminis, in datur occasio, quod talia statuta de facto seruentur, vel potius relinquatur eorum memoria, vt habet Fely. alios citans cap. Ecclesie sancte Mariæ, num. 109. de constit. Vnde sequitur, non sufficere protestationem in fine statutorum appositam, quod statuentes non intendunt aliquid statuisse contra libertatem Ecclesie, vt dicunt Fely. & alij in c. nouerit de sent. excomm.

Aduerte similiter, quod vbi statutum est generale, & potest vtiliter dubitari, ne inferat præiudicium Ecclesijs, vel Clericis, Episcopus potest cogere illos, ad quos spectat, quod declarent statutum illud non extendi ad Clericos, vel Ecclesias, Ioan. Andr. in capit. fin. de immun. Ecclesi. lib. 6. latè Fely. in dicto cap. Ecclesie sancte Mariæ, numer. 107. de constit.

Aduerte etiam si est notorium statutum, esse contra libertatem Ecclesie, Episcopum posse illud tollere, vel mandare, vt tollatur, & non obseruetur, ac decernere, vt non teneat, etiam nullo citato. Ancar. in c. que Lorharius cir. fin. 2. qu. 1. Gem. in c. fin. de de immun. Ecclesi. lib. 6. & ratio est, quia constat defensionem non competere, vt dicit Fely. in d. c. Ecclesie sancte Mariæ num. 110.

Libertas autem Ecclesiastica consistit in priuilegijs concessis Ecclesie vniuersali super spiritualibus, vel temporalibus a Deo, vel a Papa, Imperatore, alijsque Principibus, vt dicunt Hostien. cap. nouerit in prin. & ibi Innoc. de sent. excomm. & Abb. num. 2. ar. stat. de communi. Quæ autem, & quæ sint ista priuilegia pertractat ad longum Lopus alleg. 92. per

totam. Statuta igitur, quæ cedunt in derogationem dictorum
 Priuilegiorum contra libertatem Ecclesiasticam esse dicuntur
 idque locum habere etiam si indirectè sint contra dicta priuile-
 gia. vt dicunt Abb. in cap. Ecclesiæ S. Mariæ, nu. 27. de constit.
 & c. quanto. & ibi Doctor de priuileg. & cap. fin. de immunit.
 Ecclesi. lib. 6. in quo cap. decernitur, vt si quis statuat, ne laici
 coquant panem, blandum molant, quicquam vendant Præ-
 latis, aut Clericis; seu personis Ecclesiasticis, aut emanent ali-
 quid ab eisdem, seu alia obsequia illis exhibere præsumant, sit
 excommunicatus, quia talia in derogationem Ecclesiasticæ
 libertatis esse præsumuntur. Vbi aduerte, quia Papa non dixit
 simpliciter huiusmodi statutum esse contra libertatem Eccle-
 siæ, sed præsumi. Propterea tenuit Caiet. in sum. ver. excomm.
 cal. 31. quem sequitur Nauarr. cap. 27. num. 120. & ante illos,
 alios tenuisse refert Lopus allega. 92. numer. 3. prædicta per se
 non tangere Ecclesiam, vt est teste Ecclesia; sed quatenus est
 congregatio hominum. Et ideo aliqua rationabili causa exi-
 stente posset dari casus, in quo liceret Principi prohibere lai-
 cis talia communia dare clericis, nihilominus contrarium
 videtur notare Gloss. in d. capit. fin. ver. libertatis vbi dicitur,
 quod licet quoad verba tale statutum non videretur infringere
 libertatem Ecclesiasticam, tamen infringebat quoad
 mentem, faciendo fraudem de persona ad personam. Idem
 notat Lopus d. Gloss. citans in prædicta alleg. 92. num. 3. ea ra-
 tione motus, quia faciunt contra immunitatem Ecclesiæ, &
 Clericorum, quæ est, vt nō lædantur, vel de eis, seu contra eos
 per Laicos directè, vel indirectè non disponatur. Nec obstat,
 quod Papa in d. c. fi. de immu. Ecclesi. lib. 6. simpliciter non dis-
 ponat esse contra libertatem Ecclesiæ; sed præsumi: nam ex
 quo super huiusmodi præsumptione decreuit talia statuentes
 sententiæ excommunicationis subiacere, idem est, ac si sim-
 pliciter statuisset esse contra libertatem Ecclesiæ, quoniam hu-
 iusmodi præsumptio dicitur iuris, & de iure contra, aut su-
 per quam non admittitur probatio in contrarium, vt notat
 Abb. in capit. inter alia, numer. 7. de immunita. Ecclesi. & tra-
 dunt Doctor. in capit. 15. qui fidem. de sponsal. Statuta
 ipitur, siue directè, siue indirectè derogent priuilegijs con-
 cessis Ecclesiæ vniuersali, dicuntur contra libertatem Eccle-
 siasticam.

Aduerte etiam, quod licet statutū, ad hoc, vt sit contra liber-
 tatem Ecclesiæ, esse debeat cōtra vniuersalem Ecclesiam, non

tamen

tamen oportet statui contra omnes Ecclesias mundi, sed fuit cit, quod tendat in præiudicium particularis Ecclesiæ cit id, quod competit omnibus, quemadmodum lædere Episcopum, est facere contra libertatem Ecclesiæ, licet non lædere omnes, c. olim. de iniur. nam, vt dicit Ioan. Andr. in cap. eos. immunit. Ecclesi. quem refert, & sequitur Lopus in prædicatione alleg. 92. num. 6. Ecclesia vniuersalis est vnum corpus, cuius membra sunt Ecclesiæ singulares, cap. significasti. de elect. h. excommunicatio hodie magna ex parte est in Bulla Cœnæ vt ibi diximus.

Octaua habetur c. i. de Schismati. vbi tria genera personarum excommunicantur, vt ibi exponit Panorm.

Primò, qui emit, vel quouis alio modo acquisiuit rem ecclesiasticam à Schismatico.

Secundò, qui recipit beneficium à Schismatico.

Tertio, qui consentit ordinationi ipsius Schismatici; & per ordinationem non solum intellige ordinationem in spiritualibus, & sacramentorum collationem, sed etiam in temporalibus, vt ibi notat Panor qui limitat, quando scienter consentit. De ipsis autem Schismaticis in Bulla Cœnæ diximus.

Duæ aliæ sunt excommunicationes in Decretalibus, vt in c. quoniam. de offi. ordin.

Alteri c. i. de locati. Sed quia illius casus non est hodie practicabilis; huius autem casus est particularis ad Bononios, prætermittimus.

De excommunicationibus non reseruatis in sexto.

CAPVT XXXVIII.

Prima habetur in cap. vbi periculum. de elect. in 6. Quod mittit scripturam, vel nuncium alicui Cardinali in Conclauo, ad Romani Põtificis electionem existenti, vel cum eo secreta loquitur, excommunicatus est ipso facto. Vbi tria genera personarum comprehenduntur. Nota, quod non ligantur hac excommunicatione, qui Conclauo ingrediuntur pro his tantum, quæ pertinent ad electionem, de voluntate omnium Cardinalium ibidem præsentium, quales sunt Advocati, Tabelliones, & Religiosi, vt dicit Sil. excommunicatus 9. §. 34. Nota etiam, quod Archi. & Gemini. in eodem c. inter-

pretar-

pretantur, vt illud verbum (*secretè*) restringat omnia tria genera actionum, puta, vt missio scripturæ, vel nunciij sit etiam secreta, alias non contraheretur excommunicatio. Tamen magis quadrat textui, vt restringat tertiam actionem tantum, nempe locutionem: & ita sentit Caiet. ver. excommuni. cap. 55. Nota etiam ex eodem Caiet. quod non ligat ipsos Cardinales hæc excommunicatio, etiam si has actiones inter se, vel cum alijs faciant: nec etiam Cardinales, qui colloquuntur, vel recipiunt scripturam, vel Nuncium: sed eos, qui mittunt, vel secreto colloquuntur.

Secunda habetur in eodem cap. vbi periculum, de elect. in 6. vbi excommunicantur omnes Domini, Rectores, alijsq; officiales cuiuscumque dignitatis, aut conditionis existant, qui diligenter non obseruant, aut fraudem committunt in eis, quæ ibi præcipiuntur obseruanda in morte Summi Pontificis morientis in terra eorum. Intellige, quando per ipsos stat; si enim impediuntur, non ligantur, vt ibi dicit Gemini. Quæ autem sint seruanda in illo c. legi possunt, ad rem nostram non videntur multum attingere.

Tertia habetur in cap. sciant cuncti. de elect. in 6. vbi excommunicantur, qui siue per se, siue per alios iniuste persequuntur, aut spoliant beneficijs, vel bonis suis clericos, aut Ecclesiasticas personas, aut eorum consanguineos, aut Ecclesias, Monasteria, seu cætera loca pia, hoc motiuo, & ea de causa, quia noluerunt, aut nolunt eligere eum, pro quo ipsi rogarunt, aut induxerunt. Nota ex Archid. ibi, quod per spoliationem intelligitur etiam ablatio latens, & vastatio quocumque modo inuadendo immobilia, aut per vim publicè rapiendo mobilia, siue fraudulenter per dolum. Nota etiam ex Geminia. ibi, per Consanguineos intelligi vsque ad septimum gradum, pro quo facit Gloss. cap. postremo de appel. secundum quem etiam non est locus huic pœnæ, si affines grauentur. Nota etiam, quòd in præsentatione hæc pœna locum habet secundum Gloss. eiusdem c. sciant cuncti. dummodo persona, quæ grauetur in se, vel in suis, sit Ecclesiastica; non autem quando patronus est Laicus: nam constitutio dicit Clericos, vel Ecclesiasticas personas. & Gloss. in ver. Ecclesiasticas dicit, vt sunt Conuersi, Templarij, Hospitalarij, qui licet non sint Clerici, sunt tamen Ecclesiasticæ personæ 16. quæst. 4. can. quisquis, & idem dicit ibi Gemin. de conferente, & postulante, vnde inferitur, quando constitutio pœnalis concernit fauorem Ecclesiæ,

extenditur ad alium casum, quam expressum, dummodo & fauorem Ecclesie concernat, vt notat Siluest. excommuni. 39. Nota etiam, quod ad contrahendam hanc excommunicationem, debet esse grauamen contra iustitiam; aliquando enim potest esse contra solam charitatem, vt quando non facit vel quod pratermitteret contra charitatem, tunc censura non procedit: nam in constitutione ponitur (*iniuste*.) Nota etiam ex Petro Anchar. & Gemini. ibi, quod mandatarius, qui exquirat grauamen, quando, qui grauat, per alium grauat, non incurrit censuram hanc, nisi quando constat ei de intentione mandatis, quod tali motiuo grauat, alias non. Archi. ibi pariter semper ligari: tamen ex textu contrarium deducitur, quia communicatur, qui per se, vel per alium grauat tali motiuo. Cur ergo non excommunicatur per hanc constitutionem, graualet alio motiuo, ita se mandatarius, qui per se grauat, non excommunicatur, quando ignorat, quia cum ignoret motiuum, non dicitur grauare tali motiuo.

Quarta habetur in c. generali de elect. in 6. vbi excommunicantur ipso facto.

Primo, qui de nouo vsurpantes Regalia, Custodiam, seu Guardiam, titulum aduocationis, seu defensionis in Ecclesia Monasterijs, siue quibuslibet alijs pijs locis occupant bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium, quantacumque dignitatis honore præsulgeant.

Secundo excommunicantur Clerici Ecclesiarum, Monachi monasteriorum, ceterae personae locorum ipsorum, quae hae fieri procurant. Nota, per Regalia intelligi, vt dicit Archi. ea, quae percipit Rex ex quibusdam Ecclesijs vacantibus, vt fit in Regno Franciae, & Angliae, seu, vt dicit Ang. excomm. 7. col. 13. vectigalia concessa à Rege Ecclesijs, & idem Gloss. praedicti cap. generali. Nota rursus, per custodiam, & guardiam idem intelligi, & per eam Ioan. Andr. intelligit ius patronatus, & Gloss. ibi: Tamen Archidia. id negat, dicens tantum intelligi quod verbum sonat, quando nempe aliqui dicunt, ad ipsos pertinere Ecclesiam vacantem custodire, donec in ea sit prouisum de Praelato: cuius exemplum est in Ecclesia Parmensi, vbi tales domini laici vocantur Vicedomini. consentit Ang. loco citato, & hoc magis placet. Nota rursus idem intelligi per titulum aduocationis, & defensionis, quia aduocatus dicitur defensor in Ecclesijs, vt dicit Siluest. excommuni. 9. 40. Nota rursus, quod dicitur, *de nouo vsurpant*, quod intelli-

telli-

telligitur cum Gloss. ibi communiter recepta à Quadraginta annis citra, per cap. final. de consuetudin. Nota rursus, duo requiri, vt vsurpantes isti contrahant excommunicacionem.

Primo, vt vsurpent titulum aliquem prædictum.

Secundo, vt simul ratione vsurpationis talis bona occupet, vnum sine altero non satis est, ita vt dicit Gemini. ibidem, & Panorm. c. conquestus de foro compet. & est opinio communis. Nota postremò, quod non comprehendit eos, qui ratione legitimæ consuetudinis, vel iusti tituli ista faciunt; tales enim nec vsurpant, nec occupare præsumunt.

Quinta habetur in cap. indemnitatibus de elect. in 6 §. postremo. Euocati, seu deputati ad dirigendas Moniales in electionibus, si non se abstinent ab his, ex quibus possunt discordiæ inter eas oriri, aut ortæ nutriri super faciendis electionibus, ipso iure sunt excommunicati. Nota ex gloss. posse euocari Religiosos, seculares, viros, & fœminas ad hanc directionem. Nota rursus ex Gemini, hanc pœnam non solum habere locum in Monialibus Religionum approbatarum; sed etiã in his, quæ non renunciant proprijs, nec faciunt professionem regularem in vna de religionibus approbatis: sed viuunt in communi, sicut Canonici seculares in secularibus Ecclesijs consentiunt in hoc Ang. ex com. 7. cas. 16. Siluest. ex comm. 9. §. 42. Nota rursus ex eodem Gemini. duo esse necessaria ad incurrendum in hanc pœnam; Et quod sit deputatus ad directionem in electionibus faciendis; & quod non abstineat à prædictis; si enim non abstinet, tamen non est deputatus ad directionem, non contrahit hanc pœnam; immò etiam si deputatus sit, sed nõ sit ad talem directionem deputatus, non incurrit. Consentunt Ang. Silue. locis citatis; quod si deputatus sit, & discordias seminet super electionibus iam factis, adhuc non incurrit secundum Caiet. ver. excommunic. cap. 80. quia constitutio dicit super electionibus faciendis.

Sexta habetur in capit. hac constitutione, de offic. iudic. delegat. in 6. Excommunicantur ipso iure procurantes, quod Iudices Conseruatores sibi dati intromittant se ad alia, quam ad manifestas iniurias, & violentias, & extendant potestatem ad ea, quæ iudicalem exigunt discussionem.

Nota ex Gemi. illos, quorum non sunt Conseruatores, si id procurent, nõ contrahere hanc pœnam, sed solas partes, quib.

dantur

dantur conseruatores, nisi illi post excommunicationem participant in crimine criminoso, vt supra diximus. Nota etiam nec prædictas partes id procurantes contrahere hanc excommunicationem, quando Conseruatores dantur cum clausula quod cognoscant de his, in quibus Iudicialis discussio exigatur, vt hodie communiter fit, nisi procurent, vt se intromittant ad alia, quæ excedunt potestatem eorum, etiam cum clausulis datis. Nota etiam, quod si procurent, tamen non sentitur effectus, vt conseruator se intromittat, nõ incurritur poenitentia, vt supra adnotauimus. Nec ista excommunicatio comprehendit ipsos Conseruatores, etiam si se intromittant.

Septima habetur c. unico. de his, quæ vi. in 6. Ex torquentur per vim, vel metum absolutionem, aut reuocationem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ipso iure sint excommunicati. Nota ex Glo. ibi quod si quis metum, vel vim incusat, tamen non est secuta absolutio, aut reuocatio, non contrahit hanc poenam. Idem dicit ibi Archi. Nota rursus ex Glo. torquentem pro excommunicato, etiam si alius sit ab ipso excommunicato, contrahere hanc poenam; & si ipse excommunicatus, contrahere aliam excommunicationem, præter eam quam habet: nam multis excommunicationibus potest vinculari 3. q. can. Engeltrudam. etiam eam contrahit excommunicatus, si mandauit, vel ratam habuit talem extensionem, vt dicit Gloss. & Silu. ver. excommuni. 2. §. 43. Sed non credo, quod quando mandans non exprimitur, non comprehenditur, vt diximus supra. Nota rursus ex eadem Glo. etiam istam poenam procedere, quando excommunicatio fuit iniusta, & non tantum quando iusta, quia non sic est absolutio vlla ex torquentem. Nota rursus, non habere locum in minori excommunicatione, vt dicit Ang. excom. 7. cap. 18. quia quando excommunicatio absolute dicitur, de maiori intelligitur, iuxta c. si quis de sen. excom. Nota rursus ex Caiet. ver. excom. c. 41. procedit hanc poenam in maiori, siue sit a iure, siue ab homine. Nota rursus secundum communem opinionem non procedere, quando metus fuit leuis, & non iustus, & cadens in virum constantem; talis enim metus non est simpliciter metus. Ita habet Gloss. ibi & Silu. & Ang. loco citato, quantum Caiet. loco citato teneat procedere de quocumque metu extorquente, & hoc magis placet: nam etiam si metus sit paruus, propter quem absolutio datur, vere est per metum extorta, & hic habetur ratio inferentis metum, si tali via absolutionem extorqueat, quantum

oppo.

opposita sententia sit probabilis, & possit teneri. Nota rursus ex ipso Caiet. debere esse metum illatum ab extrinseco: non autem innatum, quem sibi concipit absolvens. Nota postremo, quod si absolvens per metum, postea ratum habeat sine metu quod fecit, adhuc inferens metum excommunicatus est, donec absolvatur, quia statim fuit ligatus per absolutionem metu extortam, ita habet Gloss. in cod. cap.

Octava habetur in cap. mulieres de iud. in 6. qui per fictionem, vel fraudem faciunt, ut iudex veniat personaliter ad domum alicuius mulieris, ut eius testimonium accipiat, cum personaliter ad iudicium inuitæ mulieres trahi non possint, ipso iure sunt excommunicati. Nota ex Ioan. Andr. quod si fingatur casus, ut iudex veniat, tamen iudex non venit, non incurritur pœna: immò, ut dicit Caietan. capit. 59. ver. excomm. debet personaliter venire; si enim mittat, nò incurritur, quia hoc est concessum. Nota rursus ex Anto. 3. p. tit. 24. c. 45. quod non solum iudex fingens hoc, vel utens fraude excommunicatur, sed etiam quicumque alius fingat, vel per fraudem faciat, ut iudex eat, quamvis Syluest. excommuni. 9. §. 44. tenet de solo iudice: sed textus contrarium demonstrat, nam vniuersaliter procedit, & eadē ratione procedit tam in iudice laico, quam in Ecclesiastico, cum non fiat distinctio in textu, licet Ioan. Andr. ibi restringat ad Laicum.

Nona habetur cap. hoc, consultissimo de reb. Eccl. non alie. in 6. vbi primo excommunicantur ipso iure, qui compellunt Prælatos, vel alias personas Ecclesiasticas, ut submittant Ecclesias laicis, vel subijciant eis bona immobilia Ecclesiarum, vel eis supponant ipsorum iura recognoscendo, seu profitendo tenere ea ab illis tanquam à superioribus, aut statuendo eos tamquam aduocatos, vel patronos Ecclesiarum, seu bonorum ipsarum in perpetuum, aut ad tempus non modicum. Nota ex Gloss. quòd non procedit hæc pœna in bonis mobilibus, in quibus non consueuerunt tales submissiones fieri, debent enim esse immobilia, aut iura, quæ inter immobilia reputantur. Nota rursus ex textu, quod procedit pœna hæc cum aliquibus limitationibus.

Prima, quando ista submittio fit extra casus iure permisos.

Secunda, quando fit sine consensu Capituli, & licentia Sedis Apostolicæ.

Tertia, quando fit in perpetuum, vel ad tempus non modi-

cum, quod Gloss. ibi exponit spatium decem annorum: vnde ad annos infra decem, non incurritur poena.

Quarta, quod supponantur laicis, tamquam sint sua, vel cognoscantur ab eis.

Secundo, excommunicantur omnes laici, qui ex licentia Papae, & Capituli consensu contractus inierunt, vel iniunt Ecclesiasticis immobilibus, si aliquid plus, quam importaturatura contractuum ipsorum, vel pactum in eis factum usurpauerint, & legitime moniti prius non desinant usurpare, & ablata restituant. Nota ex Archid. non satis esse desistere non usurpare poenam vitandam, sed debent ablata restituere. Nota ex Ioann. Andr. & Siluestr. excommuni. 9. §. 44. quod ista ratio legitima debet esse trina, nisi facti necessitas abluaderet.

Decima habetur cap. vni. de religion. domi. in 6. Hanc communicationem Silu. excommunic. 9. §. 45. & Ang. excommunicat. 7. cas. 22. putant contrahere inuenientes nouam religionem, vel nouae religionis habitum assumetes: sed in praedicto cap. hoc non prohibetur sub tali censura. Quidam putant id haberi ex extrauag. quadam Ioan. 22. relata per Pan. in eodem cap. tamen nec in ea id prohibetur, vt bene aduertit Caiet. verb. excommun. ca. 5. nam procedit contra fratricellos & beguinas, qui hodie non extant. In illo autem c. vni. de relig. domi. est lata excommunicatio contra quosdam mendicantes extra quatuor ordines approbatos: sed iam hodie non habet locum.

Vndecima habetur cap. quamquam de cens. in 6. Vbi ipse iure sunt excommunicari quicumque per se, vel per alium proprio nomine, vel alieno, ab Ecclesijs, aut a personis Ecclesiasticis exigunt pedagia, vel guidagia pro personis, aut rebus, quas deferunt, vel deferri faciunt non causa negotiorum. Intellige, si sunt personae singulares, qui exigunt, excommunicantur, etiam si sint Episcopi, vt notat Archidia. Si enim est Vniuersitas, aut Collegium, non excommunicantur, sed pro facto est supposita interdicto, vt habetur in textu. Nota ex Ioan. Andr. & Archid. dici negotiari, quando res emittuntur integra, & immutata cum lucro vendatur, & tunc clericus tenetur soluere gabellam secundum usum patriae: si tamen emittatur in usum proprium, non tenetur, aut si non emat, sed recollecta de rebus suis, vt vinum, bladum, & similia vendat, non tenetur, vt notat Siluestr. excommunicatio. 9. §. 46. qua

non est hoc negotiari. Ista excommunicatio hodie est reseruata in Cœna, vt notant Angelus excommunicatio. 7. casu. 23. & Siluestr. loco citato, & nos superius diximus.

Duodecima habetur in cap. quoniam, de immunita. Ecclesi. in 6. Vbi excommunicantur ipso iure, qui eos, qui impetrant litteras Apostolicas, aut litigant, aut litigare volunt, siue ambæ partes in id consenserint, siue vno in foro Ecclesiastico, delegato, vel ordinario super causis Ecclesiasticis, siue ad forum Ecclesiasticum ratione personarum, vel negotiorum, vel rerum de iure, vel antiqua consuetudine pertinentium compellunt per se, vel per alios, aut compelli procurant ad desistendum, vel ad litigandum in foro seculari de huiusmodi questionibus cum dantibus ad hoc auxilium, consilium, vel fauorem, siue ista compulsio fiat per captionem Iudicum Ecclesiasticorum, aut litigantium, aut litigare volentium, aut rerum, aut Ecclesiarum, aut consanguineorum eorundem, aut quocumque alio modo. Nec sunt isti absoluedi, nisi prius integre satisfecerint, tam Iudici cuius iurisdictionem perturbant, quam parte perturbatæ de iniuria, damnis, expensis, & interesse. Hæc omnia in prædicto cap. habentur.

Nota ex Archidia. & Ioan. Andr. quod absolutio data ab Ordinario ante huiusmodi satisfactionem non valet; quamuis enim verum sit, quod supra diximus, quando habenti potestatem à legē sit prohibitio absoluedi, teneat absolutio, licet forma non seruetur, & Episcopus à legē habeat potestatem absoluedi ab hac, quia non est reseruata, tamen non habet locum hoc, quando est clausula irritans absolutionem, si forma non seruetur. In hac autem talis clausula est: nam verbum, quod in textu habetur, *nullatenus*, est irritans. Vnde non placet sententia Silu. excom. 9. §. 49. tenentis contra Archid. Nota, quod ista excommunicatio quantum ad eos, qui impediunt impetrantes litteras Apostolicas, & eos, qui capiunt Iudices, si sunt Pontificis Romani est in Cœna.

Decimatertia habetur cap. eos, de immunit. Eccle. in 6. Vbi excommunicantur tenentes Dominium temporale, qui interdicitur suis Subditis, ne Prælati, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, nec emant aliquid ab eisdem, nec ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibeant. Nota ex Gemini. duos requiri ad contra-

hendam hanc censuram. Et quod sint Domini, seu habeant Dominiū temporale, seu seculare; & quod hęc interdican- tur subditis. Vnde si Domini non sunt, aut si sunt, sed interdican- tur subditis alienis, non contrahunt. Consentiunt Silue. excom. 9. §. 59. & Ang. excom. 7. caf. 26.

Decimaquarta habetur in c. vt periculosa. ne cleri. vel ma- nach. in 6. Vbi excommunicantur primo Professi tacite, & expresse in aliqua Religione approbata temere habitu dimi- tentes. siue in scholis, siue alibi.

Secundò, tales Religiosi accedentes ad quæcumque studium sine licentia Prælati, cum consilio conuentus, vel maioris partis.

Tertiò, Doctores, & Magistri, qui Religiosos habitu dimi- tto, Leges vel Physicam audientes. scienter docere, aut in Scholis retinere præsumunt.

Circa primùm nota, non contrahi hanc excommunicationem propter quamcumque dimissionem habitus, nisi sit temeraria, & sine causa rationabili; unde quando est causa, ut vt timor, vel medicina, aut simile aliquid, non est dimissio excommunicatus, vt notat Ioan. Andr. Immo quando est dimissio temeraria, sed temeritas non est mortale peccatum, quando dimittitur ad horam, vt currat, vel lapidem proijcat, non est excommunicatus, vt notat Palu. 4. d. 18. p. 3. immò etiam quando est cum mortali peccato dimissio coniuncta, si dimittatur ad horam ad commodius committendum aliquid quod mortale, alio habitu non assumpto, vt notat Silue. excommunicati. 9. §. 53. Nec etiam est dimissio, quando dimittitur, nullo alio habitu assumpto. Illa ergo est dimissio, quando est assumptio alterius habitus, & ad notabile tempus, vt arbitrio boni viri dicatur dimisisse. Vnde qui dimittit per tempus paucum, alium sumens ad ludum, aut ad festum, quod iterum sumpturus proprium, nõ est excommunicatus. Eadem est ratio de dimittente, & de occultante, vt habet Clem. quoniam de vit. & honest. cleric. & Silue. loco allegato, quod intellige, quando ita occultatur, vt nequeat cognosci quod sit religiosus.

Circa secundum, nota cum communi Doctorum sententia id intelligi, quando accedit Religiosus ad studia extra clas- srum, etiam si studia non sint prohibita.

Rursus, etiam si licentiam habeat, si habitum dimittat, con- trahit excommunicationem, vt colligitur ex textu, & etiam

habe

habeat licentiam Prælati, sed non cum consilio maioris partis conuentus, nisi sit talis superior, qui potest dare facultatem habitandi extra claustra. Nota etiam, quod non procedit hæc pœna in Abbate ipso, & Superiori, etiam si sine licentia maioris superioris, aut conuentus eat ad studia, vt habent Gemina. & Archid. hic, & Angel. ex com. 7. casu. 27. licet Silu. ex comm. 9. §. 55. teneat contrarium.

Circa tertium nota ex Gloss. quod si non dimittat talis Religiosus habitum, non sunt Doct. excommunicati hac constitutione, quæ cum limitatione procedit, nempe quando Religiosus dimisit habitum, & audit leges, vel Physicam, & scienter docent Doct. vel in Scholis retinent: tamen erunt excommunicati ab alio iure, quia communicat cum excommunicato in crimine, postquam Religiosus semel contraxerit excommunicationem, audiendo tales facultates per duos menses, vt supra diximus, vel etiam si audiant Theologiam, tamen id est sine licentia Prælati de consilio conuentus; tunc enim, postquam semel fuerit Religiosus excommunicatus audiendo ipsum docere, est participare in crimine.

Decimaquinta habetur in capit. quicumque de hære. in 6. Vbi ipso iure excommunicantur quicumque scienter præsumunt tradere Ecclesiasticæ sepulturæ Hæreticos, eorum credentes, receptatores, defensores, vel fautores; nec absoluendi sunt, donec propriis manibus publicè extument, & proiciant huiusmodi cadauer: & locus ille perpetua caret sepultura.

Decimasexta habetur in c. vt inquisitionis de hæret. in 6. Vbi ipso iure excommunicantur.

Primò, Potestates, Domini temporales, Rectores, vel eorū officiales, seu Baliui, si de crimine hæresis cognoscant, vel iudicent.

Secundò, si captos pro eodem crimine absque Diocesanorum, vel Inquisitorum licentia a carcere liberent.

Tertiò, si executionem pro huiusmodi crimine à Diocetano, vel Inquisitore iniunctam non impleant, prout ad eorum spectat officium.

Quartò, si directe, vel indirecte præsumant sententiam, aut processum Diocesanorum, vel Inquisitorum impedire.

Quintò, si Diocetano, vel Inquisitori præsumperint se opponere in his, quæ ad fidei negotium præfatum incumbunt, aut aliter impedire.

Sexto, omnes in his scienter dantes consilium, auxilium, fauorem Nota ex Ioan. Andr. quando Diocesanus, & Inquisitor discordant in mandato; vnus enim mandat puniri, alii laxari, debent Domini illi, seu Rectores, & alij prædicti suspendere, donec Papa consulatur. Nota rursus ex Silu. excommunicatione 9. §. 58. quod incidunt in hanc pœnam præfati, si cognoscant directè, puta quia cognoscentes vt de causa principali faciunt capi hæreticum, siue indirectè, & incidunt quia alia de causa fecerunt capi: sed de Hæresi iudicialiter non cognoscunt. Nota rursus Angel. excommunicatione 7. c. 29. putare non esse excommunicatos, quando illa faciunt nimio offendendi inimicum, non animo impediendi officii inquisitionis: sed oppositum est verius, nempe quocumque modo faciant, eos esse excommunicatos, si illa faciãt, quæ prohibentur: nam factum damnatur simpliciter, non intentio. Nota rursus ex textu, quod si aliquis præfatum animo pertinaci per annum sustinuerit prædictam excommunicationem, velut hæreticus ex nunc condemnabitur.

Decima septima habetur capit. pro humani. de homic. l. 1. Vbi excommunicantur qui per assassinos occidere faciunt aliquem Christianum, vel mandant, etiam si mors non sequatur. Hæc excommunicatio hodie parum est in vsu, quia non sunt tales assassini; vt enim Archi. hic notat, illi assassini erant quidam infideles sub dominio cuiusdam Domini, qui per vicia conducti occidebant Christianos. Vide Siluest. vassallus.

Decima octaua habetur c. vsurarum, de vsuris in 6. Vbi excommunicantur singulæ personæ Ecclesiasticæ inferiores piscopis.

Primò, si vsurarijs manifestis alienigenis, & non oriundis à terris suis domos conducant, aut cõductas habitare permittant, aut alio titulo concedant ad fœnus exercendum.

Secundò, si eos intra tres menses à terris suis non expellant.

Tertiò, si eos de nouo admittant. Nota ex Silu. excommunicatione 60. dici alienigenam, qui non est de illo dominio, in quo habitat, licet sit sub eodem Domino: nam vnus Domini dominia esse possunt: si tamen est de eodem dominio, tamen non de eadem ciuitate, non censetur alienigena in tali ciuitate, nec tunc procedit censura; nec etiam censetur alienigena

si p...

si patrem habet ortum in ciuitate illa, licet ipse sit ortus & natus extra dominium, nam tunc oriundus est ex tali Ciuitate.

Decimanona habetur capit. vni. de iniur. in 6. Vbi ipso facto singulæ personæ excommunicantur, quæ contra personas Ecclesiasticas, vel earum bona concedunt repræfallias, & qui generaliter concessas ad præfatas personas extendunt, nisi concessionem, vel extensionem intra mensẽ reuocauerint. Si autem est vniuersitas, est interdicto supposita: Nota ex Archi. quod concessio pertinet ad superiores; extensio ad inferiores, quibus conceduntur. Nota rursus ex Gemini. quod ista reuocatio debet esse re integra: nam si ante reuocationem, aut ante mensam procedatur ad actum, incurritur hæc pœna. Nota rursus, quod hæc procedit etiam in repræfallijs iustis, quæ conceduntur in locis, vbi est clericus; tunc enim non debet extendi ad personas Ecclesiasticas. Nota rursus ex Archid. eos, qui concedunt repræfallias contra bona alicuius clerici ob ipsius debita, festiuitatis seruandis, non incurrire hanc censuram. Nota rursus ex Gloss. quod propter debita clerici vnius diocesis, non possunt concedi repræfalliæ contra bona clerici alterius diocesis, in qua est debitor constitutus.

Vigesima habetur in c. foelicis de pœn. in 6. Vbi excommunicantur Principes, & alij Domini, & Iudices, qui non obseruauerint ea, quæ ibi continentur contra persecutores Cardinalium. De hac suprâ diximus.

De excommunicationibus non reseruatis in Clementinis.

CAPVT XXXIX.

PRima habetur Clem. vni. de sequestra. possessi. & fructu. Vbi excommunicantur omnes, qui in sequestratione facta per Ordinarium loci de beneficio Ecclesiastico per triennium integrum pacifice non possessio sententiã definitiuam cõtra possessorem apud Sedem Apostolicam dũraxat in possessorio, vel petitorio promulgatam impedire, vel fructus sequestratos quomodo occupare præsumunt: aqua sententia non absoluentur, nisi vsurpata restituant, & remoueant

impedimentum. Nota ex Ioan. Andr. quod non habet locum hæc pœna, nisi in sententia definitiua, quæ nempe principalem causam definit, & non in quacunque, sed in ea, quæ est legitima per beneficio Ecclesiastico. Nota rursus, quod non habet locum nisi in sequestratione facta per Ordinarium, non in ea, quæ est ex Summi Pontificis commissione.

Secunda habetur in Clem. I. de sepultu. Vbi excommunicantur omnes etiam exempti.

Primò, qui interdicti tempore in Cœmeterio sepeliant scienter cadauera defunctorum, extra casus à iure concessos.

Secundo, publicè excommunicatos.

Tertiò, nominatim interdictos.

Quartò, manifestos vsurarios. Nec debent absolui, nisi satisfecerint his, quibus est iniuria facta secundum arbitrium Diœcesani, aliter absolutio est nulla, propter illud verbum (*nullatenus*.) Nota idem censendum esse de cœmeterio, & de Ecclesia secundum Cardin. ibi. q. 7. Rursus ex Gloss. quod procedit hoc de excommunicatione maiori à iure, vel ab homine. Rursus, quod nominatim interdicti debent esse à diuina & participatione sacramentorum, non ab officio, vel iurisdictione tantum, vt notat Ang. excomm. 7. ca. 36. Et sufficeret, si interdictus esset à sepultura secundum Gloss. Nota quod dicitur extra casus iure concessos: nam aliquando licet, vt dicitur in materia de interdicto. Nota quod per publicè excommunicatos oportet intelligere post extrauag. Martini nominatim denunciatos, vel publicos Clerici percussores. Nota etiam manifestum vsurarium dici, qui est conuictus, & condemnatus, vel notorius notorietate facti, vt qui publicè tenet altare paratum, & mutat omnibus volentibus capere, vt habet Abb. c. quia in omnibus num. ii. de vsur. Rursus ex Caiet. verb. excommunic. c. 46. Hæc pœna solos comprehendit eos, qui humo, seu tumulo mortuum imponunt: non autem portantes, nec comitantes, nec terram fodientes, nec mandantes, nec officium dicentes. Vide Glo. in eadem Clem. ii. sepelire.

Tertia habetur in Clem. religiosi de decim. Excommunicantur Religiosi non habentes beneficium, nec administrationem propter quatuor.

Primò, si noualia, aut aliàs decimas Ecclesijs debitas, ad eam aliqua causa legitima non spectantes, sibi appropriare, aut exquisitis fraudibus, siue coloribus vsurpare præsumpserint.

Secundo, si de animalibus familiarium, & pastorum suorum, vel aliorum animalia ipsa eorum gregibus immiscendum, decimas solui Ecclesijs non permiserint, seu prohibuerint.

Tertio, si de animalibus, quæ in fraudem Ecclesiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus, vel alijs ab ipsis tenenda, decimas etiam solui Ecclesijs non permiserint, seu prohibuerint.

Quarto, si de terris, quas tradunt alijs excolendas, decimas etiam solui Ecclesijs non permiserint, seu prohibuerint. Hæc autem omnia non sufficiunt ad pœnam hanc contrahendam, nisi post requisitionem per eos, quorum intererit, super hoc eis factam à præmissis non destiterint intra mensem; aut si de eis, quæ contra præmissa usurpare, vel retinere præsumpserunt, intra duos menses Ecclesijs damnificatis emendam non fecerint competenter, & non sunt absoluendi ante condignam satisfactionem, alias est nulla absolutio: nam est particula, *nullatenus*, quæ irritat. Notat ex Gloss. sufficere vnam requisitionem. Rursus comprehendi etiam fœminas religiosas, Cistercienses, & hospitalarios: non autem clericos seculares, aut laicos, nec religiosos ipsos, quando decimæ non debentur Ecclesijs, sed priuaris personis. Rursus nota ex textu, quod religiosi habentes beneficium, vel administrationem non incurrunt excommunicationem hanc: sed loco eius suspensionem ab officijs, administrationibus, & beneficijs suis. Nota rursus, quod non contrahitur ista pœna ex sola non solutione, nisi ex appropriatione, vel usurpatione, aut non permissione, seu prohibitione, ne solutio fiat. Nota rursus, ex Silu. excommun. 9. §. 72. quod non comprehendit hæc excommunicatio religiosum translatum ad Ecclesiam secularem, quando habet temporalem administrationem, vel beneficium: hic tamẽ suspensionem contrahet, quamuis non habeat beneficium regulare: nam Clement. de beneficio vniuersaliter loquitur, quando excipit ab excommunicatione, & supponit suspensionem habentes beneficium.

Quarta habetur in Clem. ne in agro, de stat. monach. §. quia vero. Vbi ipso facto excommunicantur.

Primo, Monachi, aut Canonici regulares administrationem non habentes, qui ad Principum curias se conferre præsumunt, vt suis Monasterijs, aut Prælatibus damnum aliquod inferant. Nota ex Gloss. duo requiri ad contrahendam hanc cen-

furam, quod intrent curiam, & quod hoc animo intrent, si licentiam sui Prælati, siue non: Immo addit, *etiam si non intulerit damnum*, si modo hoc animo intrauerit curiam; non tamen à Monasterio exisse sufficit, nisi intret in curiam.

Secundò, excommunicantur Monachi, qui intra septem Monasterij tenent arma sine licentia Abbatum suorum. Nota est Gloss. ibidem quod hæc non comprehendit Canonicos regulares, nec Monachos habentes arma extra septem sui Monasterij, etiam si habeant in alio Monasterio, nec Monachos venientes ad Monasterium cum armis non animo tenendi. Et arma autem, ut eadem Gloss. dicit, non solum intelliguntur defensiva, sed etiam offensiva: non tamen ligna, & lapides, quæ ex se non sunt arma, nisi ex intentione habentis. Nota rursus, ex Cardina. ibi, quod scriptum est clausura Monasterij, extra quam sine licentia exire non licet. Nota Rursus ex Silu. excommuni. 9. §. 73. quod si habeat arma aliqua in usum aliquem, non in pugnam, ut si haberet gladium magnum ad usum coquinæ, non ligabitur ista censura. Nec valet argumentum, quod sicut lapides non prohibentur, quia ex se non sunt arma, licet adsit intentio pugnæ, ita illa, quæ ex se sunt arma prohibebuntur, etiam si intentio non sit pugnæ: nam odia restringuntur, fauores ampliantur. Nota etiam ex Silu. loco citato, hanc constitutionem comprehendere Monachos in generali, siue albi, siue nigri sint, siue alio colore. Nota rursus, ex Cardin. & Angel. excommuni. 7. cas. 38. quod si Abbas patitur contumeliam Creatori, vel iniungit Monachis intollerabilia, vel eos prosequitur odio capitali, poterunt Monachi sine licentia arma sumere ad defensionem, si alijs remedijs omnino non possunt sibi providere.

Quinta habetur in Clem. attendentes. §. final. de statu Monach. Vbi excommunicantur ipso facto impediens visitatores monasterium quarumcumque, & etiam Canonicarum regularium in his, quæ pertinent ad officium visitationis eandem. Nota ex Cardin. tria requiri ad incurrendam prædictam pœnam.

Primò, ut impedimentum actualiter præstetur.

Secundò, ut fiat admonitio, ut desistant, iuxta textum, quæ admonitio non debet præcedere, sed subsequi impedimentum, & sufficit vna etiam, facta in generali.

Tertiò, ut admonitio ista fiat per ipsum visitantem.

Sexta habetur in Clem. i. de relig. domi. Vbi excommunicantur omnes statum beghinarum assumentes, vel assumpti sectantes, & religiosi, qui dictas beghinas fouent in earum statu, seu vt assumant earum habitum, dans cōsiliū, auxilium, fauorem directē, vel indirectē. Hodie iam non extant tales beghinae.

Septima habetur in Clem. i. de consangu. & affini. Vbi excommunicantur sex genera personarum ipso facto.

Primò, contrahentes scienter in gradu consanguinitatis prohibito.

Secundò, etiam contrahentes scienter in gradu affinitatis prohibito. Intelligit hæc duo, sine dispensatione.

Tertiò, qui scienter contrahunt cum Monialibus, intelligit professis.

Quartò Religiosi, scilicet professi contrahentes.

Quintò Moniales, scilicet professæ contrahentes.

Sextò, clerici in sacris constituti pariter contrahentes matrimonium. Nota ex Gloss. non ligari hos, si sponsalia tantum contraxerunt: nam textus dicit matrimonialiter: sed si contraxerint per verba de præsentī, etiam non secuta copula, ligantur. Addit Gloss. quod si copulam habuerunt non animo contrahendi, sed animo tantum carnali, non ligantur. Adde etiam, quod etiam si sponsalia contraxerint de futuro, & copula accedat animo maritali, modo non ligantur, immo etiam si verba præcesserint de præsentī, sine testibus tamen, & parochio non ligantur, quia post Concil. Trident. talia non sunt matrimonia, & per hanc constitutionem excommunicantur, qui adhibēt ea, quæ ad matrimonium sufficiunt cum affinibus, consanguineis, &c. licet verè non sit matrimonium ex defectu consanguinitatis, affinitatis, vel voti. Nota rursus, ex Gloss. cum alijs impedimentis contrahentes, etiam si sint talia, quæ dirimant contractum, quale est impedimentum honestatis, & alia præter hic expressa, non ligantur hac constitutione. Nota rursus, illud verbum, *scienter*, referri ad tres primos casus: & procedit, quando non est ignorantia facti probabilis, vt dicit Gloss. An autem procedat de ignorantia iuris, diximus superius, cum de ignorantia tractauimus.

Octaua habetur in Clem. nolentes. de hæret. Vbi excommunicantur ipso facto Inquisitores, & eorundem, vel Episcoporum, aut capitulorum, Sede vacante, Commissarij super hæresi

dep u

deputati, si prætectu officij Inquisitionis, quibusvis modis illicitis ab aliquibus pecunias extorqueant, aut si scienter attemptent Ecclesiarum bona ob Clericorum delictum prædicti officij occasione Fisco etiam Ecclesiæ applicare. Nec possunt absolui, nisi in mortis articulo, donec planè satisfecerint de pecunia sic extorta illis, à quibus extorserunt. Nota ex Gloss. quod in Episcopis ipsis non habet hæc pœna locum, nec in alijs, si non prætectu officij Inquisitionis illud faciant. Nota rursus ex eadem Gloss. quod in bonis proprijs clericorum, quæ non sunt Ecclesiarum, non procedit hæc pœna: procedit autem de bonis Ecclesiarum, non solum quando applicantur Fisco Ecclesiæ; sed multo magis quando applicantur Fisco seculari, vel sibi ipsis. Nota rursus ex Ioann. Andr. & Cardin. quod nomine pecuniæ venit omne pecunia æstimabile.

Nona habetur in Clem. vni. de vsuris. Vbi excommunicantur ipso facto Potestates Capitanei, Rectores, Consules, Iudices, Consilianj, & alij quouis officiales.

Primò, si præsumant statuta facere, scribere, vel dictare, quòd vsuræ soluantur, vel quòd solutæ, cum repetuntur, non restituantur.

Secundò, si secundum illa scienter iudicare præsumant.

Tertio, si hætenus edita de libris communitatum, si super hoc habent potestatem, non deleuerint intra tres menses.

Quartò, si ipsa statuta, vel consuetudines habentes illorum effectum præsumant obseruare. Nota duo esse necessaria ad hanc pœnam contrahendam secundum omnes: vt sit officialis aliquis ex prædictis; & quòd faciat aliquem actum ex dictis, si enim non est officialis, non contrahit, etiam si ea faciat. Nota rursus ex Gloss. qui statuit, ne pro vsuris aliquis accipiat vltra certam summam, non contrahit hanc pœnam, quia non statuit positiuè vsuram soluendam. Nota rursus ex Glo. & Cardin. quòd quando dicitur, *si habeant delendi potestatem*, intelligitur de potestate iuris, vel facti.

Decima habetur in Clem. cupientes. de pœn. Vbi primò excommunicantur ipso facto omnes Religiosi mendicantes, qui sine licentia Pape loca de nouo accipiunt ad habitandum, vel recepta hucusque mutant, vel alio quouis alienationis titulo transferunt. Nota ex Cardin. quòd non prohibentur loca destructa reficere, nisi vt dicit Ange. excommuni. 7. caf. 4. de

ferri.

fierint esse de eorum dominio, & postea nouo iure acquisita. Nota etiam ex Lapo. consil. 188. quod non prohibentur capta loca augere, cui consentiunt Angel. loco citato, & Siluest. excomm. 9. §. 86. Nota rursus iam multa priuilegia esse concessa à Sede Apostolica contra huiusmodi constitutionem mendicantibus.

Secundò, in eadem Clem. excommunicantur omnes religiosi, qui in concionibus, vel alijs locis dicunt aliqua hac intentione, vt retrahant auditores à solutione decimarum Ecclesijs debitarum. Nota ex Ange. loco citato tria requiri ad hanc sententiam contrahendam.

Primò, vt proferant aliquid hac intentione, nempe retrahendi.

Secundò, quòd decimæ, à quibus retrahunt, sint debitæ.

Tertiò, quòd dicant audientibus illis personis, quæ tenentur eas soluere. Adde etiam ex Gloss. quòd solos Religiosos comprehendit, tam mendicantes, quam non mendicantes: non autem Clericos, vel seculares. Et secundum Bonifa. comprehendit etiam religiosas.

Tertiò, excommunicantur in eadem Clem. religiosi, qui scienter postponentes conscientiam facere de soluendis huiusmodi decimis, & postea, cum commodè possint non purgantes negligentiam eos admonendo præsumperunt prædicare. Hoc tamen non se extendit ad Religiosos Monasteriorum, vel Rectores Ecclesiarum decimas percipientium. Nota quatuor necessaria ad hanc pœnam incurrendam.

Primò, vt fuerint negligentes in admonendis pœnitentibus de solutione decimarum.

Secundò, vt id scienter fecerint.

Tertiò, quòd non purgauerint negligentiam, cum tamen potuerint.

Quarto, quòd postea prædicauerint.

Vndecima habetur in Clem. 1. de sent. excommuni. Vbi excommunicantur ipso facto omnes Religiosi, cuiuscumq; ordinis, & conditionis existant, tam exempti, quam non exempti, qui interdictum impositum auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Ordinariorum, quòd sciunt Matricem, vel Cathedralem, seu Parochialem loci Ecclesiam seruare, non seruant. Idem statuitur de interdictis, & cessationibus à diuinis indictis per Prouincialium Conciliorum statuta, vel ipsorum auctori-

tate.

tate. Idem etiam statuitur in cessationibus à diuinis generalibus Ciuitatum, Terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando ex consuetudine, vel alias Capitula, vel Collegia, vel Conuentus secularium, vel regularium Ecclesiarum sibi vendicant. Nota ex Gloss. quòd hæc constitutio ligat omnes Religiosos mendicantes, & non mendicantes; non tamen clericos seculares; & procedit etiam si interdictum sit nullum, dummodo seruetur ab Ecclesia, Matrice, Cathedrali, vel Parochiali loci. Rursus ex eadem Gloss. non procedit in particulari interdicto hoc enim in loco particulari interdicto seruetur, & consequenter nec in interdicto personali, sed in generali loci, tam iuris quam hominis. Nota rursus, ex Silu. excommuni. 9. §. 92. quòd si in aliquo loco non est Matrix, vel Cathedralis Ecclesia, sed Parochiales multæ æquales, tunc non satis est ad incurrendam hanc pœnam, quòd vna seruet, sed debent omnes seruari interdictum.

De excommunicationibus non reseruatis in Extrauagantibus.

CAPVT XL.

Prima habetur in extrauag. super gentes. de consuet. Vbi ipso facto excommunicantur omnes impediētes Nuncios, vel Legatos Romani Pontificis, ne ingrediantur Regna, Prouincias, & Terras, ad quæ ipsos destinari contigerit, aut ne libere legationis sibi commissæ officium in eisdem exercent. Hodie hæc excommunicatio est reseruata in Bulla Cœnæ.

Secunda habetur in Extrauag. Ambitiosæ. de empr. & vend. Ipso facto excommunicantur, qui extra casus à iure concessos alienant bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum, aut ultra tres annos locant, aut alio contractu concedunt. Et non solum alienantes, & concedentes, sed etiam qui bona alienata, vel concessa ultra tres annos acceptant. Hæc est Pauli II. hæc secundum Caiet. verb. excommuni. cap. 75. non est vniuersaliter recepta, sed in aliquibus locis quantum ad aliquid. & Silu. v. alienatio. putat non esse receptam. Puto quantum ad excommunicationem non esse receptam; quantum autem ad inualiditatem contractuum contra hanc constitutionem ini-

torum

torum non esse vniuersaliter receptam; sed considerandam esse locorum consuetudinem.

Tertia habetur in Extrauag. quia nonnulli. de sent. excommunicati. Excommunicantur ipso facto, qui impugnant literas electi Papæ, etiam antequam coronetur, cum per ipsam electionem canonice factam, sibi ius Papatus sit acquisitum, & canonice electione confirmatus sit, & exercere possit officium suum, etiam ante coronationem, vt habetur 23. d. can. in nomine Domini. Hæ sunt excommunicationes, quæ in corpore iuris reperiuntur, nonnullæ aliæ supererant, nempe quæ in Concilio Lateranensi habentur: sed quia huiusmodi excommunicationes non sunt certæ, & Caiet. v. excom. versus finem & alijs viris doctis non videntur receptæ, ob id ego prætermisi, cum idem mihi visum sit. Aliæ quædam sunt, quarum meminit Antoni. & Silu. quæ non habentur in aliqua extrauaganti scripta, nisi ex eorum relatione, quas etiam omisi, quia nonnullæ non habent auctoritatem. Nonnullæ alijs scriptis constitutionibus habentur.

De excommunicationibus in Concilio Tridentino positis.

CAPVT XLI.

IN Concilio Tridentino nostris temporibus celebrato, nonnullæ apponuntur ipso facto excommunicationes, quas oportet explicare.

Prima habetur in sess. 4. Vbi excommunicantur omnes imprimentes, & imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes libros de rebus sacris, sine nomine auctoris, & sine approbatione, examine prius ab Ordinario factis, & si regulares fuerint, ultra examinationem, & approbationem Ordinarij necessaria est proprij etiam superioris recognitio, & licentia iuxta proprias ordinationes. Eadem censura ligantur, qui scripto eos euulgant, aut communicant, nisi antea examinati, probatique fuerint. Debet autem hæc probatio in scriptis dari, & in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè apparere.

Aduerte quod in hac parte renouatur decretum Concilij Laterani. sess. 10. vbi tales excommunicatione ipso facto ligantur:

tamen

tamen in Concil. Later. constitutio hæc generalior est; non enim solum procedit de libris de rebus sacris tractantibus, sed de quibuscumque libris, vel scripturis. Et rursus in alijs locis extra Urbem non solum est necessaria prohibitio Ordinarii seu alicuius, qui scientiam habeat libri ab Ordinario deputandi, sed etiam probatio Inquisitoris illius diœcesis, in qua impressio. In Vrbe autem sufficit Vicarij, & Magistri de Sacro Palatio probatio. Et hæc constitutio Concil. Lateran. hodie Romæ seruatur. Concil. verò Trident. constitutio restrictior est, & seruanda vbi non erat recepta constitutio Concil. Lateran. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Secunda habetur in sess. 5. in decre. de peccato originali. fin. Vbi renouatur constitutio Xysti IV. quæ edita fuit super immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ Deum cum omnibus pœnis in ea contentis, de qua constitutione diximus supra. Et hæc est Papæ reseruata per prædictam constitutionem.

Tertia habetur in sess. 13. can. 11. Vbi ipso facto excommunicantur prædicantes, vel docentes, vel pertinaciter assertores, vel publicè disputando defendere præsumentes, non necessariam sacramentalem confessionem, habita copia sacerdotis, ante communionem his, quos conscientia peccati mortalis grauat, etiamsi contriti accedant. Hæc est ad remouendam quorundam opinionem, existimantium eos, qui mortale commiserunt peccatum posse accedere cum sola contritione ad communionem, etiamsi copia Confessarij adhiberi sufficere propositum confitendi: Non est reseruata hæc excommunicatio.

Quarta habetur sess. 22. cap. 11. Vbi excommunicantur omnes, tam laici, quam clerici, quacumque dignitate, etiam Imperiali, vel Reginali præfulgeant, qui alicuius Ecclesiæ, aut eius iusuis secularis, vel regularis beneficij, montium pietatis, aliorumque locorum iurisdictiones, bona, census, aut iura, etiam feudalia, & emphiteotica, fructus, emolumenta, seu quascumque obuentiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel per alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum, seu quacumque arte, vel quæsito colore in proprios usus conuerrere, illisque vsurpare præsumunt, seu impediunt ne ab eis, ad quos de iure pertinent, percipiantur. Eidem excommunicationi supponitur Clericus ipse suppositus, & tenet

hic, quàm vsurpator ipse, ipso iure priuatus est omnibus beneficijs suis, & ad alia inhabilis factus. Si autem eiusdem Ecclesiæ fuerit patronus talis vsurpator, ipso iure priuatus est iure patronatus. Hæc autem excommunicatio est Papæ reseruata.

Quinta habetur sess. 24. cap. 6. Vbi excommunicantur raptores mulierum, & dantes eis consilium, auxilium, vel fauorem ad huiusmodi raptum. Alijs etiam pœnis ibi ipso factò subijciuntur; non tamen excommunicatio est reseruata. Nota ex Panor. cap. cum causa. nu. 1. de raptu. tum dicitur raptum, cum rapitur mulier causa libidinis: similiter etiam cum rapitur causa matrimonij, quando non præcessit tractatus matrimonij, & mulier non consentit: si enim mulier consentit in raptu, & præcessit tractatus matrimonij, licet reclamant parentes, non est raptus, qui pœnæ subijciatur, vt habetur cap. cum causa. allegato.

Est tamen aduertendum, vltra prædicta requiri, quod mulierem quis de loco ad locum conueat, idque ad effectum abducendi; non autem causa commodioris coitus: alioquin, vt notat Clar. in prax. crimin. §. raptus. in prin. de mente omnium non esse raptus.

Sexta habetur sess. 24. cap. 9. vbi excommunicantur omnes cuiuscumque dignitatis existant, qui quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogunt, quominus liberè matrimonia contrahant: non est reseruata hæc excommunicatio. Hæc præcipuè fulminatur contra dominos temporales, & magistratus, qui sub sua iurisdictione degentes, pœnis, vel minis cogunt cum ijs matrimonia contrahere, quos ipsi præscribunt, quia illos diuites, vel spem magnæ hereditatis habere cognoscunt, vel alijs de causis similibus.

Septima habetur sess. 25. cap. 5. vbi ipso factò excommunicantur omnes Magistratus seculares, qui non præbent auxilium inuocatum ab Episcopis ad restituendam, vel conseruandam clausuram Monialium, & ad compescendum pœnis inobedientes, & contradictores talis clausuræ.

Octaua habetur in eod. cap. vbi excommunicantur ingredienti septa monasterij Monialium cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine licentia Episcopi vel superioris in scriptis obtenta. Ista excommunicatio, sicut præcedens, non est reseruata.

Nona habetur sess. 25. cap. 18. vbi primo excommunicantur omnes, & singulae personae, cuiuscumque qualitatis, & conditionis fuerint, tam clerici, quam laici, seculares, vel reges, aut etiam qualibet dignitate fulgentes, qui quomocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, praeterquam in casibus iure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem.

Secundò excommunicantur in aliquo ex praedictis consilium, auxilium, vel fauorem dantes.

Tertiò, qui scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interponunt,

Quartò, illi etiam excommunicantur, qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo sine iusta causa impediunt. Reserua est autem reseruata haec excommunicatio.

Decima habetur sess. 25. cap. 19. vbi ipso facto excommunicantur.

Primò, Imperatores, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, ad duellum inter Christianos locum in terris suis committentes.

Secundò, duellum, vel pugnam committentes.

Tertiò, qui eorum patrini vocantur.

Quartò, consilium in causa duelli, tam in iure, quam in facto dantes.

Quintò, quacumque ratione duellum cuique suadentes.

Sextò, spectatores duelli. Haec excommunicatio non est reseruata.

Aliae poenae feruntur contra istos in eod. cap. Haec sunt excommunicationes in Concil. Trid. ipso facto latae.

Hic autem aduertendum est, in eodem Concilio sess. 24. dari facultatem Episcopis absoluendi in foro interiori conscientiae in diocesi sua quoscumque sibi subditos à quibuslibet que casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reseruatis, & vbi possint per se exercere, aut per suum Vicarium, ad id specialiter deputandum, praeter crimen haeresis, à quo ipsis per se, nisi per Vicarium absoluendi facultas datur. Ex qua concessione

possunt absoluere Episcopi modo prædicto ab omni excommunicatione Papæ reservata, quando crimen est occultum: nam casus non reservantur Sedi Apostolicæ, nisi per censuras, ut dicit Caiet. in summ. ver. casus. Tamen ista facultas sic concessa post Concil. Trid. limitata est per Bullam in Cœna, per quam reuocatur facultas, etiam per Concilium generale concessa absoluendi à casibus in Cœna, ut habetur in Bulla: unde consequenter nec à crimine hæresis occulto absoluere iam possunt, nec ab alijs in Bulla contentis: poterunt tamen vigore Concilij ab alijs absoluere extra Bullam, tam ab his, quæ ante Concilium reservata erant, quam ab ijs, quæ post Concilium reservantur: nam licet verbo præteriti temporis utatur, extenditur tamen etiam ad futura, propter naturam legis, cuius est proprium comprehendere futura, ut habetur c. fin. de constit. & ibi Doct. quod confirmatur ex l. Arriani. c. de hæret. ubi habetur legem semper esse in viridi obseruantia, & semper loqui. Concilium autem generale vim legis habet.

Debet tamen hoc limitari, quando excommunicatio est tantum reservata, & non est apposta clausula (*non obstantibus*) si enim ita reservatur Papæ, ut nemo alius possit absoluere, non obstantibus, &c. Episcopus vigore Concilij non potest; nam, ut decidit Rota, per hanc clausulam tollitur facultas concessa per Concilium.

De facultate verò absoluendi à suspensione, & dispensandi super irregularitate eisdem Episcopis per idem Concilium concessa suo loco dicemus, dum de suspensione & irregularitate sermo occurrerit.

Quid sit suspensio, & quæ eius species.

CAPVT XLII.

Secundo loco post excommunicationem de suspensione tractandum est, quæ quidem breuiter potest sic defini.

Suspensio est Ecclesiastica censura priuans vsu Ecclesiastici officij, aut beneficij.

Dicitur primò, *Censura Ecclesiastica* loco generis; hoc enim est commune ipsi cum excommunicatione, & interdicto, ut habetur cap. querenti. de verb. signif.

Dicitur secundo, *priuans vsu*, quia dupliciter priuatur ali-

quis officio, aut beneficio. Vno modo, quando ipsum officium aut beneficium auferitur ab eo, quantum auferri per potestatem humanam potest. Altero modo, cum remanet, & ipse officium, aut beneficium, quia manet titulus, vel potestas, tamen auferitur exercitium beneficii, aut officij. Priori modo non est suspensio, sed degradatio, aut depositio. Posteriori modo, est suspensio. Et aduerte, suspensionem priuare vsu officij, aut beneficii, vt vsus est, cap. à nobis. de excep. Abb. in cap. de postolica, num. 2. eod. tit. nisi specificè sit prohibita suspensio hominum communiò, quo casu debet se abstinere etiam à communiòne, vt notat Gemin. in cap. 1. §. & hæc. num. 3. ver. dicitur, de sent. excom. lib. 6. Excommunicatio verò licet eum auferat vsus, non tamen hac ratione quatenus vsus est, quatenus communicatio quædam est cum alijs, à qua excommunicatus separatur; vnde excommunicatio non est dicenda suspensio, cum sit species quædam distincta censuræ Ecclesiasticæ.

Tertiò dicitur (*officij, aut beneficii Ecclesiastici*) quia in prædicti non loquimur de suspensione generali, quæ completitur etiam priuationem vsus officij secularis, sed in particulari, ad Ecclesiam pertinet, propter quod diximus eam esse censuram.

Huius suspensionis multi sunt etiam varij modi, seu species quædam, quas in particulari enumerat Glos. Clement. cap. de rebus. de pœnis. Possumus tamen eos in generali sic reducere, vt primo diuidatur in tres species; quædam enim est suspensio ab officio, & per officium intelligitur, tam officium ordinis, quàm officium iurisdictionis Ecclesiasticæ. Quædam est à beneficio Ecclesiastico, & per beneficium completuntur dignitates, Canonicatus, beneficia, siue curata, siue simplicia, & alia huiusmodi. Quædam est ab officio, & beneficio simul.

Secundò ea, quæ est ab officio tantum, aliquando est à toto officio, aliquando à parte. A toto officio, quando priuatur ordini cuiusque, & simul vsu iurisdictionis. Ea, quæ est à parte, multiplex est. nam aliquando est à toto ordine, tamen in toto, aliquando à parte, vt sacerdotio, aut diaconatu, aut alio inferiori.

Rursus in vno ordine, aliquando à toto, aliquando à parte; aliquando fit etiam à sola iurisdictione, sed tota, aliquando à parte aliqua.

Ter

Tertio, ea, quæ est à beneficio, aliquando etiam à toto, aliquando à parte sola, ut à fructibus percipiendis, vel aliquo alio ad ipsum pertinente.

Quarto diuiditur ratione temporum: nam aliquando est ab officio, vel beneficio, vel utroque ad aliquod tempus maius, vel minus prout determinatum fuerit à iure, vel ab homine; aliquando est à parte aliqua prædictum, aut ad tempus aliquod, aut in perpetuum, à toto tamen ordine, aut à toto beneficio, aut à toto officio non fit in perpetuum; tunc enim potius depositio, vel degradatio esset.

Quinto rursus diuiditur; nam quædam est à iure, quædam ab homine, sicut in excommunicatione declaratum est. Hi sunt modi suspensionis in summa, & in communi.

De quibusdam regulis, quibus explicantur species suspensionis prædictæ.

CAPVT XLIII.

IN his suspensionum speciebus, seu modis nonnullæ regulæ aduertendæ sunt, quarum prima est. Quando aliquis est suspensus ab ordine, non ob id suspensus est à iurisdictione: nec contra quando suspensus est à iurisdictione, ob id, suspensus censendus est ab ordine; quia hæc duo sunt inuicem distincta, & vnum ab altero non pendet, ut colligitur ex cap. aqua. de consecra. Ecclesi. Ex qua sequitur, quod suspensus à pontificalibus tantum, solum suspenditur ab exercitio eorum quæ ad ordinem Episcopatus pertinent, ut confirmare, chrismare, Ecclesias, ac Virgines consecrare, ordines conferre, dedicare Ecclesias, reconciliare, & similia, ut dicit Gemin. in cap. 1. §. officiales. numer. 3. de offic. ordin. lib. 6. non tamen ab his, quæ iurisdictionis sunt, ut conferre beneficia, excommunicare, &c. Hoc probatur ex cap. transmissam. de elect. ubi habetur, iurisdictionalia ista non pendere ab ipsis pontificalibus. ita etiam notat Panormit. cap. cum dilectus, de consue.

Secunda regula est, suspensus ab ordine simpliciter est suspensus à quolibet ordine, & per consequens ab omnibus fundatis super ordine, & sic à iurisdictione spirituali, & similibus, secundum Abb. in cap. cum dilectus. numer. 20. ver. si ergo. de

confue, Sil. ver. suspensio. num. 5. ver. si vero sit ab ordine. & milititer etiam talis suspensus incapax est beneficij obtinendi. Fely. in cap. 2. nu. 4. ver. limitatur. de rescrip. Si vero est suspensus ab aliquo ordine, tunc, si suspensus est a maiori, non ob suspensus est a minori; vnde suspensus a sacerdotio non est suspensus a diaconatu, & inferioribus. Suspensus ab ordine Pontificali, non ob id suspensus est a sacerdotio, nec ab alijs ordinibus, quia Pontificalia non spectant ad alicuius ordinis Ecclesiastici substantiam, vt omnes fatentur, teste Couar. rubr. de homicid. 1. par. relect. §. 1. ver. 2. colligitur, & per consequens suspensus a Pontificalibus celebrans in illo apparuit Pontificali non fit irregularis secundum communem opinionem, de qua per Couar. 1. par. relect. §. 1. ver. 2. colligitur: licet Episcopatus sit ordo, vt habetur in Concil. Trident. tamen est ordo, vt est sacramentum, vt ait Couar. variar. lib. 1. cap. nu. 15. Suspensus vero a minori suspenditur etiam a maiori; suspensus enim in diaconatu suspenditur in sacerdotio, & sic consequenter fit in alijs ordinibus. Ita habet Holbo. cap. dilectus filius. de tempo. ordi. & est communis sententia Doctorum. & similiter suspensus ab vno ordine non potest a maiore ascendere secundum Abb. in cap. fin. num. 2. de Ap. stol. ea ratione, quia videretur per saltum promotus. Idem Abb. in cap. de simoniace. num. 5. de sim. Cardi. Alex. in cap. qui studet. col. 2. ver. & dicit. 1. q. 1. Boic. in cap. post translationem. de re iud. vnde sequitur, vt notat Ang. suspensio. 3. §. 3. quod suspensus a collatione ordinum nullum potest conferre; suspensus vero a collatione maioris potest conferre minores; suspensus tamen a collatione minorum, non potest conferre maiores.

Tertia regula est Suspensus simpliciter ab officio suspenditur, & ab ordine, & a iurisdictione. ita habet Gloss. cap. cum dilectus, de consue. & ibi Panormitan. num. 19. Vbi dicit, officium esse latum vocabulum, & claudere vtrumque. Idem Felyn. in cap. Apostolica num. 16. de excep. & est communis sententia contra Gloss. can. audiui mus 24. qu. 1. quae dicit, quod suspensus ab officio intelligitur ab ordine, non autem a iurisdictione.

Quarta, suspensus a beneficio, non ob id suspensus est ab officio, puta ordine, vel iurisdictione. ita habet Gloss. cap. cum Vintoniensis de elect. & Panormit. cap. cum dilectus num. 2. de consue. quod intellige, quando iurisdictione non competit.

ratione illius beneficii, à quo est suspensus, vt notat Nauar. per cap. cum in cunctis. §. fin. de elect. in sum. cap. 27. num. 163. ver. sexto. suspensio enim principali, etiam accessorium suspensum esse videtur. Suspensus autem à beneficio, est suspensus à perceptione fructuum, & alijs; quæ sunt ratione beneficii, vt dicam infra.

Quinta, suspensus ab officio, non ob id suspenditur regulariter à beneficio. hæc est contra Gloss. cap. quia sæpe. de elect. Ratio autem huius est Gloss. Clem. cupientes. ver. suspensi. de pœnis. quia cum aliquando suspensio fiat ab officio, aliquando ab officio, & beneficio, superflue adderetur secunda pars, si in prima includeretur, siue ista suspensio sit à iure, siue ab homine, siue propter delictum etiam graue, siue ob aliam causam. ita habet Bonifa. Clem. cupientes allegata nu. 35. quamuis in hoc sint variæ opiniones. Intellige autem non esse suspensum à beneficio præter fructus illos beneficii, qui dantur ob vsum officij, à quo suspensus est, vt sunt distributiones quotidianæ, & similia, & præter actus beneficii, qui sunt ordinis, vel iurisdictionis, ab his enim suspensus est. Intellige etiam respectu suspensionis propter delictum in casibus illis, in quibus suspensio fit ad tempus: nam si suspensio esset perpetua, & pro delicto, vel culpa suspensi, censeretur suspensus à beneficio secundum Vital. in d. Clem. nu. 43. talis enim suspensio est similis priuationi; vnde qua ratione priuatur officio, censeretur priuatus beneficio, ita & taliter suspensus, propter similitudinem, quam habent.

Sexta, quando simpliciter fertur suspensio, non limitando ab officio, vel beneficio, intelligitur maior suspensio, & tunc suspendit ab omnibus. Ista est Siluest. ver. suspensio. §. 5. circa fin.

Septima, suspensus ab ingressu Ecclesiæ priuatur potestate exercendi ordinem in ipsa Ecclesia, & similiter est priuatus potestate audiendi diuina in ipsa Ecclesia secundum Ioann. Andr. & Ancar. & Gemi. in cap. 15. cui nu. 1. circa fin. de sen. excomm. lib. 6. Ita habet etiam Siluest. ver. suspensio. §. 5. & si durante suspensione decedat, nisi pœnituerit, denegatur ei Ecclesiastica sepultura in Ecclesia, & Cæmeterio. cap. 15. cui. & ibi Doct. de sen. excomm. lib. 6. non tamen secundum eosdem priuatur potestate exercendi iurisdictionalia, & idem notat Abb. in cap. sacro. de sent. excomm. nu. 10. aut eligendi, aut celebrandi extra Ecclesiam, aut orandi in ea tempore, quo ibi diuina

non dicatur, aut tunc transeundi per eam, secundum Calde
& Gemin in cap. 15. cui. in prin. num. 3. de sentent. excomm. l.
6. aut percipiendi Ecclesiastica sacramenta secundum communi-
nem, vt testatur Siluest. vbi supra. Suspendus ergo ab ingre-
Ecclesie non potest officium exercere in Ecclesia, nec intere-
se diuinis. & in hoc excedit suspensionem ab officio: nam
cundum Astens. 2. p. lib. 7. tit. 16. qu. 11. suspendus ab officio po-
test interesse diuinis, dum modo non officiet, aut actum ordi-
nis exerceat, nisi esset suspendus simpliciter à diuinis, quia
nec interesse potest, sicut nec officiare, aut actum ordinis ex-
ercere intra Ecclesiam, vel extra, vt dicit Gem. in cap. 1. §. si quis
autem. nu. 3. de sen. excom.

Octaua, suspendus ab administratione Ecclesie, vel bene-
cij, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, non est per
suspendus ab ordine, ita habet Silu. loco citato. Abb. in cap.
quorundam nu. 9. de solut. Hæ sunt præcipuæ regulæ ad suspen-
sionis modos distinguendos.

De causis suspensionis.

CAPVT XLIV.

Quatuor esse causas in suspensione, sicut in excommu-
nicatione, certum est.

Prima est efficiens, scilicet, qui potest suspendere. hæc est omnis ille, qui potest excommunicare, vt Doct. com-
muniter dicunt, & notat Siluest. ver. suspensio. §. 2. & Ang. sus-
pensio. 2. §. 3. de quo supra dictum est; vnde sequitur, quod
suspendus, seu prohibitio à celebrando, quæ imponitur peccati-
tenti à Confessario non est propriè suspensio, quia non est im-
posita ab habente iurisdictionem, & sic suspendus celebrando non
fieri irregularis, vt habet Inn. in c. si celebret. num. 3. de sen-
excomm.

Materialis autem causa remota est is, qui suspendi potest. hæc
talis ex præcedenti definitione nota est; non enim est omnis
qui excommunicari potest, sed solum persona Ecclesiastica.
Est autem hoc priuilegium Episcopis concessum, vt nullus
Episcopus incurrat suspensionem à iure, nisi specialiter ipsius
mentio fiat. ita habetur cap. quia periculosum. de sentent. ex-
comm. & hoc intellige tam de suspensione officij, quam bene-
ficiij, vt notat Glos. in d. cap. ver. officij. Hoc autem nota-
proc

procedit in excommunicatione; hæc enim incurrere possunt, ut ibi notat Gloss. ver. suspensi.

Materialis autem proxima est peccatum, propter, quod suspensio fertur: non enim absque peccato quis suspendi potest, c. satis peruersum d. 36. hoc autem frequentius est mortale: potest autem pro veniali aliqua suspensio imponi, ut dicit Caiet. ver. suspensio. & Nauar. in summ. c. 27. nume. 159. dummodo tamen sit leuis suspensio, sicut & culpa, argum. text. in l. respiciendum, in prin. ff. de pœn. Non est autem suspensio ut excommunicatio; hæc enim, cum est ab homine, non imponi debet nisi propter mortale cum contumacia, & inobedientia, at suspensio non sic: nam aliquando ponitur suspensio ab homine ob contumaciam: aliquando vero ob peccatum solum in pœnam illius peccati: probata enim culpa, vel notoria existente, fertur etiam contra delinquentem non contumacem, secundum Innocent. in capit. peruenit, num. 3. de exceſ. prælat. & Abb. in capit. reprehensibilis, numer. 4. de appel.

Aduerte tamen, quod licet in hoc casu monitio ad sententiam non sit necessaria, oportet tamen, quod de crimine citata parte, prius constet, iuxta Gloss. in Clem. præſenti. ver. conſiterit. de cenſ. nisi excessus sit notorius, ut dicit Abb. in c. peruenit. i. num. 5. de appellat. Vnde fit, ut non semper opus sit admonitione in suspensione, sed solum quando propter contumaciam est, secundum Innoc. c. 1. de excessibus Prælat. Panor. cum communi in cap. reprehensibilis, numer. 4. de appellat. tunc enim est necessaria admonitio, sicut in excommunicatione, & non fertur, nisi contra incorrigibilem, & contumacem, secundum Innoc. in d. cap. peruenit, & Franc. in c. reprehensibilis in princ. de appellat. tamen utroque modo in scriptis est imponenda suspensio ab homine iuxta c. cum medicinalis, de sen. excom. in 6. ut notat Silu. ver. suspensio. num. 4. Caterum si taliter non fieret, non propterea esset nulla, ut per Silu. ibi. Multa sunt peccata in particulari, propter quæ in iure suspensiones sunt impositæ, de quibus dicemus paulò inferius.

Forma autem suspensionis non est determinata in iure, ut notat Hostien. in c. ad hæc circa fin. de appel. sed multis modis potest exprimi ille actus suspensionis in particulari; ut, suspendo te a beneficio, vel ab ordine, vel ab hoc, aut illo. In iure dicitur: sit suspensus. vbi aduertendum est, aliquando esse suspē-

sionem ipso facto, cum dicitur, suspendimus, vel sit suspensus, vel quid simile. Aliquando est comminatio, vt cum dicitur suspendatur, vel suspendendus est, vel verbum simile, vt dicitur in materia de excommunicatione; multa enim quae ibi dicta sunt, communia sunt cum suspensione, & illud maxime de nullitate etiam suspensionis post legitimam appellationem latae, & idem de suspensione ante appellationem lata respectu spiritualium per cap. is cui. de sent. excom. lib. 6. Secus autem respectu temporalium: nam in hoc casu appellatio etiam obsequens suspendit executionem sententiae suspensionis, secundum Abb. in c. pastoralis §. verum quia, num. 11. de appel. Gl. in d. c. is cui. ver. sequens, & idem etiam, quando appellatur a sententia suspensionis a beneficio: talis enim appellatio similiter suspendit, vt notat Abb. in c. pastoralis, §. verum quia, num. 11. de appel. gloss. in c. is cui. de sen. excom. lib. 6. ver. sequens, sic interim retinet possessionem, d. benefic. vt dicit Boic. in Apostolica in fin. de excep.

Finis autem suspensionis est idem, qui & excommunicationis; Ecclesia enim animarum utilitatem intendit, quando corrigit, & castigat.

De effectibus suspensionis.

CAPVT LXV.

Quidam sunt effectus suspensionis, quorum primus est. Suspensus exercens id, in quo est suspensus, peccat grauiter, & peccatum est ex suo genere mortale, arg. text. in c. 2. de maior. & obedi. Suspensus tamen in aliquo non peccat, si faciat ea, in quibus non est suspensus. Peccat ergo, qui suspensus ab ordine aliquo actum illius exercet. Peccat, qui suspensus ab officio, seu iurisdictione excommunicat, vel aliquem exerceat talis officij actum, & qui suspensus ab ingressu Ecclesiae ingrediuntur, vt ad sit diuinis officijs, & qui suspensus a praedicatione praedicat. Similiter de alijs.

Secundus effectus est, suspensus ab ordine, vel ab aliquo includente suspensionem ordinis, non solum peccat, si actum talis ordinis exerceat, sed etiam fit irregularis. deducitur hoc ex cap. cum aeterni. de sent. & re iud. in 6. & cap. 1. de sent. excom. eod. lib. & omnes Doct. in hoc conueniunt; illi enim Canones licet secundum Archid. sint restringendi quoad ca-

sus id.

sus ibi expressos, tamen contrarium est verum, & sic dictos Canones generaliter procedere de quacunque ordinis suspensione, & declarare, non autem de nouo statuere, tenuerunt ibi Gemin. Ioan. Andr. & alij. Quod locum habet, siue suspensio sit ab homine, siue à iure, siue in certum tempus, vel donec poeniteat, si tempore suspensionis diuinis se immiscuerint, secundum magis communem sententiam, licet quidam cōtrarium probare conentur, vt per Couar. in Clem. si furiosus i. p. relect. §. i. num. 5. in fin. Ex quo aliqua sequuntur.

Primo suspensus ab actiua collatione sacramentorum, si conferat, peccat, & efficitur irregularis, quia conferre actus ordinis est. At verò suspensus à passiuā tantum susceptione sacramentorum, licet peccet suscipiens, non tamen fit irregularis, quia suscipere non est actus ordinis. ita habet Silu. verb. suspensio. §. 5.

Secundo suspensus à collatione sacramentorum, si baptizet non solemniter, sed eo modo, quo laicus potest baptizare, non efficitur irregularis, vt habet Hosti. c. 1. de sen. excom. quia talis collatio nō est ordinis, nisi baptizet solemniter tanquam sacerdos.

Tertio suspensus ab ordine maiori non peccat, nec fit irregularis, si exerceat actum minoris, quia nō est suspensus ab eo. Secus, si suspensus in minori exerceat maiorem, quia suspensus est ab eo per ea, quæ diximus superius.

Quarto, suspensus ab ingressu Ecclesie, si celebret in ea, peccat, & fit irregularis, quia suspensus est ab ordine exercendo in ea. ita habetur in c. is cui. de sent. excom. in 6. quamuis autem peccet ibi audiendo diuina, non tamen est irregularis, quia audire non spectat ad ordinem. ita habet Gemin. in prædicto c. is cui, num. 4.

Quinto, suspensus ab officio prædicatiōis, licet peccet prædicando, ac ipso facto sit excommunicatus. Clem. cupientes, §. quibus, circa si. de poen. & ibi Anear. nu. 10. non fit irregularis, vt habet Calder. Clem. cupientes, de poen. & Ang. suspensio. 3. §. 8. quando non est actus ordinis; secus si solemniter, ac ex suo officio prædicaret, quo casu fieret irregularis, vt dicit Nauarr. in sum. c. 27. nu. 163.

Sexto suspensus ab administratione Ecclesie, tam in temporalibus, quam in spiritualibus celebrans, non est irregularis, quia talis non est suspensus ab ordine. ita habent Ioann. Andr. & Panorm. in c. si quorundam, num. 8. de solut. Denique

id generaliter obseruandum est, numquam suspensum excedendo actum, à quo est suspensus, effici irregularem, nisi quando ab ordine est modo aliquo suspensus, & exercet actum ordinis, à quo suspensus est.

Hic tamen aduertendum est, quando aliquis est à Canon suspensus, propter defectum corporalem, propter quem prohibetur promoueri, talis, si promouetur, & celebret, licet mortaliter peccet, non tamen efficitur irregularis. ita habet Panorm. cap. si celebrat. num. 2. de Cler. excom. ministr. posth. In no. num. 3. & est communis sententia, quam seruat Romana Curia, quæ simpliciter dispensat cum talibus super defectu, & super irregularitate contracta ob celebrationem, vel ordinationem ante dispensationem obtentam, nec de illa fit aliquo mentione, vt testatur Host. in d. c. si celebrat. verb. & hoc apparet colum. 2. de Cleri. excom. ministr. Huius doctrinæ ratio est ea, qui enim ex defectu corporis celebrare non potest, non est verè suspensus, sed irregularis, vt dicemus postea. Suscipiendi autem ordines non contrahit ipso facto aliquam iuris suspensionem: inde procedit, vt etiam celebrando non incidat in aliquam irregularitatem præter eam, quæ erat ex corporis vitio seu defectu.

Tertius effectus est, suspensus priuatur communione illorum in eo, in quo est suspensus, ita vt peccet communicando cum alijs, & peccet etiam, qui in tali actu cum eo communicat; vt, qui recipit sacramenta à suspenso à collatione sacramentorum, & qui audit à suspenso ab ordine, & qui inducit etiam ipsum ad talem actum; quod si actus suspensionis non pertinet ad diuina, id est ad ordinem aliquè, non est mortale, sed veniale ex parte participantis cum eo communicare, sicut diximus de excommunicatione. Hæc intelligenda sunt de suspenso denunciato nominatim per extrauag. ad curiam da. de qua superius diximus.

Quartus effectus est, suspensus à beneficio non censetur ab officio suspensus secundum ferè omnes; non enim est officium accessorium beneficio hæc est communis doctrina, quam tenet Calder. Clem. cupientes de pœnis. An verò suspensus ab officio simpliciter sit suspensus à beneficio, extant opiniones, nam beneficium videtur accessorium officio iuxta Gloss. cap. latores de Cleri. excomm. ministr. sed probabilius est, quod tenet Panorm. Clem. cupientes allegata. num. 7. vbi sic inquit. Aut aliquis est à iure suspensus ab officio, & is censetur etiam

suspens

suspensus à beneficio, arg. can. præter d 32. aut est ab homine suspensus ab officio, & tunc, aut in sententia fit mentio etiam beneficii, & tunc sententia est seruanda, aut non fit mentio, sed tantum simpliciter ab officio suspēditur, nec apparet de mente suspendentis, an uoluerit etiam à beneficio suspendere, tunc aut suspensio fertur propter crimen, siue aliam causam grauem, & eo casu censetur esse suspensus à beneficio iuxta cap. inter. de purga. can. aut fuit suspensus propter infamiam, scandalum, aliam ue leuem causam, & eo casu talis suspensio non extenditur ad beneficium, arg. 2. q. 5. can. presbyter. Si tamen hoc casu suspensus contemnat suspensionem, seu fit in mora absolutionem petendi, debet ei beneficium subtrahi, ut in cap. cum bonæ. de atar. & qualita. facit etiam cap. fin. de elect. Hæc ex Panorm. & est doctrina à pluribus recepta. Mihi tamen probabilius dicendum uidetur, quod suspensus ab officio simpliciter, siue à iure, siue ab homine, ubi non fit mentio beneficii, non inducit suspensionem à beneficio absolute, nisi quantum ad ea, quæ sunt in beneficio pertinentia ad officium; ut, quando est beneficium iurisdictionem habens, uel aliqua alia quæ sunt officij. Tunc autem non potest suspensus ab officio percipere eos fructus, quos obtinet ratione officij, si tamen est beneficium simplex nihil habens admistum officij; suspensus ab officio non est suspensus à beneficio, potestque percipere fructus illius: cum enim in iure, & sententia ab homine aliqua suspensio feratur ab officio, aliqua ab officio, & beneficio, frustra adderetur (à beneficio) si in priori comprehendatur.

Quintus effectus est. Suspensus ab officio nec potest eligere nec eligi in beneficium aliquod, c. cum dilectus. de consue. adiuncta Glo. nec potest excommunicare, nec conferre beneficium, cap. quia diuersitatem. de concess. præb. Suspensus tamen à beneficio potest eligere per Gloss. c. cum Vinroniensis, de elect. quia hoc est officij, ut notat Henr. Boic. in c. Apostolicæ, num. 5. de excep. tamen non potest recipere redditus beneficii, nisi ad modicam sustentationem, si est pauper, & sit suspensus propter delictum: nam si propter contumaciam, etiam illa modica sustentatione priuatur, ea ratione, quia si uult potest resipiscere. Abb. in cap. Apostolicæ, num. 7. & ibi Fely. num. 9. de excep. Couar. variar. resolut. lib. 3. cap. 13. & dicti fructus conuertuntur in utilitatem Ecclesiæ, secundum Ioan. de Imol. in c. sicut, colum. 3. circa si. de cohab. Cler. & mulier. Cuius tamen

dictum

dictum limita in iusta suspensione: nam si esset nulla, vel iusta, secuta absolute restitueretur suspensio, ut per Couar. vbi supra.

Non potest etiam talis suspensus bona beneficii administrare, nec pro illis nomine proprio agere, ut notat Abb. in cap. Apostolicae num. 5. 6. de excep. implicat enim inter se, ut patet dicit, quod sit à beneficio suspensus, & pro illo possit agere, & administrare, essetque simplex clericus, beneficio priuatus, secundum Gemin. in cap. 1. § quia vero, num. 1. de elect. lib. 1. Prælati vero censeretur ipso iure priuatus, ut notat idem Gemin. in c. cupientes §. cæterum, nu. 2. eod. tit. & libr. Et generaliter non potest se intromittere in pertinentibus ad beneficium, à quo est suspensus, ut per Abb. vbi supra, nu. 8. & ibi Boic. num. 6. An autem eligi possit, vel illi possit conferri beneficium distinguendi sunt nonnulli casus; aut enim suspensio est à iure lata pro crimine, vel offensa non concernente certum beneficium, vel certam Ecclesiam, & tunc non potest, quia ius vbi que ligat. Aut à iure fertur pro crimine concernente certum beneficium, vel Ecclesiam, & tunc in illa Ecclesia non potest acquirere beneficium; in alia autem sic, ut notat Henric. Boic. in c. cum dilectus, num. 13. de consuet. per iura deducta per ipsum. Si verò suspensio est ab homine, puta ab Ordinario, & generaliter lata ab omnibus beneficijs iurisdictionis eius, tunc durante suspensione, suspensus non potest in iurisdictione alius aliquod beneficium acquirere; quod si à certa Ecclesia est suspensus, in ea non potest acquirere beneficium, extra eam potest. Si tamen indistinctè sit lata suspensio ab omni beneficio, tunc nec in territorio, nec extra poterit suspensus obtinere beneficium, ut notat Henric. Boic. vbi supra. Executio tamen debet fieri per Iudicem territorij secundum Abb. in c. pastorellis, §. verum, num. 21. de appel.

De absolute à suspensione.

CAPVT LXVI.

Suspensio aliquando aufertur absque absolute vlla, in quo ab excommunicatione differt, quæ nunquam absque absolute tollitur; quando enim suspensio est ad tempus aliquod imposita, tempore transacto cessat suspensio absque absolute, & suspensus potest exercere id, in quo suspensus

erat,

erat, etiam sine absolutione. ita habet Innoc. cap. cum bona, de ætat. & qualit. vbi vnum addit, quod quando est suspensio ad tempus cum limitatione, donec satisfaciatur suspensus, vt habetur. 2. q. 3. can. presbyter. tunc etiam facta satisfactione indiget absolutione: tamen Gloss. Clemen. religiosi. de decimis. ve. donec, dicit quod in isto etiam casu non est necessaria absolutio facta satisfactione, sed declaratio per Iudicem de facta satisfactione, ad quam gloss. Panor. se refert in c. cum tu. num. 6. de vsur. & hanc opinionem tenet etiam Ioan. Andr. vt refert Abb. in c. cum bene. num. 6. de ætat. & qualit. & ita ego puto. Ita procedunt de suspensione temporali, tam à iure, quam ab homine, impleto tempore suspensionis; ante tempus enim impletum non potest auferri sine absolutione, sicut suspensio perpetua.

De his autem, scilicet, tam temporali, quam perpetuo.

Dico primo, si sunt ab homine, absolutio pertinet ad eum, qui tulit sententiam, vel ad eius successorem, vel ad superiorem, sicut diximus supra de excommunicatione, & ita tenet Henr. Boic. in c. clerici. num. 6. de cleri. excom. minist. Ang. suspensio. 4. §. 1. & Silu. verb. suspensio. §. 8.

Dico secundo, si est à iure, & tempus habet determinatum, non potest tolli ante temporis complementum, nisi à conditore iuris, vel æquali, vel superiori, non ab inferiori, etiam si nullam habeat reservationem. ita habent Gloss. c. cupientes, de elect. in 6. ver. suspensus. & gl. Clem. cupientes de hære. ver. excommunicationis. Vbi dicunt, quod suspensio à iure communi ad certum tempus etiam non seruata non potest tolli per Episcopum, & idem dicit ibi Abb. num. 25.

Dico tertio, si est à iure perpetua, reservata pertinet ad eum, cui reservatur; si tamen non est reservata vlli, & est imposita propter contumaciam, tunc potest Episcopus absoluere. Inno. communiter receptus in c. 2. de solut. Fely. in c. at si clerici. §. de adulterijs, numer. 12. de iudic. & hanc conclusionem generaliter intelligendam, reiectis nonnullis limitationibus Doctorum tenet Nauarr. in summ. cap. 27. num. 162. Si tamen est imposita propter delictum, seu in pœnam delicti, & tale sit delictum, super quo non possit Episcopus dispensare, à dicta suspensione Episcopus absoluere non potest. ita habet Gloss. marhinalis, cap. cupientes, §. ceterum. de elect. in 6. v. suspensos. quamuis glo. interior teneat, indistinctè non posse absoluere Episcopum, etiã quando non est reservata. Cum priori tamen

fen-

sententia sentit Panorm. c. si quorundam, num. 5. de resolu-
lariis c. cum literis, de testi. Boic. in c. at si clerici, num. 23. de
dic. & de communi testatur Fely. in d. cap. 5. de adulterijs in
pro qua sententia facit text. in d. 5. de adulterijs, & in cap. de
etys de temp. ordinat. Quæ autem, & quot sint delicta, sine
quibus potest Episcopus dispensare, norant Doct. in d. 5. de adu-
lterijs. Vnde non est par ratio de suspensione, & de excom-
municatione in hoc: nam excommunicatio quouies non
referuata, tolli potest ab Episcopo: suspensio autem non im-
per.

Idem tamen Panorm. in Clem. 1. num. 25. de hæret. testi-
piscopos dispensare posse, quando non est referuata. Idem
ibi litera in c. nuper. verb. non retinuit, de sent. excom. in
c. 2. de solut. etiam de communi testatur Silu. ver. suspensio.
8. per allegatum, c. nuper, vbi quia conditor canonis absolu-
nem sibi non referuauerat, eo ipso alijs videtur concessisse
cultatam relaxandi.

Prima tamen sententia melior videtur per allegatos
tus, & c. nuper, habet locum in excommunicatione, vbi
ius vertitur periculum, & facilius remouetur, vt notat Clu-
c. cupientes, §. ceterum, v. suspensos, de elect. lib. 6.

Forma absolutionis à suspensione non habet determi-
verba, est tamen necesse quod fiat in foro contentioso, vti
tat Silu. ver. suspensio. num. 8. commuiter tamen solet im-
di sic. *Absoluo te à suspensione, quam incurristi propter hoc, & re-
tuo te pristinae executioni ordinis, vel beneficiorum, &c. In nomine
tris, &c.* Quibuscumque tamen verbis utatur, qui potest ab-
uere, exprimentibus hanc relaxationem, vel absolutionem,
intendit absolueret, tenet absolutio.

Ex his omnibus colligitur multiplex differentia inter
pensionem, & excommunicationem.

Primò enim, excommunicatio nunquam tollitur, ni-
per absolutionem: suspensio veto aliquando tollitur, vt di-
mus.

Secundò, excommunicatio nunquam fertur, nisi cum con-
tumacia: at suspensio aliquando in poenam delicti etiam
ne contumacia.

Tertiò, excommunicatio omnis vetat sacramentorum
ceptionem, & collationem: at suspensio non omnis prohibet
suspensionem, nisi quando est à susceptione sacramentorum

nec collationem, nisi quando est ab officio, vel ordine, aut collatione sacramentorum.

Quarto, excommunicationem à iure contrahunt Episcopi, etiam si non fiat expressa eorum mentio; suspensionem vero à iure, non nisi facta expressa eorum mentione.

Quinto, ab excommunicatione à iure quacunque non reservata potest absolvi Episcopus; à suspensione vero non, nisi à perpetua, & quando posita est in contumaciam, vel ob delictum, super quo potest dispensare.

In his, & alijs multis differunt maxime hæ duæ censurae.

De suspensione Concupinarij notorij.

CAPVT XLVII.

Nunc de casibus particularibus, in quibus ipso iure suspensio contrahitur tractandum est: hi autem multi sunt. Quoniam primus habetur c. questum de cohabit. cler. & mulier. Clericus notorius concubinarus est suspensus ipso iure. Quis autem sit notorius, in eod. cap. explicatur, nempe quando delictum est notum per confessionem factam in iudicio, aut per sententiam, aut per facti euidenciam, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. ponit exemplum Abb. in c. vestra. num. 7. de cohabit. cler. & muli. In clerico, qui retinet concubinam, uti uxorem, ita ut etiam ipse non audeat diffiteri, & in tali notorietate non requiritur citatio, nec declaratoria secundum communem, licet de consuetudine fiat, teste Couar. primæ par. releet. §. 1. fol. 581. Quando autem non est notorius, non est suspensus quoad alios. Hic adverte primò ex Silu. ver. concubinarus §. 1. differre concubinarium, & fornicatorem; Concupinarus enim est qui abutitur certa aliqua femina, siue soluta, siue non soluta, tenendo illam ad Venere modo uxorio. Fornicator vero est, qui vagatur abutens hac, vel illa; & quantum ad suspensionem secundum eundem est eadem ratio vtriusque. Idem tenet Diaz. in prax. crimin. c. 73. & Nauar. in sum. c. 25. num. 77.

Aduerte secundo, iure antiquo talem concubinarium esse suspensum, ut habetur cap. 32. can. nullus, cap. præter. & c. ad hoc iunctis. Gloss. & cap. fin. de cohabit. cleric. & mulier. Nec in hac parte recipiendus est Sotus 4. sent. d. 1. q. 5. art. 6. qui

putat suspensionem hanc non esse in vsu, sed tantum tale concubinarium esse suspendendum: quem sententiam antepsum tenuit Innoc. in cap. si celebrat, num. 3. de cleric. excom. ministr. Ioan. de Imol. in cap. sicut, colum. 1. in fin. de cohabit. cleric. & mulier. & Arch. in c. primo de re iud. lib. 6. hoc tamen est contra communem sententiam Doct. de qua testatur Couar. (licet illam dicat duram) in Clem. si furiosus primæ part. relect. §. 1. num. 5. Est etiam contra e. quæsitum. citatum, in quo expressè cauetur, talem fornicarium esse suspensum quoad se, & alios.

Aduerte tertio, quod non solum presbyteros, sed etiam diaconos, & subdiaconos hæc suspensio comprehendit, ut habetur d. 32. can. præter. & hoc ibidem notat Turrecr. & idem habetur can. si qui sunt d. 81. Anto. autem part. 3. tit. 27. cap. 3. idem tenet in alijs clericis, etiam in minoribus existentibus, & si uer. concubinarius §. 4. Diaz. in prax. crim. c. 73. Ioan. de Imol. in cap. sicut, col. 3. in prin. ver. si autem quæritur de cohabit. & muli. Nauar. in sum. c. 25. num. 77.

Aduerte quarto, quod hæc suspensio non solum est ab officio, sed etiam à beneficio, ut notat Panorm. c. vestra. de cohabit. cleri. & muli. & Archid. & Turrecr. prædicto, can. præter. & eodem can. colligitur; non solum enim ibi prohibetur exercitium officij, sed etiam fructuum beneficij perceptio: idemque habetur can. si quis à modo d. 81. Idem notat Bernar. Diaz. in prax. crim. c. 73. & de hoc quantum ad fructus, & beneficium idem dicendum est ac de excommunicato, ut supra diximus, quando est in mora petendæ absolutionis, ut notat Archid. can. præter. dist. 32.

Aduerte quinto, quod talis concubinarius, vel fornicarius notorius celebrans, vel exercens actum ordinis ante absolutionem à suspensione, quam potest Episcopus conferre, quæ non est reseruata: ut notat Silu. v. irregularitas, §. 15. nota. 27. Abb. in cap. quia circa, numer. 5. de bigam. fit irregularis, licet alij suspensi ab ordine actum ordinis in suspensione exercerent iuxta cap. cum æterni. de re iud. ita asserunt Abb. in c. vestra. de cohabit. cleri. & muli. & de communi testatur. Couar. in Clē. si furiosus. primæ part. relect. §. 1. n. 5. in qua solus Papa dispensat, iuxta c. cum medicinalis in fi. de sent. excomm. in 6. de communi testatur Coua. vbi supra, licet non desint contrarium sentientes. Nec fatis est ad euitandum hanc irregularitatem pœnituisse peccati ante celebrationem, vel exercitium

ordinis, nisi etiam absolutio procedat ab ipsa suspensione, vt tenet Silu loco citato: nam licet in can. si qui sunt d. 81. isti suspendantur, vsque dum pœniteat, & emendent, non ob hoc excluditur absolutio a cœnsura, & c. quæsitum, de cohabit. cleri. & mulier. simpliciter suspendit talem concubinarium, & fornicatorem.

Aduerte sexto, quod talis notorius fornicator, vel concubinarius non solum est suspensus, sed etiam irregularis, & indiget ad celebrandum, vel actum ordinis exercendum, non solû absolute à suspensione, sed etiam dispensatione ab irregularitate. Hoc probatur ex cap. at si clerici, de iudi. Vbi tales, etiã peracta pœnitentia, indigent dispensatione. Idem habetur in cap. quia circa, de bigam. Vbi datur facultas dispensandi cum fornicarijs: at dispensatio non est nisi super irregularitate, quã quidem dispensationem potest Episcopus concedere, vt in eisdem c. habetur. Rursus cap. quæsitum, de tempor. ordin. vbi tales, etiam peracta pœnitentia impediuntur ministrare, & tamen in pœnitentia habuerunt absolutionem. Igitur manent irregulares, donec dispensetur cum eis. Hoc etiam habetur can. peruenit d. 50. adiuncta Gloss. Hinc est, quod si tales criminosi an absolutionem a suspensione celebrent, vel actum ordinis exerceant, fiunt irregulares: sed ista irregularitas est alia ab ea, quæ est propter crimen: in hac enim solus Papa, in illa Episcopus dispensat: at si post pœnitentiam, & absolutionem celebret, non contrahit irregularitatem hanc, in qua Papa dispensat, quia non celebrauit suspensus: tamen peccauit mortaliter, quia irregularis existens celebrauit ante dispensationem, vt notat Nauar. in sum. c. 25. num. 77. si tamen prius absolutionem, & dispensationem obtinuerit, tunc licet illi celebrare, vel actum ordinis exercere.

Aduerte septimo, in Concil. Trident. sess. 25. capit. 14. contra concubinarios, vel fornicatores clericos, grauiores pœnas infligi vltra eas, quæ habentur in iure antiquo, quæ ibi confirmantur.

Primo enim prohibetur eis, ne concubinas, vel alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo, vel extra deinceps, cum illis vllam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis a sacris canonibus, vel statutis Ecclesiarum impostis puniantur.

Secundò, si à superioribus moniti ab his se non abstinerint, tertia parte fructuum obuentionum, ac prouentuum suorum

beneficiorum quorumcumque. & pensionum ipso facto sunt priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitrio Episcopi applicentur.

Tertio, si in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, quæ prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quæ ad Ordinarius, vti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur suspendantur: & si ita suspensi nihilominus eas non exsoluant, aut cum ijs etiam versentur, tunc beneficijs, portionibus officijs, ac pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo priuentur, atque inhabiles, & indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac officijs in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum eis ex causa visum fuerit dispensandum. Hæc puta suspensionem, priuationem, inhabilitatem, intellige non ipso facto imposita esse, sed imponenda per Iudicis sententiam.

Quarto, si postquam eas semel dimiserint, intermissum cœsorium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Hæc excommunicatio non est ipso iure lata, sed inferenda per Iudicem.

Quinto, clerici beneficia Ecclesiastica, vel pensiones non habentes iuxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem ab Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsve modis iuxta sacros canones puniantur. Hæc etiam pœnæ non sunt latæ, sed inferendæ.

Sexto, Episcopi, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo prouinciali admoniti se non emendauerint, ipso facto sint suspensi, & si perseverent, etiam ad Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat. Hæc omnia in prædicto Concilij cap. habentur. Vbi attende quod hæc non solum contra notorios procedunt, sed etiam contra non notorios, sed tales, qui admoneri possunt, etiam si non sint notorij notorietate aliqua ex illis tribus prædictis. Attende etiam, quod etiam si notorij iure communi sint suspensi, Concilium tamen iterum eos suspendi ordinat: nam vt

notat

notat Præpo. c. reperiuntur i. q. i. num. 4. sicut excommunicatus à iure potest simul excommunicari ab homine, ita etiam suspensus à iure potest ab homine suspendi. Attende etiam, quod hæc pœna non solos concubinarios ligant, sed eos, qui extra, vel in domo mulieres detinent, de quibus suspicio esse possit, aut cum eis cōsuetudinem aliquam habere audent modo prædicto.

Aduerte octauò, quod licet aliqui voluerint hanc iuris suspensionem contrahi, propter quodcumque peccatum notorium, deducentes, à simili, tamen verius Panorm. in ca. vestra, num. 7. de cohabit. cleric. & muli. tenet non contrahi. nisi ob hoc peccatum adulterij, vel fornicationis, cum in iure hoc sit expressum, & idem tenet Silu. ver. cler. 2. §. 5. & de cōmuni Co. uar. primæ part. relect. §. 1. num. 5. Nec est simile de alijs peccatis: nam hoc carnis peccatum habet maiorem à deuotione elongationem, & irreuerentiam respectu sacramentorum spiritualium. Loquor autem de peccatis illis notorijs, quæ, si occultè fiunt, non inducunt suspensionem: nam de homicidijs, hæresi, & alijs quæ censuras habent, aut irregularitates, & si occulta sint, non hæc tractamus. Hæc sunt in hoc suspensionis primo casu considerata, licet in his Doctorum opiniones variæ sint.

De alijs nonnullis iuris suspensionibus.

CAPVT XLVIII.

Sunt multæ aliæ iuris suspensiones, ex quibus præcipuas, quæ in vsum magis veniunt, proponemus.

Prima habetur c. saepe, de tempor. ordin. in 6. Vbi præcipitur, ne Episcopus Italus Ultramontanum clericum ordinet, nisi de licentia Papæ, vel per patentes literas Episcopi sui, de cuius diœcesi originem trahit, vel in cuius diœcesi beneficiatus existit, causam rationabilem continentes, quare nolit, vel non possit illum ordinare, si secus factum fuerit, ordinans, punietur pœna cōdigna, & ordinatus ipso iure est suspensus, sine speciali licentia Papæ indispensabilis.

Aduerte primò, ex eadem glo. quod hæc decretalis non habet locum in Italis ordinatis ab Ultramontanis, quia non est eadem ratio, vt ibi probat.

Aduerte secundo, vt ex eadem gl. quod hæc decretalis pro-

cedit etiam in minoribus ordinibus. ipsam Gloss sequitur h. ann. Andr. & Gemini. ibi. num. 9. licet aliqui contrarium sentiant.

Aduerte tertio, cum dicitur Episcopus Italus, debet intelligi de Italo quoad titulum Episcopalem, non quoad originem. Gem. in d. c. saepe, num. 8.

Secunde habetur cap. eos, de tem. ordinan. in 6. vbi habetur quod ordinans, siue sciens, siue ignorantia affectata Clerici alienum sine licentia proprii Episcopi, vel proprii superioris, a collatione ordinum per annum est suspensus; & interim possunt clerici sine ipsius licentia ordines recipere a vicinis Episcopis, alias Canonice, postquam ipsius suspensio fuerit manifesta, intellige cum Gloss. manifestata per euidenciam facti, vel iuris. Aduerte ex Glo. illud verbum, *alias canonice*, intelligi, vt praecedente debita examinatione, & temporibus debitis, & alijs requisitis, vicini Episcopi praedictos ordinent. De legitima, & debita examinationis forma habetur in c. quando d. 24. Aduerte etiam illud verbum, *clericam alienum*, nam si conferret alieno laico primam tonsuram, non haberet locum poena, vt notat Gem. in d. c. num. 5. v. in fin. gloss.

Tertia habetur cap. fin. de tempor. ordin. in 6. vbi suspensio est ipso iure per annum a collatione primae tonsurae Episcopus, aut quilibet alius, qui primam tonsuram confert infanti, nisi forte intranti in Religionem, aut illiterato, aut alicui aliena diacensis sine licentia superioris sui, aut coniugato, nisi volenti intrare Religionem, aut ad maiores promoueri. Hae suspensio procedit de conferente primam tonsuram, non de superioris, quae procedebat de conferente ordines iam tonsuratos, vnde non est eadem poena in vtraque, haec enim minor est, quam illa, & suspenditur solus conferens primam tonsuram, non autem qui eam sic suscipit, etiam si sit laicus alterius diacensis, vnde infra collatio tonsurae est valida etiam quoad executionem, secundum Guidon Papam decis. 449. & Lap. alleg. 138. num. 12. & 13. v. 1. vbi respondet ad tex. in c. primatus 71. d. 1. Quod satis vrget aduersus hanc sententiam Guidonis, & Lap. Aduerte vltimus, clericis in hoc casu licere adire vicinos Episcopos, non autem laicis, vt notat Ioa. Andr. in d. c. eos, in prin. & Ancar. in fin. & ratio est, quia non consideratur tanta necessitas in laicis ad clericatum ascendere volentibus, quantum in clericis volentibus promoueri ad superiores.

Quarta habetur in extrauag. cum ex factorum. Rij 2. curis

mem.

meminit Silu. ver. irregularitas 5. 12. vbi præsumentes recipere sacros ordines extra tempora, aut extra legitimam ætatē, aut sine legitima licentia sunt ipso iure suspensi, & si celebrant, fiunt irregulares, a solo Papa dispensabiles, & possunt ipso iure beneficijs priuari. Aduerte olim iure communi non constare esse ipso iure suspensos an suspendendos, cap. vel non est, c. cū quidam, cap. literas, & cap. consulta, de temp. ordin. sunt enim variaz opiniones. quæ modo cessant per prædictam extrauag. Aduerte rursus ex illo verbo, *presumpserim*, non comprehendi qui ignoranter fecerunt, putantes id sibi licuisse, vt notat Co-uar. primæ part. relect. de homic. § 1. num. 4. allegat in hoc Na-uar. & sequitur, quamuis cum dubio, quod quidem sic intel- lige, quando putabant sibi licuisse ex probabili ignorantia facti, quia credebant se habere legitimam ætatem, secus si crassa ignorantia facti, aut ignorantia iuris fuit, suspensionem in- currunt, etiamsi Extrauagantem ignorauerint, quia ius com- muni prohibens ante legitimam ætatem promoueri aut sci- uerunt, aut ignorare nõ debuerunt: ideo presumere dicitur. & hoc sequitur tribunal supremi pœnitentiarij. Idem dicendum de ordinantis extra tempora, aut sine legitima licentia, si quis ergo probabiliter ignorauerit factum, non incurrit, quod si post suspensionem sciuerit, & adhuc non est in ætate legitima aut sine licentia, non quidem est suspensus, sed est prohibitus celebrare, aut promoueri ad vltiores sine dispensatione ea faciens mortaliter peccat. nisi habeat ætatem, aut licentiam. Aduerte etiam dictam constitutionem esse restrictam ad sa- cros ordines. Sumens ergo ordines non sacros, pœnis in ea contentis non subijcetur, vt habet Rebuf. in praxi. benef. fol. 334. gloss. 3.

Quinta habetur cap si quis ordinauerit, de simonia. vbi or- dinans, vel præsentans aliquem ad ordinem, & ab eo promif- sionem, vel iuramentum recipiens, quod super prouisione sua eundem ordinatus non inquietabit, suspensi sunt per tri- ennium, ordinans quidem à collatione ordinum, præsentans ab executione, & sic ordinatus ab ordine suscepto in perpetuū. Nec possunt hi tres dispensationem, nisi à Sede Apostolica, huius dispensationis obrinere. Aduerte pro intelligentia, cap. cum secundum, de præben. decerni, vt ordinato sine titulo per ordinatorem, aut successorem eius tamdiu provideatur, do- nec ei aliquod beneficium conferatur, quo viuere valeat, quod intelligendū est, quando nullus est præsentator; si enim

fuerit, tunc ipse primo loco tenebitur alere, vt gloss. ibi notat
 & Canon ipse insinuat. Iuxta hoc intelliges, facile hanc sus-
 censionem, praesertim eius, qui paciscitur cum ordinatore, et
 presentatore non petere alimentum ab eo. Aduerte etiam
 quod talis promissio ante ordinationem factam non valet.
 notant Doct. in d. cap. vbi Abb. num. 4. & procedit, etiam si
 iurata respectu ordinantis, vel presentantis, qui non potest
 absque peccato virtute illius obligationis desistere, quomodo
 illi ordinato provideant, quamuis ordinatus contra iuramen-
 tum aliquid petere non possit, vt notat idem Abb. vbi supra.
 Aduerte rursus non subijci huic poenae eum, qui post ordina-
 tionem factam remittit, aut condonat obligationem sine
 pacto vlllo ante ordinationem facto. ita habet Abb. in d. c. si
 nu. 4. Aduerte praeterea Nau. in sum. c. 27. num. 185. idem quan-
 tum ad suspensionem existimare de his, qui ordinantur cum
 patrimonio facto cum obligatione rescindendi contractum,
 quo ipsis patrimonium datur, sed mihi non placet, nam in
 decretali sola mentio fit de promissione, aut iuramento facto
 ab ordinato cum presentante, aut ordinante de non inquietan-
 do, a quo distat casus iste vltimus: nam ille, qui fecit pactum
 cum ordinatore, aut presentatore propterea suspensus est, quia
 est simoniacus; nam pro actu ordinandi, aut presentandi ad
 ordinationes pactum fecit: sunt autem illi actus duo spiri-
 tuales, ac dare alicui patrimonium non est spirituale, imo vendi
 & emi potest. Non ergo pactum de restituendo efficit si-
 moniam. Idem dico ad capit. per tuas. 3. de simonia
 agitur enim de pacifcente cum eo, qui presentauit ad titu-
 lum Ecclesiae, vt ordinaretur, qui titulus spiritualis est, super
 quem potest esse simonia. Siue ergo paciscatur de restituendo
 patrimonio, siue non, non videtur suspensus. Nec is suspensus
 est, eo quod sine titulo ordinatus, quia obligatio illa non valet
 sicut nec ea, quae fit cum ordinante, aut presentante, quod
 Concil. Triden. sess. 21. ca. 2. comprobatur, vbi statuitur, ne pro-
 motus tali patrimonio sine licentia Episcopi valeat renuncia-
 re. ex quo fit, vt ille verum titulum habeat; & quamuis non
 haberet, non esset suspensus, sicut nec is, qui e mentito patri-
 monio ordinatus est, vt dicemus inferius in decima octava
 suspensione. Hunc aut casum supra dictum de pacto facto
 cum ordinante, aut presentante non inducere suspensionem
 decreuit, seu declarauit signatura poenitentiana, & sic seruatur.

Sexta habetur cap. cum in cunctis, §. fin. de elect. Clero

eliga-

eligentes in Episcopatum, vel dignitatem, vel curam animarum indignum quoad aetatem, vel legitimitatem, vel scientiam, vel mores, per triennium a beneficio sunt suspensi. Intellige de eligentibus scienter indignum, iuxta cap. per inquisitionem de elect. ac respectu beneficiorum, quæ quisque habet in illa Ecclesia, ad quam fuit facta electio: ad alia verò beneficia non extenditur, vt notat Abb. in d. §. fin. in prin. per c. si compromissarius §. restringitur de elect. lib. 6. Intellige, etiam si ex illis votis sequatur electio, alias secus, quia requiritur actus consummatus, vt notat Ioan. de Anan. in d. §. fin. num. 1. Eadem suspensio infligitur compromissarijs scienter indignum eligentibus, cap. si compromissarius, de elect. in 6. & tunc compromittentes non contrahunt hanc pœnam, nisi scienter electionem indigni ratam habuerint.

Hæ decretales non procedunt de electione Papæ, nec de presentantibus indignum in Episcopatum, sed de clericis eligentibus in Episcopatum, dignitatem, vel parochiam, & de compromissarijs ad Episcopi electionem. Nec etiam procedunt in eligentibus patientem alium defectum, vt notat Abb. in d. §. fin. nu. 6. Nota tamen, quod si durante ista suspensione triennij, Canonici aliam similem suspensionem incurrant, secundum Io. Andr. quem sequitur Io. de Ana. secundum triennium incipit currere statim post commissum delictum, & non finito primo triennio, vt voluit Abb.

Septima habetur cap. cum medicinalis, de senten. excomm. in 6. Vbi Iudex, qui excommunicat, vel suspendit, vel interdicat, nisi in scriptis id faciat, & causam conferbat, & requisitus exemplum sententiæ tradat, per mensem est ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs suspensus. Nota ex Gloss. hanc pœnam procedere tam in generali, quam in particulari sententia excommunicationis ab homine; in vtraque enim sententia, siue in certam, siue in incertam feratur personam, hæc obseruanda sunt, Nota rursus ex eodem cap. quod si talis suspensus intra mensem celebret fit irregularis à solo Papa dispensabilis.

Octaua habetur cap. sacro. de sen. excomm. Qui in aliquem sententiam excommunicationis promulgat, sine competenti admonitione præmissa, & personas presentibus idoneis, per quas possit probari monitio, per mensem est ab ingressu Ecclesiæ suspensus. Hæ duæ suspensiones non comprehendunt Episcopos, quia non fit eorum expressa mentio per ea,

quæ diximus superius. Rursus non procedunt in casibus in quibus licet aliquando non seruare trinam admonitionem, nec in scriptis excommunicare, vt supra dictum est.

Nona habetur cap. quia saepe de elect. in 6. Vbi suspenditur ab officio, & beneficio, Cathedralium, Regularium, vel Collegiatarum Ecclesiarum capitula, conuentus, singulares personæ, quæ, mortuo praelato, bona ipsius, vel bona tempore vacationis obuenientia, quæ erant in utilitatem Ecclesiarum conuertenda, vel futuro successori seruanda, occupant, furripunt, inter se diuidunt, dilapidant, dissipant, & consumunt. Hæc suspensio autem tamdiu durat, quamdiu plene restituerint, & habet locum in omni emolumento, etiam proueniente ex reuditione, vel sigillo, Clem. stat. de elect.

Decima habetur cap. presenti. de offic. iudi. ordin. in 6. Vbi suspenduntur Episcopi, vel eorum superiores, ac Abbates, quicunque alij Regulares, vel seculares praelati, & Ecclesiastici, quicunque personæ, quæ vacantium dignitatum, personarum, prioratum, vel Ecclesiarum quarumcumque sibi subiectarum, seu ad collationem, ordinationem, presentationem, custodiam pertinentium, morientibus eorum rectoribus, & ministris bona inuenta in ipsis, siue tempore vacationis obuenientia, quæ in utilitatem eorundem expendi, vel futuro successoribus debent fideliter referuari, occupare, aut in suis usus conuerrere quoquomodo præsumunt, nisi de speciali privilegio, vel consuetudine legitime præscripta, vel alia rationabili hoc eisdem competere dignoscatur. Suspensio autem talis est: Episcopi & superiores eorum ab ingressu Ecclesiarum, ceteri ab officio, & beneficio sunt suspensi, donec de prædictis restitutionem fecerint.

Vndecima habetur cap. i. de senten. & re iud. in 6. Vbi Iudex Ecclesiasticus ordinarius, vel delegatus contra conscientiam, & contra iustitiam, in grauam partem alterius in iudicio quicquam faciens per gratiam, vel per sordes, ab executione officij per annum est suspensus, ita vt, si intra annum ingratie diuinis, sit irregularis, a solo Papa dispensabilis.

Aduerte ex Gloss. ad contrahendam hæc pœnam, hæc quatuor simul esse necessaria: Vt contra conscientiam, & contra iustitiam, & quod in grauam alterius partis, & quod in iudicio; vnde in arbitrio non habet locum, nec in mero errore, & quod per gratiam, vel sordes id faciat, sordide fit ex eadem Glo. quod peccato, pretio, timore, vel odio Iudex corruptus

facit

facit. Aduerte rursus ex eadem Gloss. hanc pœnam non comprehendere Episcopos, postquam eorum non fit expressa mētio. Aduerte rursus ex eadem Gloss. quod non ligat adhuc hæc pœna Iudices laicos, quia restringitur ad Ecclesiasticos.

Duodecima habetur cap. exigit. & cap. foelicis de censu. in. 6. Vbi iniungitur visitantibus, ne ultra procuracionem, quæ ratione vnius diei vnica debetur, etiam si plures visitent Ecclesias pro sustentatione sua, quam in victualibus, vel in pecunia a volentibus dare in pecunia, recipere possunt aliquod aliud munus etiam sponte oblatum, neve a non visitatis vllam procuracionem recipiant, alias duplum eius, quod receperint, Ecclesiæ, a qua receperunt, intra mensem restituere teneantur. Alioquin Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi duplū ipsum ultra prædictū tempus restituere differentes ab ingressu Ecclesiæ sunt interdicti. Inferiores verò ab officio- & beneficio suspēsi, quosq; plena facta fuerit satisfactio, nulla eis in hoc ex cōdonantiū liberalitate seu gratia facta remissione valitura.

Decimatertia habetur cap. constitutione, & cap. non solum de regula in 6. Suspenduntur mendicantes ab admittendo aliquem ad professionem, si faciant vllum ante annum profiteri, aut ad id admittant, & ibi sub excommunicatione præcipitur eis, ne id faciant.

Decimaquarta habetur cap. fin. de offi. iud. deleg. lib. 4. Suspenditur per annum ab officio Iudex conseruator, qui se immiscet in ijs, quæ non sunt sui officij; is enim solum debet partem tueri ab iniurijs, & violentijs, & his manifestis: si autem defendere vult ab immanifestis, aut aliud præter hoc facere, pœnam prædictam incurrit.

Decimaquinta habetur Clem. multorum de hære. Vbi Episcopi, & superiores, qui odij gratia, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu contra iustitiam, & conscientiam omittunt contra quemquam procedere in crimine hæresis, vbi fuerit procedendum; aut qui obtentu eodem ipsum crimen vel officij impedimentum alicui imponētes eum vexare præsumunt, ab officio per triennium sunt suspēsi.

Decimasexta habetur Clem. 1. de reb. Eccle. non alienan. vbi suspenditur ab officio quilibet Religiosus præsidens Monasterio, Prioratu, Ecclesiæ, seu administrationi cuiuslibet, si iura, redditus, vel possessiones eiusdem alicui ad vitam; seu ad certum tempus, quouis titulo concedit, quando, nec necessitas, nec utilitas Ecclesiæ id poscit, & tunc cum consensu conuentus, si

con-

conuentum habet, aut si non habet, Prælati sui id faceret. Aduerte ex eadē Clem. quod hæc pœna ad locationem redditiones fructuum ad modicum tempus non extenditur. Aduerte rursus duo necessaria ad prædictam pœnam vitari, vt necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id exposcat, & quod sit consensus conuentus, vel Prælati. Vno deficiente, locum hæc pœna.

Decima septima habetur Clem. quoniam. de vit. & bono cleric. Vbi suspenduntur Clerici, qui partita, vel virgata vitantur, nisi rationabilis causa subsit, si beneficiati fuerint, sacris tamen ordinibus citra sacerdotium constituti per totidem menses sint inhabiles ad Ecclesiasticum beneficium obtinendum. Si verò clerici tantum fuerint in minoribus ordinibus habentes beneficium, tamen tonsuram deferentes, per totidem menses sunt inhabiles ad beneficium obtinendum. Si verò fuerint sacerdotes, siue personarum, dignitatem, aut beneficium cū cura animarum obtinentes, siue Religiosi, per totidem suspenduntur, habentes quidem dignitatem, personarum, vel beneficium cū curam à perceptione fructuum; Sacerdotes vero, & Religiosi a beneficio Ecclesiastico obtinenda. Aduerte in Gloss. quod causa timoris, nempe cum per terras inimicorum iter fit, potest clericus vti vestibus prædictis. Aduerte rursus in Cardina. ibi. q. 3. quod etiam licet vti virgata, id est, diuersi coloris veste ob solemnitatem, vt fit in vniuersitatibus aliquibus, quando ad Doctoris gradum fit promotio.

Decima octaua habetur in cap. sanctorum. in prin. 70. dicitur ubi ordinatio facta sine titulo irrita habetur respectu executionis, iuxta Gloss. & Abb. & Ancar. in cap. cum secundum. præb. Sed hæc pœna fuit deinde sublata per dictum cap. cum secundum. & sic post cap. tenet ordinatio, & ordinator procedere tenetur, secundum Hostien. in cap. non liceat in fine præb. cuius sententia indistincte procedit, etiam si ordinatus sit in culpa, nempe sic mentitus est se habere patrimonium quod non habebat, vt notat Abb. in d. cap. non liceat, num. 1. contra Antoni. de butis. in eodem cap. non liceat, & de comuni testatur Imol. in d. cap. in fin. Hodie autem per Conc. Triden. sess. 21. cap. 2. ex sententia congregationis renovata est can. antiquus cum secundum. non autem ille antiquus sanctorum, qui fuerat reuocatus. Qui ergo sine beneficio, aut de Episcopi consensu sine pensione, vel patrimonio facti, etiam si ordinati, non est ipso iure suspensus. Dubium tamen

est, quia Concilium decernit, ne quis beneficium, pensionem, vel patrimonium, quorum titulo est ordinatus, sine licentia Episcopi dimittat, an sit suspensus, qui dimitteret sine licentia post ordinationem? Respondeo quod non, nam Concilium iura antiqua tantum renouat: at iure antiquo non habetur talis suspensio, sed ea sola, qua aliquis sine titulo ordinatur, quæ reuocata est per cap. cum secundum. Hoc verum est, talem dimissionem, aut renunciationem sic factam irritam esse, & nullius valoris; nam verba concilij vim habent decreti irritantis, potentiamque tollentis faciendi contrarium.

Decimano habetur in extra. cum deestabile. Pauli II. vbi suspenduntur omnes, qui simoniace ordinati fuerunt, à suorum ordinum executione, siue sint occulti, siue manifesti. Et idem dicendum de conferentibus ordinem per simoniam: nam ipsi quoque sunt suspensi ab executione suorum ordinum perpetuo, vt notat Abb. in cap. per tuas. 2. num. 7. & ibi Felyn. num. 3. de simon. & Silu. ver. suspensio. num. 7. licet nonnulli teneant, collatores non esse ipso iure suspensos. Alij verò ad triennium tantum, vt referunt Abb. & Silu. vbi supra. Aduerte prædicta intelligi de simonia reali, ex vtraque parte perfecta. Aduerte etiam, pœnam hanc suspensionis non comprehendere ignorantes, pura quia parentes, vel amici illis ignorantibus soluerint: nam in hoc casu ordinati sunt tantum suspensi quoad illum ordinem simoniace susceptum. Abb. & Fely. in cap. per tuas, de simo. Idem Abb. in d. cap. de simoniace, num. 6. de quibus omnibus plenè dicam, quando occurret sermo de simonia.

De suspensionibus Concilij Trident.

CAPVT XLIX.

Prima habetur in sess. 6. cap. 5. Episcopus etiam cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in aliterius Diœcesi exercens, sine Ordinarij loco expressa licentia, aut cum prædicta licentia exercens in alias personas præter ipsi Ordinario subiectas, ab exercitio Pontificalium ipso iure est suspensus. Rursus, ordinati ab Episcopo in aliena diœcesi sine licentia Ordinarij expressa Pontificalia exercente, aut etiam si habeat licentiam, si non sint ipsius Ordinarij subditi, ipso iure ab ordinum executione sunt suspensi. Aduerte, per Pontificalia, vt diximus supra, non intelliguntur ea, quæ ad iurisdictionem

perti-

pertinent, vt excommunicare, suspendere, interdiceret, iudicare, &c. sed quæ ad ordinem Episcopalem, & ipsius consecrationem pertinent, vt ordinare, chrisma conficere, clericos deponere, virgines benedicere, Ecclesias, & altaria consecrare, &c. milia. Hæc sunt quæ sub hac suspensione Episcopus prohibetur exercere in aliena Diocesi, sine licentia expressa Ordinarij, quamuis etiam nec iurisdictionalia possit exercere, vnde supra diximus, sed hoc non continetur in hac prohibitione. Aduerte rursus, iure antiquo hoc cautum esse 7. q. 1. can. Episcopus, vbi maior pœna infligitur, nempe vt sic ordinati deponantur, & Episcopus etiam a celebratione Missarum per annum cesset, & ibi Turrecr. intelligit etiam deponendum Episcopum. Aduerte rursus, quando dicitur, quod suspensus est Episcopus ordinans in aliena Diocesi, etiam cum licentia Ordinarij alios, præter subditos ipsi Ordinario, non intelligas non debent ipsi Episcopi in tali Diocesi ordinare simul cum subditis Ordinarij suos etiam subditos, si quos habet; licet enim ordinare simul suos, si licentiam habet ordinandi in aliena Diocesi supra diximus.]

Secunda habetur sess. 7. cap. 10. Capitulum, Sede vacante, infra annum à die vacationis non debet alicui licentiam ordinandi, aut litteras dimissorias dare, nisi arctatus sit ratione beneficij recepti, vel recipiendi, non obstante quouis priuilegio, et consuetudine, aut etiam iuris communis dispositione, quousi secus factum fuerit, Capitulum, Ecclesiastico subiacet interdicto, & sit ordinari, si in minoribus ordinibus constitutum fuerint, nullo priuilegio Clericali gaudent, præsertim in criminalibus: si verò in maioribus, ipso iure sunt suspensi, ab ordinum executione, ad beneplacitum futuri Prælati. Aduerte olim iure communi licuisse Capitulo, Sede vacante, licentiam ordinandi dare, vt habetur cap. cum nullus, de tempore ordin. in 6. tamen per Concil. Trident. limitatur, vt infra annum à die vacationis id non possit, nisi cum coarctatus ad ordines suscipiendos ratione beneficij suscepti, vel post vacationem suscipiendi; non tamen cum non coarctatus. Antequam verò transacto vacationis, si durat vacatio, procedit iuris communis dispositio, vt possit etiam id facere cum non coarctatus.

Tertia habetur sess. 14. cap. 2. Episcopus titularis etiam in loco nullius Diocesis, etiam in loco exempto, etiam in aliquo Monasterio cuiusvis ordinis residens, aut moras trahens

etiam

etiam habens priuilegium de promouendo quoscumque ad se venientes, si alterius subditum, etiam prætenu familiaritatis, & continuæ comensalitatæ suæ, sine sui Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs ad aliquos sacros, aut minores ordines, aut primam tonsurâ promouerit, ab officio Pontificalium per annum ipso iure est suspensus, & taliter promoti ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælati visum fuerit, ipso iure sunt suspensi.

Quarta habetur sess. 23. cap. 8. Episcopus ordinans non proprium subditum, etiam si is accedat prætenu cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij, siue testimonio tamen sui Ordinarij, in quo eius probitas, & mores commendentur, a collatione ordinum per annum ipso iure est suspensus: & sic ordinatus a susceptorum ordinum executione, quam diu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Aduerte in habente priuilegium, vel rescriptum, ut etiam a non suo ordinari possit, licet non requirantur literæ dimissoriæ licentiâ Ordinarij continentibus, tamen requiritur testimonium mores & vitam ordinandi probans, & hoc est, quod sub hac pœna statuitur. Aduerte etiam, hoc decretum non extendi ad primâ tonsuram ex declaratione congregationis Concilij: nam primâ tonsura nomine ordinis in hoc Concilio non comprehenditur.

Quinta habetur in eadem sess. 23. cap. 10. Vbi Abbates, & alij quicumque quantumuis exempti, ipso iure ab officio, & beneficio per annum sunt suspensi, si literas dimissorias aliquibus Clericis secularibus concedant, ut ab alijs ordinentur, etiam si tales clerici ad suam pertineant iurisdictionem: sed horum ordinatio pertinet ad Episcopos, intra quorum diocesis fines prædicti Abbates, aut exempti existunt. Aduerte hoc non procedere de regularibus, qui sunt subditi talibus Abbatibus, aut de exemptis: his enim possunt concedere dimissorias, ut ab alijs ordinentur. Aduerte etiam, per illos exemptos intelligi eos, qui inferiores Abbatibus, aut saltem non superiores sunt. Rursus eadem pœna imponitur contra Collegia, aut Capitula, etiam Cathedralium Ecclesiarum, similes dimissorias clericis secularibus concedentia, quod intellige excepto casu, quando vacat Sedes anno elapso, ut diximus supra in secunda suspensione. Rursus, qui literas dimissorias a quibusuis in iurisdictione Episcopi, loco capituli, Sede vacante, succedentibus obtinentes, sunt ipso iure suspensi ab

execu.

executione ordinum, si maiores fuerint, ad beneplacitum
turi praelati. Aduerte, sicut capitulum non potest Sede vacante
litteras dimissorias concedere, ita nec alius quicumque,
loco Capituli in iurisdictione Episcopi vacante Sede succedet.

Sexta habetur sess. 24. cap. 1. in decreto de reformat. Si
Parochus, vel alius Sacerdos, siue regularis, siue secularis sit,
iam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine
licere contendat, alterius Parochi sponsus sine illorum Pa-
rochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausu-
erit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordi-
nario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, in
quo benedictio suscipienda erat, absoluat.

Septima habetur sess. 23. cap. 17. praefecta Monasterio res-
tur, per mensem ante professionem alicuius faciendam, Ep-
iscopum ipsum certiores facere, alias ab officio est suspen-
tam diu, quamdiu videbitur Episcopo.

Octaua habetur sess. 23. cap. 14. de reform. Episcopi a con-
binatu postquam a synodo admoniti fuerint, non se emen-
tes, ipso facto sunt suspensi. Haec sunt suspensiones con-
in Concilio Tridentino.

De degradatione seu depositione.

C A P V T L.

Degradatio ad suspensionem reducitur: est autem sus-
pti ordinis perpetua depositio, vt notat Felyn quod
tat Hostien. & Innocen. cap. qualiter 2. num. 50. de ac-
cusa. Ecclesia enim non potens auferre characterem ordinis
semel impressum, vsum eius legitimum in perpetuum auferre
& hoc est clericum degradare, & vt sic dicam, deordinare, seu
ab ordine deponere. Dixi autem, legitimum, quia non potest
omnem vsum auferre: nam sacerdos degradatus potest con-
secrare, & Episcopus degradatus ordinare, licet peccet graui-
sime id facientes, vt dicit Archi. in cap. quod sit. in fin. de con-
secrat. dist. 2. & de communi testatur Gemi. in cap. degradatio.
§. poterit. in fin. de poen. in 6. Qui vero suscipiunt ab his secer-
ter ordinem, manent suspensi. arg. ex. in cap. 1. in fin. de ordi-
nat. ab Episcopo, qui renunc. Ex quo sequitur, cum degradatio
sit ordinis depositio, degradatum priuari omni officio, & be-
neficiis.

neficio Ecclesiastico, nam in ordine fundantur. Degradatio igitur ab his omnibus priuat, sed consequenter, quia priuat ordine, cui omnia hæc inniuntur; tenetur tamē horas canonicas recitare, vt affirmat communis sententia, quam sequitur Silu. ver. degradatio. & probatur ex cap. dolentes, de celebr. missa. vbi omnibus ordinatis iniungitur id onus: propter delictum autem, quamuis ordinatus degradetur, non tamen efficitur melioris conditionis, vt ab onere soluat.

Dua sunt species degradationis, verbalis, & actualis; illa fit verbo tantum cuius hæc est forma, vt habetur in cap. degradatio. de poen. num. 6. *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & nostra auferimus tibi clericalem habitum, & deponimus, & degradamus, & expoliamus, exuimus te ordine beneficij, & priuilegio clericali.* Quæ verba ab Episcopo, cuius est degradare, proferuntur. Actualis est, cum hæc ipsa verba exprimentur, & re ipsa exercentur; nam degradandus vestitur vestibus, & ornamentis, quibus fuit ordinatus, & tunc paulatim incipit denudari ab vltimis vestibus cum appositis verbis: & cum degradatur sacerdos, & auferitur planeta, dicit Episcopus: *Auferimus tibi vestem sacerdotalem & te honore sacerdotali priuamus,* similiter in alijs, & vltimo raditur caput, vt nullum coronæ maneat vestigium. hæc omnia habentur in prædicto cap. degradatio.

Est autem differentia multiplex inter has duas degradationes. Prima. Actualiter degradatus perdit priuilegium clericale vtrumque, canonis, & fori, nempe, vt sit sub iudice seculari, & qui eum percutit, non contrahat excommunicationem latam contra percussores clericorum: At verbaliter degradatus retinet priuilegium clericale respectu fori, & respectu canonis, ita Abb. cap. tuæ discretionis, de poen. & in cap. iohannes de cleri. coniugat. & in cap. ad abolendam, num. 10. de hæret. & ibi Io. de Anan. & Archidi. cap. degradatio. de poen. in. 6. & Diaz. in prax. etim. can. c. 17. in fin. Et hoc, nisi post talem depositionem sequatur incorrigibilitas: nam tunc potest comprimi per iudicem secularem, vt notat Ab. & Io. de Anan. vbi supra, & Boic. in cap. cum non ab homine, numer. 8. de iud. dicens, quod si clericus non depositus ter monitus perdit priuilegium clericale, & potest comprimi per iudicem secularem, multo fortius depositus incorrigibilis, etiam non actualiter degradatus. Aduerte tamen, quod etiam data incorrigibilitate iudex laicus non potest exercere iurisdictione contra clericum,

antequam per Ecclesiasticum sit lata sententia declarata super qualitate incorrigibilitatis. Fely. qui dicit hanc esse communem in cap. cum non ab homine, num. 9. de iudi. Sicut etiam in actualiter degradato est necessaria declaratio, quod est ceterus à clericali privilegio, nec est necessaria alia traditio præ istam declarationem, vt dicunt Gemi. & Franch. cap. de gradatio de poen. in 6. Ista autem declaratoria debet fieri per ipsi iudicem Ecclesiasticum absque citatione, ne fugiat, Abb. in cap. cum non ab homine, num. 9. de iud. Diaz. alios citat in prax. crim. can. c. 131.

Secunda est, verbalis non fit, nisi ab Episcopo cum aliorum interuentu, vt enim habet Goff. in d. cap. degradatio. & in no. foelix. 15. q. 7. ad degradationem Episcopi debent cum Metropolitanis conuenire duodecim alij, quorum maior pars sententia degradationis conueniat. Ad degradandum autem Sacerdotem cum Ordinario debent sex Episcopi conuenire. Ad Diaconum verò & Subdiaconum alij tres. Ad Clericos inferiorum ordinum sufficit proprius Episcopus cum capitulo conuentu, vel aliquorum tenentium locum capituli, potest enim clericus in minoribus degradari, vt habetur can. si Episcopus. 11. q. 3. & cap. degradatio. de poen. in 6. Concil. autem Trid. sess. 15. cap. 4. mutauit ius antiquum, & decreuit, vt Episcopus per se, vel per suum Vicarium in spiritualibus generalem potestatem deponere verbaliter clericum, etiam presbyterum. Actualiter verò per se ipsum: in ijs autem casibus, in quibus de iure Episcoporum multorum conuentus est necessarius, disponit, vt fiat degradatio per Abbates, vsu Mitre, & baculi exprimitur habentes, quod si tot non potuerint inueniri, eorum locum sint personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, ætate græue, & iuris scientia commendabiles. Hæc habentur ex Concilio. Cum autem propter hæresim Sacerdos est degradandus, sufficit Episcopus cum Abbatibus, & iuris doctis. Hæc sunt in verbali degradatione. At in actuali non est opus isto conuentu, quia cum præcessit verbalis, sufficit Episcopus ordinatus absque alijs.

Tertia est, tradendus curiæ seculari, actualiter, & non verbaliter degradatur: traditur autem per declarationem præfate Iudice seculari, cum declarat Episcopus, illum esse illius curiæ; debet tamen intercedere pro eo, quod non moriatur, vt iuxta cap. nouimus de verbo. signif. in fin. vt etiam notat Abb. in cap. cum non ab homine, num. 2. 6. de iudic. Verbaliter

men degradatus non traditur curiæ, si sit corrigibilis, vt habet Boic. in cap. ad abolendum, nu. 21. de hæret. Solet autem tradi tribus de causis, aut propter hæresis pertinaciam, cap. ad abolendam, de hæret. Aut quia fuit falsarius litterarum Apostolicarum, cap. ad falsarium, de crim. fals. Aut propter calumniam, quam quis parauit suo Episcopo. Vel quia a cõuentione intulit, aut inobediens fuit, vt habetur in cap. si quis sacerdotem. ii. q. i. quod vltimum intelligunt Doct. cum incorrigibilis manet, nec parere vult, vt habet Boic. in ca. ad abolendam, num. 21. de hæret. Siluest. in ver. degradatio. num. 6. licet aliqui Doct. inter quos est Innocen. velint etiam data corrigibilitate, post depositionem esse tradendum curiæ seculari, vt per Boic. in d. loco: sed prior opinio est probabilior, & quamuis propter aliud grauissimum crimẽ seculari curiæ tradi posset degradatus, vt propter parricidium, assassinium, vel aliud simile. Silu. in ii. degradatio. nu. 4. Abb. in cap. cum non ab homine, num. 6. de iudi. & in cap. i. in fin. de his, qui filios occid. non tamen propter simplex homicidium, vt habet Anton. tract. de suspens. cap. 4. Si tamen clericus simplex homicida esset incorrigibilis, quod pluribus modis dicitur, vt notat Diaz. in prax. crim. alios citans, posset tradi per Iudicem Ecclesiasticum seculari, vt imponeret illi debitam pœnitentiam, Abb. vbi supra nu. 30. in fin. & ibi Boic. nu. 4. quod intellige, seruata forma, tex. in cap. cum non ab homine. de iud. Clericus autem traditus, seu effectus de foro seculari debet puniri, non ad voluntatem Iudicis Ecclesiastici, sed prout videbitur Iudici seculari, vt notat Abb. in dicto cap. cum non ab homine, & ipse iudex punit pœna per Ciuiles leges imposta laicis pro eodem crimine, cap. ad falsarium. §. nos enim de crim. fals.

Quarta est, degradatio verbalis potest fieri contra absentem contumacem. Actualis verò requirit presentiam cap. nouimus, de verbor. signif. & notat Gem. per illum tex. in d. cap. degradatio. num. 3.

Quinta est, vbi cumque simpliciter fit mentio de degradatione, intelligitur de verbali, & non de actuali, Abb. in cap. at si clerici, col. ii. in prin. de iudic. Fely. in cap. qualibet 2. in fin. de accusat. Diaz. in prax. crim. can. cap. 132.

Sexta differentia est, degradatum verbaliter Episcopus restituere potest. Actualiter verò solus Papa. ita habet Gloss. 2. q. 6. can. ideo. i. ver. at restitutionibus. cui Gloss. consentit Panorm.

cap. at si clerici. de iudic. §. de adulterijs. numer. 14. vbi alle Speculat. affirmantem posse Episcopum etiam actualiter degradatum restituere, quando restitutio est iure requisita; vbi post degradationem appareat falsitas testimonij. Hæc doctrina est probabilior, quamuis si lueat. ver. degradatio. §. 10. alioquinens absolute teneat, solum Papam degradatum restituere posse.

Aduerte, sine accusatione neminem esse degradandum, nec alias sit puniendus, Host. in sum. sit. de accusat. §. quis infestus. sine accusatione. Diaz. vbi supra per tex. in cap. dilectus filius, 2. de sim. vbi Abb. Aduerte etiã, pro nullo crimine tantumcumq; graui imponi clerico pœnam degradationis, si reperiat expresse in iure, Io. de Anan. in cap. 1. nu. 8. de r. pugn. in duel post Ant. de Burr. Diaz. vbi supra. Quod intellige de pœna degradationis actualis, & non verbalis; illa pro criminibus enormibus potest imponi, vt ipse Ioan. de Anan. notat, & est euidentis.

Quod ad suspensionem spectat, qui per saltum est promotus, nempe inferiori ordine prætermisso superiorem suscipiens characterem quidem recipit, tamen non potest ministrare suscepto, nec omissum accipiat, neutrum autem potest esse sine dispensatione, quam Episcopus impendit, quando ignoranter id factum est, etiam si ignorantia fuerit crassa, ut habetur can. sollicitudo, d. 52. & cap. vii. de cler. per sal. promot. ibi Gloss. & Panorm. & Gloss. etiam cap. pastoralis de sacra. non iterum, vbi agitur de eo, qui prætermissa confirmatione promotus fuit ad ordines; idem enim est iudicium de hoc de illo, qui prætermisso vno ordine inferiori accepit superiorem; quod si scienter id fecit, opinio est varia, Hostien. cap. vii. de cler. per sal. promot. negat posse Episcopum in eo casu dispensare, tamen Gemini. & Præpo. can. sollicitudo, d. 52. affirmant etiam posse Episcopum dispensare in eo casu, & idem asserit Hostien. non sibi constans in sum. tit. de cler. per sal. promot. & id est probabile; tamen securius & verius est, non potest, per doctrinam Panorm. cap. ex litteris de cler. non ordinatis, nempe Episcopum non posse dispensare, nisi in casibus iure expressis, cap. dilectus de temp. ordi. casus autem hic non est expressus, immo tacite insinuat, quod non, vt patet in can. sollicitudo, d. 52. & cap. vii. de cler. per sal. promot. hoc intellige de iure antiquo; nam iure nouo Concil. Trident. sess. 2. cap. 14. potest Episcopus dispensare cum promotio per saltum.

non ministraverit, quod locum habet in foro exteriori, quando est publicum; nam in foro interiori quando est occultum, potest Episcopus, etiam si ministraverunt, per Concil. Triden. sess. 24. cap. 6. Non solum autem qui per saltum est promotus, non potest suscipere omissum ante dispensationem, nec ministrare in suscepto, sed nec ad maiores progredi, donec dispensetur. Ita habent Gemini. & Præpo. can. sollicitudo. d. 52. & ratio id probat, nam ligatus in minori non potest accipere maiorem; unde recte dicit Gemi. loco citato, postquam dispensatum fuerit cum eo, ut suscipiat omissum, & ministret in suscepto, adhuc indigere dispensatione, ut suscipiat maiores.

Duo sunt hoc in loco adnotanda, vnum est, multos, & graues Doct. tenere, promotum per saltum non esse ipso iure suspensum, sed esse suspendendum; unde si ministret ante dispensationem, non fieri irregularem, sed peccare ratione prohibitionis, ita habent Innoc. cap. si celebrat. de cler. excomm. ministr. Archidi. Gemin. Præpo. & Turrecr. can. sollicitudo, d. 52. quæ opinio placuit Tabien. irregularitas. 4. §. 2. tamen contrarium tenuit Hostien. in sum. de cler. per sal. prom. idq; inter Summistas tenuit Silu. ver. irregularitas, §. 13. affirmans esse ipso iure suspensum; mihi tamen posterior sententia magis placet, tum propter Concil. Trid. sess. 23. cap. 14. ubi conceditur Episcopo facultas in vtroque foro dispensandi cum promotore per saltum, nisi ministraverit, si ergo ministraverit, non potest Episcopus: quod argumento est per ministerium contrahi irregularitatem, & nouum accedere impedimentum, quod non fieret, nisi esset suspensus. præterea ipse Geminianus fatetur, ante ordinem susceptum, qui est pretermissus, collationem beneficii nullam esse, igitur suspensus erat. Hoc autem intelligo, quando scienter, aut ex ignorantia crassa ordo inferior est pretermissus, si enim ignorantia probabilis aliquo in casu interuenisset, non esset suspensus, sed tantum prohibitus, quando sciuisset post factum. sic affirmat Hugo citatus à Turrecr. can. sollicitudo. d. 52. immo in hoc casu affirmat procedere eundem canonem, & fauet ratio; nam suspensio non contrahitur sine peccato.

Alterum est, Doctores conuertere, an ordo maior teneat, minori non suscepto: certum autem est, loquendo de maioribus, si is, qui minores suscepit, accipiat sacerdotium sine præuio Diaconatu, vel Subdiaconatu, ordinem tenere: id quod probat cap. vni. de cler. per sal. promot. ibi enim Sacerdotium

quidam accepit, non præmisso Diaconatu, nec repetere præcipitur sacerdotium, sed accipere ordinem, qui omisus est. Iud tamen est in controuersia, an si laico conferatur sacerdotium, vel aliquis ex maioribus, non præmissis minoribus, teneat: aliqui negarunt, tamen communis opinio Theologorum & Canonistarum tenet, imprimi characterem, & non esse necessarium necessitate sacramenti, sed præcepti ordinem seruare in ordinibus suscipiendis, ita tenent Archi. Gemi. Præp. can. sollicitudo. d. 52. & ibi Glof. & Panor. cap. vii. de cler. per sal. promo. vbi dicit esse communem sententiam, & ibi Glof. & inter Theologos. S. Thom. 4. sen. d. 24. q. 1. ar. 2. q. 4. & Bonau. sen. d. 24. q. 3. Nec est verum quod dicit Hostien. cap. vii. de cler. per sal. promo. nempe talem sacerdotem ordinatum sine inferioribus non conficere corpus Christi, hoc enim falsum est, nam si characterem habet, potest conficere, quamuis maleficiat, quia irregularis est, vnde S. Tho. loco citato, qu. 4. ad 4. dicit in superiori omnes inferiores ordines virtute continere, vnde potest facere quicquid inferior potest. De Episcopatu vero est difficultas, & quidem fatentur omnes, si quis habet sacerdotium, etiam sine inferioribus ordinibus, si Episcopus ordinetur, tenere ordinem, tamen si non est sacerdos, non tenet, nec esse Episcopum, ita tenet Archidi. can. sollicitudo. d. 52. Glof. cap. vii. de cler. per sal. promo. cum alijs etiam Doctoribus id ipsum sentientibus. hi nituntur eo maxime fundamentato, quia character Episcopatus non est distinctus in substantia à characterē sacerdotij, quæ opinio est cõmuniõ inter Theologos. Alij existimantes esse distinctum characterē affirmant Episcopatum etiam laico collatum tenere, id habet Glof. can. sollicitudo. d. 52. & Panor. cap. vii. de cler. per sal. promo. vbi dicit communem sententiam, fateorq; vtrumq; probabile, & propter vtriusq; partis opiniones, si casus eueniret, ordines & missi essent suscipiendi absolute, Episcopatus vero sub conditione, propter dubium: quando enim est dubium, debet etiam ordo, sicut & baprisimus sub conditione exhiberi, vt notat Panor. cap. vii. de cler. per sal. promo. & Præp. can. sollicitudo. d. 52. in hoc autem omnes conueniunt, sine baprisimo, quæ est ianua sacramentorum, nullum ordinem tenere, ideoq; si collati essent non baprisato, essent absolute de nouo ordinandi, vt habetur de presbyt. non bapri.

Quid, & quotuplex sit irregularitas.

CAPVT LI.

Irregularitas, si vocabuli significationem attendamus, dupliciter accipitur, large, & strictè; irregularis enim idem significat, ac sine regula, seu qui non est secundum regulam: cum autem certa sit ordinandorum regula, qua conditiones eorum, & qualitates præscribuntur, omne id, quod contra talè regulam est, facit hominem irregularem, & hæc est irregularitas large sumpta, quæ complectitur excommunicationem, suspensionem, & interdictum, & quidquid deuiat ab eo, quod in ordinando requiritur. Strictè verò accipitur pro impedimentis, quæ ex certis defectibus, aut delictis iure adnotatis proueniunt, propter quæ homo ab ordinibus repellitur. Hanc distinctionem irregularitatis considerarunt Hostien. & Innocen. cap. nisi cum pridem de renuci. & Specula. tit. de dispenf. In præsentia autem de irregularitate strictè accepta loquimur, quam, prætermisissis aliorum definitionibus, sic possumus facilius & perfectius definire. *Est canonica inhabilitas ordines suscipiendi, aut susceptos exercendi à solo iure proueniens.* Cuius definitionis pars prima est, *inhabilitas.* homo enim irregularis inhabilis est ad aliquid agendum, aut suscipiendum, non quidem ad omnia, sed ad ea, quæ explicantur in secunda parte definitionis, nimirum *suscipiendi ordines, aut eos exercendi;* non enim omnis inhabilitas est irregularitas, sed ea tantum, quæ est respectu ordinum: sunt enim quædam iuris inhabilitates ad beneficia: nam simoniacus, etiam facta pœnitentia, inhabilis est ad illud beneficium, super quod commissa est simonia, cap. penul. de elect. Sunt etiã aliæ inhabilitates ad prælaturas, dignitates, & beneficia, vt habetur cap. i. de fil. presb. & cap. in quibusdam, de pœnis, & alijs in locis, quæ non dicuntur irregularitates: nam irregularitas est inhabilitas proxima, ac directà ad ordines suscipiendos, aut exercendos, dico proximam, & directam, nam irregularis sæpe etiam est inhabilis ad beneficium, vt dicemus inferius; tamen consequenter, & indirectè, quatenus qui inhabilis est ad officium, inde est inhabilis ad beneficium: at primò, & immediate irregularitas facit hominem inhabilem ad ordines, sic quidem, si irregularitas est ante susceptionem ordinum, facit ineptum ad suscipiendum: si verò post susceptos superuenit,

facit inhabilem ad exercitium eorum: si verò superueniat, partim post aliquos susceptos, partim ante alios nondum susceptos, tunc facit inhabilem ad vtrumque, nempe ad suscipiendum, & exercendum, quamuis non semper, vt postea declarabitur, propterea dicitur inhabilitas suscipiendi, aut exercendi ordines.

Tertia pars est, *canonica*: dupliciter enim aliquis potest esse inhabilis ad ordines, vno modo iure diuino, quando nempe diuino iure aliquis ab ordine expellitur, & talis inhabilis & incapax est, vt si ei ordo conferatur, nec characterem recipiat, nec ordinatus vere dici possit: talis est fœmina, quæ diuino iure ordinis est incapax, vt inter Theologos tradunt Nau. 4. sen. d. 25. art. 2. q. 1. & Duran. cad. d. q. 2. Inter Iurisperitos verò Archid. 17. qu. 4. can. si quis suadente et. d. 32. et presbyter et. 27. q. 1. can. Diaconessam. vbi expresse dicitur, feminam characterem non posse suscipere, si ordinari attemptatur. Talis etiam est non baptizatus, etiam si sit fidelis, & condatur. hic, si ordinetur, non recipit characterem, quia iure diuino repellitur; est enim baptisimus ianua sacramentorum, hoc habetur cap. presbyter. & cap. veniens de presbyt. nec baptiz. Isti sunt irregulares, largè tamen, non stricte, nunc loquimur: irregularitas enim stricte sumpta præsupponit subiectum capax ordinis; arceat autem, & prohibet eum ob aliquam causam, quæ ex defectu, aut delicto provenit, & hæc est iure humano Ecclesiastico introducta, vt dixit Innocen. cap. nisi eum pridem. de renunc. & cap. ad obedientiam, de homici. falluntur enim, vt inferius dicemus, qui bigamos incapaces putant, quasi fœminas, aut qui homicidas iure diuino repelli à promotione putant; est enim irregularitas iure humano inducta. hinc est, vt si irregularis ante dispensationem ordinetur, ordo teneat, & character imprimatur; per irregularitatem enim fit quidem inhabilis, sed non ad susceptionem, sed ad rectam, & legitimam susceptionem, multa enim, etiam si male fiant, facta tamen tenent.

Quarta pars definitionis est, à solo iure proueniens, in quo differt ab excommunicatione, suspensione, & interdico, quæ tum ab homine, tum à iure contrahuntur, suntque censure Ecclesiasticæ semper propter peccatum iniectæ: at irregularitas non est censura, nec inter eas computatur, vt habetur cap. quarenti. de verbor. signifi. & sæpe sine peccato contrahitur.

semper autem à iure, nunquam ab homine est. Ecce quid sit irregularitas.

Quantum autem ad eius diuisionem, varie quidem Doct. diuidunt, tamen communior, & verior diuifio, quam antiqui secuti sunt, ea est, si diuidamus in duas; Vnam, quæ procedit ex defectu; Alteram quæ procedit ex delicto. sic diuisit Panorm. c. nisi cum pridem. de renunci. & ante eum Hosti. Innoc. in eodem c. & Specul. lib. i. tit. de dispensat. hi enim tres præter irregularitatem generaliter sumptam, quæ omne impedimentum promotionis complectitur, quæ, uti diximus, non est ea, de qua nunc loquimur, duas alias diuidunt: Vnam ex defectu, alteram ex delicto. Est autem caute obseruandum, quæ ex defectu, quæ verò ex delicto dicatur; nam multiplex est inter eas differentias.

Primò quidem quæ nascitur ex defectu, ablato defectu sæpe tollitur: at quæ ex delicto, semper manet, etiam remisso peccato, donec dispensetur super irregularitate, ut dicit Præposit. can. minor d. 50. dixi, sæpe, quia aliqua irregularitas, quæ est ex defectu, etiam ablato defectu manet, ut inferius constabit.

Secundò, quæ est ex delicto, prohibet promotionem nondum acceptorum ordinum, & in susceptis ministerium: at quæ ex defectu, non semper in susceptis prohibet ministrare.

Tertiò, quia per Concil. Triden. sess. 24. c. 6. datur Episcopis facultas dispensandi in irregularitatibus omnibus ex occulto delicto prouenientibus, non autem ex defectu. Interest ergo multum scire, quæ sit ex delicto, quæ vero ex defectu. Illa ergo est ex delicto, quæ immediate oritur ex delicto, quando nimirum aliquis irregularitatem contraxit propter delictum. Illa vero est ex defectu, quando contrahitur immediate propter defectum, nimirum quando homo irregularis est, quia defectum habet, quod explicatur, illegitimus irregularis est, ut paulo inferius dicemus, absque dubio irregularitas hæc procedit ex peccato parentum, nisi enim parentes fornicati essent, non oriretur proles illegitima; tamen irregularitas illegitimi non dicitur ex delicto, quia proxima, & immediata causa irregularitatis non est peccatum parentum, aliter enim essent etiam ipsi irregulares, sed est defectus prolis ipsius, quæ natiuitatem habet infectam. Ideo irregularitas hæc ex defectu est. At qui iniique occidit hominem, irregularis est ex delicto, quia Eccle-

sia cum voluit arere ab ordine, non quia ei aliquid defuit, propter peccatum, & delictum homicidij. Quæ ergo irregularitas est ex delicto, nascitur proximè, & immediatè ex delicto, quæ vero ex defectu, immediatè oritur ex defectu. Sub his duobus diuisionis membris multæ species irregularitatum comprehenduntur, ideo subdiuisione opus est. Incipiamus ergo a his, quæ ex defectu proueniunt: sunt autem huiusmodi multæ ad octo enim capita reducuntur, quædam sunt ex defectu natalium, quædam ex defectu originis, quædam ex defectu honorationis, quædam ex defectu ætatis, quædam ex defectu honestæ famæ, quædam ex defectu corporis, quædam ex defectu animæ, quædam postremo ex defectu sacramenti. Ad hunc ræ numerum eas reduxit Præposit. can. i. d. 50. Singulas explicare accedamus.

Priusquam autem earum explicationem aggrediamur, generaliter obseruandum, pro omnibus irregularitatibus, non quodcumque crimen, nec quemcumque defectum inducat irregularitatem, nisi quando id in iure est expressum, nulla namque irregularitas est statuenda; nisi quæ in iure habetur expressa: quam doctrinam omnes Doctores recipiunt, propter cap. is. qui. de sen. excomm. in 6. vbi id habetur cautum. Aduertenda est etiam doctrina Innoc. c. ad audientiam, de homic. nempe Iudicem non debere aliquem in dubio censere irregularem. Panormitan. in eodem capit. dicit, hanc doctrinam communiter allegari pro notabili: ipse tamen non reputat indistinctè veram, distinguit enim, aut agitur de irregularitate in foro contentioso ad imponendam, aut infligendam pœnam pro irregularitate contracta; Aut agitur in foro pœnitentiæ ad iniungendam pœnitentiam in salutem animæ. In priori casu censet veram esse doctrinam Innocentij in posteriori vero non, in eo enim tutior pars semper est diligenda, etiamsi durior sit, quia minus est periculum in tenendo, & iudicando esse irregularem, Nauar. capit. si quis autem. de pœnitent. d. 7. numer. 35. quem sequitur Couar. tractat. de homicidio, paulò post principium, distinctionem Panorm. rejiciunt, aliamque supponunt dicentes, dubium posse esse duplex, aut de iure, aut de facto, de iure quidem, quando dubitatur, an talis irregularitas sit contenta in iure, quia iura non expressè de ea loquuntur, in quo casu iudex non debet censere aliquem irregularem, & hæc est decisio c. is. qui. de sen. excomm. in 6. vbi habetur, non deberi aliquem irregularem reputari.

nisi

nisi sit irregularitas iure expressa.

Alterum dubium est de facto, quando nimirum irregularitas est in re expressa, tamen dubitatur de facto alicuius, an sit tale, quod irregularitatem inducat iure expressam, quo casu dicunt, tam in vno foro, quam in altero debere Iudicem reputare aliquem irregularem. Exempla habemus cap. ad audientiam. de homi. verbi gratia, vulneravit presbyter quendam de familia sua, qui conualescens à vulnere, grauiori superueniente infirmitate mortuus est. Hic erat dubium de facto, an ex illo vulnere orta fuerit infirmitas, nec ne; si enim certum esset factum, nempè ortam esse, de iure irregularitas dubia non est; Pontifex autem iudicauit, debere abstinere, & in dubijs tutius esse putare se irregularem. Rursus cap. significasti. 2. de homic. quidam presbyter percussit latronem fossorio quodam, alij superuenientes occiderunt, ignorabatur factum an illius presbyteri vulnus lethale esset nec ne; si enim esset, contraheret irregularitatem; si vero non esset, nullatenus. In dubio igitur facto, Pontifex decernit esse reputandum irregularem; minus enim periculum est abstinere, etiam si non sit irregularis, quàm celebrare, si irregularitatem contraxit; hinc est, vt in dubio facti debeat vnusquisque apud se, & in foro animæ potius se irregularem existimare. Hæc distinctio sic à nobis exposita, & exemplis illustrata adhuc limitanda videtur, ne antiquos Doctores in toto rejiciamus. In primis Innoc. & Panormit. & alij eos sequentes agebant de dubio facti: nam de dubio iuris constans, & recepta erat doctrina, neminem iudicandum irregularem, nisi vbi irregularitas iure habetur expressa. In dubio ergo facti Innoc. pronulit, non debere Iudicem reputare irregularem. Panormit. vero vsus est distinctione fori contentioso, aut fori pœnitentialis, quam distinctionem existimo non esse omninò repellendam. nam pœna duplex est, vna quæ concernit periculum animæ, qualis est prohibitio, ne celebret presbyter irregularis, aut promoueatur, si nondū est promotus: Altera est, quæ non concernit periculum animæ, qualis est priuatio beneficiorum obtentorum; hæc enim non concernit periculum animæ; nam irregularis potest retinere beneficia ante obtenta, donec priuetur; & si non priuatur, non est periculum animæ, quale est, si irregularis existens promoueatur, aut ordinetur sine dispensatione. Dico ergo, in foro contentioso, vbi agitur de pœna imponenda, vbi nullum est periculum animæ, esse verissimam doctrinam Innoc.

& Pa-

& Panorm. non enim vbi dubium est, an aliquis sit irregularis, debet priuari beneficijs; est enim contra naturalem equitatem, vbi incertum est delictum, certam imponere poenam: vbi agitur de poena concernente salutem animæ, tunc debet in dubio reputari irregularis, quia si non reputetur, est periculum errandi contra salutem animæ, & de hoc casu sunt canones allegati, & est certa doctrina, putoque Panormitanum hanc poenam concernentem salutem animæ, appellasse poenitentiam; & forum, in quo imponitur, vocasse forum poenitentiale, & tunc eius distinctio est legitima, & optima.

De irregularitate ex defectu natalium.

CAPVT LII.

Irregularitas ex defectu natalium comprehendit omnes illegitimè natos. hi enim promoueri non possunt, d. 36. c. 1. & cap. 1. & vlt. de fili. presbyter. Quicumque ergo ex fornicatione, adulterio, stupro, sacrilegio, aliove illicito concubitu nati sunt, siue publici, siue occulti, irregulares sunt, dicitur siue occulti, vt constat ex cap. nisi cum pridem, §. non tamen propter quamlibet. de renunci. contra Castro. lib. 2. de leg. poen. qui contrarium tenuit, opponens se communis opinioni. Denique omnis illegitimus est irregularis. Esse autem hanc irregularitatem ex defectu, affirmant Hosti. Innoc. Panorm. c. nisi cum pridem, de renunc. & est communis sententia, & deducitur ex cap. accedens. de purg. canon. & cap. vlt. de fil. presb. in 6. vbi Gloss. inquit, non promouentur illegitimi, tum propter dignitatem ordinis, tum propter desertionem criminis paterni, tum etiam propter periculum incontinentiæ ex imitatione paterna, tum demum propter scandalum tamen non culpa, sed defectus est. Hæc gloss. & textus ibi. appellat defectum natalium, quamuis Gemin. can. presbyterorum d. 16. affirmet eam esse ex delicto; distinguit enim, vnam irregularitatem ex delicto proprio, alteram ex delicto alterius idem Hosti. c. 2. de aposta. Hæc tamen distinctio in hoc non est probanda: principium enim proximum est considerandum ad irregularitatem iudicandam, an sit ex delicto, an ex defectu alias cui manus abscissa est per iniquitatem alterius, esse irregularis ex delicto, quod nemo concedet. præterea si illegi-

tim

tim irregularitas est ex delicto, esset irregularis etiam, qui delictum commisit, quod verum non est.

Aduerte autem, posse esse aliquem illegitimum, etiam si ex parentibus vere coniugatis natus sit. Casus est in cap. litteras. de fili. presb. si enim coniugatus fiat sacerdos viuente vxore, de eius consensu, etiam ipsa faciente votum continentiae, si postea maritus accedat ei, proles nata censetur illegitima, & irregularis, quamuis verum fuerit matrimonium, quia ex facitilego concubitu natus est. Potest et contra fieri, vt aliqui nascantur ex matrimonio non vero, & aliquando ex manifesta fornicatione, & tamen legitimi reputentur, nec sint irregulares. Sunt duo huius rei casus, vnus est, quando aliquis nascitur ex soluto, & soluta, qui fornicarie se cognouerunt, tamen postea verum contrahunt matrimonium, tum, qui nati sunt de fornicatione, per subsequens matrimonium habentur pro legitimis, cap. tanta. qui fil. sint legit. huiusmodi non sunt irregulares, sed habiles ad quoscumq; honores, & dignitates, etiam Episcopatum, vt habet ibi Panorm. num. 7. & ibidem Gloss. & gloss. c. innotuit. de elect. Alter casus est in c. cum inter. qui fil. sint legit. quando aliqui in facie Ecclesiae contraxerunt, & postea lis mota est super inualiditatem matrimonij, etiam si per sententiam separati sint, & inualidum declaratum matrimonium; filij tamen, quia ante sententiam nati, aut concepti sunt censentur legitimi. vbi notat Panorm. etiam eos censerit legitimos, qui lite contestata concepti sunt, dum modo ante sententiam diuorij concepti, aut nati fuerint; & rursus, dum modo sit bona fides vtriusq; aut alterius tantum, vt constat ex cap. ex tenore. qui fil. sint, legit. si quis enim viuente vxore mala fide contrahit cum altera ignorante, filij censentur legitimi. Extra hos casus, qui nati sunt non ex matrimonio, sunt illegitimi, & irregulares, Dubitatio est de expositis, quorum natales ignorantur, Felyn. c. deputati. de iudi. & Anan. cap. i. de infant. dicunt admitti ad ordines, & praesumi eos legitimos. Sed non video qua ratione id stabilitur, cum in dubijs debeamus potius reputare eos irregulares. Est autem maxime dubium, immo & probabile, ex illegitimo natos esse concubitu; hi enim frequentius exponuntur. Tutius ergo puto eos affirmare irregulares, sicut & ceteros illegitimos.

Quantum ad dispensationem attinet in huiusmodi irregularitate, Episcopus dispensare potest ad minores ordines, & vnum simplex beneficium, c. i. de fil. presb. in 6. ad maiores vero

& c. d

& ad beneficium curatum solus Papa, vt habetur in eod. etiam ad dignitates, & personatus dispensat Episcopus, sed solus Papa, cap. nimis, de fili. presbyt. Per Religionis autem ingressum, & professionem tollitur irregularitas, possunt promoueri ad omnes etiam sacros ordines, non tamen prælationes, vt habetur cap. i. de fili. presbyt. Hæc est irregularitas ex defectu natalium.

De irregularitate ex defectu originis.

CAPVT LIII.

Irregularitas ex defectu originis prouenit ex seruitute, seu qui enim ordinari non debent d. 54. per totam, & extra de serui. non ordin. Hæc autem materia sequentibus dist. explicatur.

Primò, qui nascitur ex matre libera, etiam si pater seruus sit, non est irregularis, nec repellitur à promotione, quia seruus non est, c. dilectus, de serui. non ordin.

Secundò, seruus factus prius liber, & à seruitute omninò liberatus, promoueri potest, can. nulli. d. 54. & cap. i. de serui. non ordin.

Tertiò, ante obtentam libertatem, & plenam manumissionem non debet ordinari, capit. nulli. d. 54. & cap. i. de serui. non ordin. & Gloss. capit. 2. de serui. non ordin. & can. ex antiquis, d. 54.

Quartò, si seruus ante libertatem obtentam, sciente domino, & non contradicente, ordinatur, efficitur statim liber, etiam si seruus, 2. d. 54. peccat tamen, tam Episcopus, qui promouet, quam seruus, qui promouetur, quia contra Canones agit, cum prius libertas esset obtinenda.

Quintò, si sciente domino, & contradicente, siue etiam ipso domino ignorante promouetur in sacerdotem, statim fit liber, cap. per venerabilem, qui fili. sint legit. Aliqui affirmarunt, si contradicente domino fit sacerdos, reuocari debere à seruitute, & deponi, vt referunt gloss. capit. 2. de serui. non ordin. & Gloss. can. ex antiquis dist. 54. tamen verius est, sacerdotem ordinatum fieri semper liberum, vt ex dicto cap. per venerabilem, constat, & tenet Hugo citatus à Gloss. & Terecr. can. frequens d. 54. est tamen distinctio facienda à domino contradicente, vel ignorante, aut Episcopus, siue præsentator

licet

sciebat esse seruum, aut non, si sciebat, tunc duplum restituet domino, nempe duos seruos, aut pretium; si solus Episcopus sciebat, solus ipse duplum restituet; si vero uterque nempe Episcopus, & Praesentator, tunc uterque simul restituet duplum, ita ut partem vnus, partem alter reddat, seruus verò manebit liber, can. si seruus, i. d. 54. idem de testimonio dicitur, qui falsum testificatus est, peccat etiam mortaliter, qui sciens ordinavit secundum Hugo. relatum à Turrecr. can. si seruus, citato: non tamen committit furtum secundum eosdem, quia non fecit commodo proprio, ut sibi seruum retineret, quod si etiam Episcopus, & ceteri ignorarunt, tunc autem non habet unde restituant domino duplum, tunc seruus ordinatus presbyter reddet domino peculium, & manebit liber, can. ex antiquis d. 54. quod si adhuc non habet peculium, manebit liber, & seruiet domino in diuinis, & spiritualibus officijs, aut honestis conuenientibus sacerdoti, can. frequens d. 54. quod si in hoc contumax fuerit, degradabitur, & seruiet domino, secundum Anon. 3. p. tit. 28. cap. 6. §. 6. qui allegat Innoc. Raym. & Gosfred. Hæc de seruo promotio in sacerdotem.

Sexto, si domino ignorante, aut sciente, & contradicente seruus ordinatus fuerit in minoribus, tunc, si Episcopus, praesentator, aut testis sciunt, reddent domino duplum, & seruus manebit liber, & ministrabit sicut & sacerdos, can. si seruus i. d. 54. quod si ipsis ignorantibus, tunc seruus ordinatus deponetur, & reuocatus in seruitutem reddetur domino, can. ex antiquis d. 54. & can. nulli. ead. d. & cap. 2. de seru. non ordin.

Septimo, si sciente domino, & contradicente, aut si ignorante ordinatus fuerit in diaconu, tunc si Episcopus, praesentator, aut testis sciebant, reddent duplum domino, ut dictum est in alijs, & manebit liber seruus; quod si ignorauerint omnes, qui ordinatus est in Diaconum, reddet domino vicarium, id est alterum seruum loco sui, can. ex antiquis d. 54. & manebit liber, Gloss. ibi, siue vicarium, siue pretium reddat; quod si non habet, reuocatur in seruitutem, & reddetur domino. Est ergo differentia; nam ordinatus in minoribus, statim in seruitutem reuocatur: Diacono verò conceditur, ut reddat vicarium, aliter reuocatur in seruitutem, & deponitur: at promotus in sacerdotium semper manet liber, & ministrat in ordine, debito tamen peculio, vel exiguo, aut si non habet seruiat in honestis, nempe fiat Capellanus domini, aut alia faciat,

faciat,

faciat, quæ decent sacerdotem. Quod de Diacono decre-
est, idem de Subdiacono faciendum declaratum est, cap.
ramur. de seru. non ordin.

Octauò, quando ignorante Domino seruus ordinatus
Dominus intra annum potest repetere, quo transacta ex-
citur liber; loquor in casibus, in quibus seruus non liberatur
per promotionem: nam presbyter factus, statim liber est
tut; in cæteris omnibus, quando non fit liber, aut quando
netur reddere Vicarium si presbyter est peculium, aut si ser-
pus scit, tenetur reddere duplum. Deniq; in omni casu,
Dominus potest aliquid repetere pro seruo, datur tempus
ni vnus ad repetitionem, quo peracto seruus fit omnino
ber. Si verò fiat Monachus sine ordine, datur triennium ad
petendum, quo perfecto liber est. Hæc habentur cap. si ser-
2. d. 54.

Nonò, seruus promotus maioribus ordinibus in casibus
quibus restituitur domino effectus seruus, non potest con-
here, sed manet obligatus voto, quod posuit domino cum
inuito facere. ita dicit Turrecre. secundum Hugo. cau. nulli
54. & ibi gl. & Anto. 3. par. tit. 28. c. 6. §. 6. Si autem in minoribus
est, potest contrahere.

Decimò, restitutus & reuocatus in seruitutem non portat
bit habitum, nec tonsuram, quia in statu serui est, nec dignitas
ti Ecclesiastica id conuenit. quamuis Turrecre. can. nulli citat
dicat, quod arbitrio domini portabit habitum, tonsuram etiam
si sine scandalo domini id fieri potuerit. Ego credo, quod nec
trum portare debet, etiam volente domino, nisi liberum curam
faciat propter causam dictam.

Postremò, in eo casu, quo seruus efficitur, secundum Grego-
can. nulli, d. 54. & Anton. loco citato, non perdit privilegium
clericale, can. si quis suadente 17. q. 4. At Turrecre. eod. can. nulli
distinguit; respectu enim domini sui dicit carere privilegio
lo; non enim factum est vllum præiudicium domino, sed hoc
illi percutere vt ante: respectu verò aliorum gaudet privilegio
& hoc tenet Hosti in c. 2. de seru. non ordin. & hoc est verum
secundum etiam Turrecre. eodem can. perdit privilegium
quod maxime confirmatur ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. qui
tonsuram & habitum non habet. In hac irregularitate seruitu-
tis non dispensat Episcopus, sed Papa; imò puniunt Episcopi
ordinans seruum, vt ex supra iam dictis satis constat.

De irregularitate ex defectu liberationis.

CAPVT LV.

Prepositus can. i. d. 50. num. 12. huiusmodi irregularitatem hoc appellat nomine, ideo nos eo vsi sumus. Ita Ana. c. magnus, de corp. vitia. qui, inquit, alteri est obligatus, etiam si non sit seruus, non est liber; est enim quedam species seruitutis; ideo post irregularitatem originis merito hæc sequitur, quia proximè ei accedit. Duo autem hominum genera hanc irregularitatem contrahunt, nempe curiales, & obligati ad ratiocinia, de quibus fit mentio can. præterea, d. 51. Curiales dicuntur, qui curiæ officio tenentur, vt iudices, aduocati forenses, notarij, milites, & similes ministri. Hi, vt notat Prepo. eod. can. allegato, si perpetuò sunt obligati, perpetuò repelluntur à promotione; si vero non, tunc deposito officio, liberatique ab onere ordinari possunt, nisi in duobus casibus, quos notat Glos. can. ecce, d. 51. nempe quando homicidio, aut mutilationi se im miscuerunt; tunc enim irregulares sunt, etiam deposito officio, qua de causa, nec miles ordinari potest, etiam deposita militia, nimirum si occidit, aut mutilauit. Secus verò potest, vt dicit eadem Glos. can. si quis. eadem d. Alter casus est, quando officium infame exercuerunt, quales histiones, & alij vile ministerium exercentes apud curiã, nempe facillites, aut carnifices, vel similes. In his duobus casibus, etiam deposito officio manent irregulares, indigentq; dispensatione. Ceteros verò curiales Ecclesia repellit ante liberationem ab officijs, tum ne patiantur molestias, dum à curia reputantur, vt dicitur can. designata, d. 51. tum quia hi, non affectu Religionis, sed vt ratiocinia officiorum fugiant, videntur ad Ecclesiam se transferre, can. curiales d. 53.

Sunt alij publicis ratiocinijs obligati, vt tutores, curatores, procuratores, aliaq; administrationes publicas, aut priuatarum personarum habentes, ob quas tenentur reddere rationem, & hi dicuntur proprie obligati ad ratiocinia, de quibus est titulus in decr. de obligatis ad ratiocinia. ubi Glos. communiter recepta hæc, quæ sequuntur adnotat.

Primo, obligatus personæ miserabili, etiam non deposito onere ordinari potest, quia miserabilium personarum quilibet curam suscipere potest 21. q. 3. can. peruenit.

Secundò, obligatus personæ Ecclesiasticæ, etiam non deposito onere ordinatur; in hoc enim non molestatur Ecclesiasticus, ut infamatur, quod ordinet personas cum detrimento aliorum, ut infamatur si esset persona secularis, cui obligatus erat. Hæc dictum deducitur ex can. peruenit d. 86.

Tertiò, obligatus personæ seculari publicæ ante reddendam rationem, etiam onere deposito non ordinatur; sunt enim rationes publicæ ex administratione prius reddenda: ordinatur tamen, si alias est debitor ratione personæ, & non ratione administrationis; tunc enim ante redditam rationem non promouetur. C. de Episc. & Cle. l. officiales.

Quartò, si rationes sunt ex administratione erga personam priuatam, deposita administratione, & onere, etiam ante redditam rationem ordinari potest, nisi lis ei ante promotionem vel in ipsa promotione moueatur super administratione, nisi manifestum sit, ipsum de dolo teneri.

Quintò, si lis mota est, tunc, si de dolo est, non debet ordinari ante finem litis, can. tantis d. 81. debet tamen taxari tempus in quo causa decidatur.

Sextò, si lis mota est, non de dolo, sed de culpa, promovetur potest non obstante reclamatione creditoris, quia lis agitur potest, sicut prius, & coram eodem iudice, de for. compet. cap. proposuisti.

Septimò, debitor, si prohibente creditore fuerit promotus ad clericatum, non deponitur propter hoc, sed bona eius venduntur in solum, & si non sufficiant, Episcopus tenetur, qui abstulit debitori occasionem negotiandi, & lucrandi, ut solueret; iam enim factus clericus non potest negotiari. d. 88. can. si nunciari. Hoc intelligo, nisi cedat bonis, cessione enim facta non impeditur, sed potest promoueri, iuxta Gloss. can. præterea d. 51. & Præposit. ibidem. Hæc est irregularitas ex defectu liberationis, super quam, sicut nec super seruitutem Episcopus dispensat, ut ante liberationem promoueatur.

De irregularitate ex defectu ætatis.

CAPVT LV.

Defectus legitimæ ætatis facit hominem irregularem donec ad eam perueniat, ut dicit Præposit. can. 1. d. 50. Et autem ætas suscipiendis ordinibus legitima iure hu-

mano præscripta; primæ enim tonsuræ est septennium completum; hoc enim est tempus infantie, ut dicit Gloss. cap. nullus, de tempor. ordin. in 6. quo capite cauetur, ne ullus Episcopus ante hoc ætas ulli tonsuram primam conferat, nisi ei, qui Religionæ fuerit ingressus, alias ipso iure à collatione primæ tonsuræ per annum erit suspensus. Post septennium, usque ad duodecesimum, reliquos minores ordines suscipiendi tempus est legitimum: acoliatus vero non nisi completo duodecimo suscipi potest, can. in singulis d. 77. maiorum ordinum autem tempus legitimum iure antiquo d. 77. & 78. fuit stabilitum; postea vero limitatum per Clem. Generalem de ætate; & qualitat. Subdiaconatus in decimo octavo anno suscipitur, diaconatus in vigesimo, presbyteratus vero in vigesimo quinto: hos ultimos annos intellige non quidem completos, sed inceptos. Hæc ætas legitima sacrorum ordinum est iam correcta per Concil. Triden. sess. 23. cap. 12. ut nemo ad subdiaconatum promouearur ante vigesimum secundum: ad Diaconatum vero ante vigesimum tertium; ad Presbyteratum ante vigesimum quintum, intellige etiam inceptos. Ad Episcopatum vero iure communi debet esse completus trigessimus ætas cum in cunctis de elect. in 6. qui ante hanc legitimam ætatem ordines non dispensatus, suscipit ordinem, & characterem recipit, sed non executionem, sed suspensus est. Si est ordo sacer usque ad legitimam ætatem, qua superueniente cessat suspensio, cap. non est compos. de tempor. ordin. estque talis suspensio ipso iure; nam can. utitur verbo præsentis temporis, suspendimus, quamuis Turrec. d. 77. placuit, sequens Turrec. dicat esse suspendendum. huic antiquo iure successit extrauagans cum ex sacrorum. Pij II. qua omnes, qui factum aliquem ordinem ante legitimam ætatem præsumunt accipere, ipso iure suspendit, ut si illum exerceant, fiant irregulares, nec possunt etiam superueniente ætate exercere ante absolutionem à suspensione. Hæc tamen extrauagans comprehendit præsumentes accipere, non autem eos, qui ignoranter acceperunt. In defectu ætatis solus Papa dispensat, non Episcopus, ut colligitur ex cap. nullus, de tempor. ordin. in 4. & docet gloss. Clem. Generalem: de ætat. & qualitat. immo, si factum ordinem confert ante legitimam ætatem, Episcopus à collatione ordinum est suspendendus, cap. ut non est compos. de temp. ordin. ubi Anton. Burr. notat non esse ipso iure Episcopum suspensum, sed suspendendum.

Est autem aduertendum, hanc aetatem non esse necessarium necessitati sacramenti, sed necessitate praecipri Ecclesiasticae est, si conferretur ordo extra aetatem legitimam etiam ante usum rationis, ordo teneret, & character imprimeretur, rati qui ordinaret sine dispensatione, peccaret, ordinatusque executionem non haberet ante legitimam aetatem. Ordines etiam maiores, etiam presbyterarum posse conferri infantibus nondum usum rationis habentibus, est communis doctorum Theologorum, & Canonistarum. inter Theologos habentur S. Tho. 4. sen. d. 25. Bonau. ibidem, art. 2. q. 2. Ricardus art. 4. q. 2. inter Canonistas vero Glos. c. sua littera, de clericali. prom. imò ex eodem colligitur, subdiaconatus ante usum rationis receptus non repetitur, idem Glos. can. p. 1. q. 1. & ibidem Archidi. & Prapof. cum alijs, quamuis non sint qui contrarium sentiant, illud tamen est verum. De hoc copatu est maior controuersia: Archi. enim can. subdiaconus d. 77. tenet etiam in cunis posse conferri Episcopatum, quod ad ordinem S. Tho. verò, & Bonau. locis citatis tenent contrarium, quos sequitur Turrecr. eodem can. subdiaconus. Prapof. verò ibidem citat S. Tho. & Bonau. & tamen tenet cum alijs quia, inquit, eadem est ratio Episcopatus, & presbyteratus, eademque sit ordo, & imprimat characterem, quod puto esse probabile: esset tamen magnum scandalum, & graue peccatum ante usum rationis hos ordines, non dico Episcopatum, sed etiam inferiores conferre infantibus absque aliqua graui causa. & vrgentissima causa.

Est autem controuersia inter Doctores, an qui ante aetatem discretionis suscipit maiores ordines, adultus factus tenentur continentiae votum seruare, & quidem, si ante usum rationis suscipit ordines, non tenentur voto, ut dicunt Glos. 1. q. 1. de pueri. & ibi Prapof., & inter Theologos Palu. 4. sen. d. 25. q. 1. Sotus eadem d. q. 1. art. 2. limitat Archid. can. pueri. allegans, si factus adultus velit in ordine remanere, & ministrare, priuilegio uti clericali; tunc enim tenebitur continere, & verum est, quod si ante annos quidem discretionis, nimirum septennium suscipit ordines, & tunc erat doli capax, Glos. de Cleri per sal. prom. affirmat teneri voto, si tunc non contradixit; si autem contradixit, est iam coactus, & ordo non tenet, at Hostie. & Innocent. cap. vi non est compos. de temp. ord. tenent tempus contradictionis, siue ante usum rationis, si post sit ordo susceptus, durare vsque ad annos pubertatis con-

pletos
dicat,
(statim
interi
voti
ti pos
lemn
mitti
de cler

EX
m
tie

d. si. car.
infami
ip si apo
fama i
can. si E
triplex,
dudum
delict o
ues & b
Infami
uile, si
huiusm
infam.
quand
officiu
erileg
gnant
strione
tur inf
tur per
aliquo
senten
bus vic

pletos, nimirum quatuordecim, post quos, si statim contradicat, voto non tenetur. Anton. Butri. eodem c. exponit hoc (statim) esse triduum, quod intelligo in foro exteriori; nam in interiori puto obligari, si, cum primum nouit obligationem voti, eam habuit ratam; nam ante annos pubertatis vota emitti possunt, & obligant in conscientia, quamuis non votum solemne Religionis, quia statutum est tempus, quando hoc emitti debeat, & sic intelligo Archi. loco allegato, & Gloss. c. i. de cler. per. sal. promo.

De irregularitate ex defectu fama bona.

CAPVT LVI.

EX defectu bonæ, & honestæ apud alios opinionis, & famæ oritur etiam irregularitas; unde infames à promotione, & ordinum exercitio repelluntur d. 33. can. laici, & d. 9. can. qui in aliquo, & 6. q. 1. can. infames. Est autem duplex infamia iuxta Glossas 3. q. 7. can. infames, §. porro, & 2. q. 7. can. ipsi apostoli. & Doct. communiter, nempe infamia facti, & infamia iuris, atque hæc iterum duplex est, vt distinguit Archi. can. si Episcopus d. 50. legalis, & canonica. Erit ergo infamia triplex, facti, legalis, & canonica, & sic distinguit Panorm. c. dudum secundo, de elect. num. 5. Infamia facti oritur ex aliquo delicto graui, & notorio, propter quod delinquens apud graues & bonos viros malè audit, eiusq; mala opinio cõcepta est. Infamia iuris est, quæ incurritur in casibus, in quib; ius, siue civile, siue canonicum infamiæ pœnâ irrogat: sunt autem multi huiusmodi casus, de quibus agitur in iure civili, ff. de his, qui infam. notant. iure autem canonico 6. q. 1. can. infames; aliquando enim propter crimen, aliquando propter factum, seu officium minus honestum iuris infamia contrahitur, sic sacrilegi, vsurarij publici, duas vxores de facto habentes, qui pugnant publicè cum feris, qui ludos periculosos exercent, histiones, & qui scenis ex officio interfunt, & alij multi censentur infames iuris infamia. Est etiam iuris infamia, quæ inferitur per iudicis sententiam definitiuam, qua aliquis de graui aliquo crimine damnatur, vt qui de furto, vel calumnia per sententiam damnatus est. Similiter in alijs multis, de quibus vide Glossas allegatas. Est tamen aduertendum, omnes

infames legales esse, etiam infames canonicos, non tamen
 contrario: nam legalis infamia extra casus iure expressos
 contrahitur nisi per iudicis sententiam, per quam aliquis
 damnatur de crimine, quod irrogat infamiam, ut notant Archid.
 & Praposi. can. si Episcopus d. 30. quam doctrinam, quia
 controuersa est, limitat Panorm. cap. ar. si clerici. de iudi. num.
 ubi dicit, quando criminaliter agitur contra aliquem, oriri
 infamiam legalem ex sola confessione rei in iudicio esse
 necessariam sententiam. At quando agitur civiliter, per
 solam confessionem criminis oritur, dummodo sit spontanea
 confessio, & dummodo etiam sit vera, & non ficta, cum
 est, quando in contumacia aliquis damnatur. At infamia
 canonica etiam ante sententiam oritur, & forsitan hoc volu-
 runt dicere Innoc. cap. super his, de pœnis, & Gloss. cap. ar. la-
 rici. de iudic. affirmantes, per confessionem ante sententiam
 oriri infamiam. Quibus autem casibus legalis infamia con-
 hatur, non est nostrum tractare in presenti, hoc nobis facit
 quod secundum omnes vtraque infamia tam iuris, quam
 facti repellit a promotione, & facit hominem irregularem, ut
 notant prædictæ Gloss. Archidi. & Praposi. can. qui in
 quo. d. 31.

Quantum autem ad dispensationem super irregularitate
 ortam ex infamia, adverte, aliud esse tollere infamiam, aliud
 dispensare in irregularitate ex infamia; tollere enim est
 removere, ne sit infamis; dispensare est auferre impedimentum
 promouendum, quod aliquando fit etiam non ablata infamia,
 ut quando est infamia facti: pro cuius rei intelligentia sunt
 aliqua aduertenda.

Primo, infamia facti non potest tolli per Papam, nec per
 ullam potestatem terrenam. hoc est Praposi. & Gemin. 2.º
 can. Euphemium, ubi late de hac materia vtrouque tractatur.
 enim potest efficere Papa, ut qui propter delictum proprium
 male audit, & infamatus est, apud alios bene audiat, bonam
 que opinionem de illo concipiant. hoc tamen potest efficere
 ipsemet infamis, aut per contraria facta, & bona opera, quibus
 conceptam malam opinionem auferat, aut per purgationem,
 qua se purgat de crimine obiecto. Notant autem Archidia. &
 Prap. c. laici d. 33. quando aliquis infamis est infamia facti, et
 nimirum per modum exceptionis probatum est ei aliquod delictum
 men, esse irregularem, & repelli a promotione, donec se pur-
 get: purgatione autem facta, quia apparet crimen non habere

verum

verum, deletam esse infamiam, quod dictum probatur ex can. mennam. 2. q. 4. quando ergo infamia facti, vel per purgationem, vel per contraria facta deleta est, tunc non manet, nec impeditur a promotione, qui prius erat infamis; dum tamen manet adhuc in mentibus hominum, non tollitur, sed quantum ad effectum, nimirum irregularitatem, & impedimentum promotionis potest dispensari propter necessitatem aliquam, ut affirmant Archi. & Præposi. can. laici. allegato, etiam si ablata non sit talis infamia: dispensat autem is, qui potest dispensare in infamia iuris.

De quo dico secundò, omnem infamiam iuris etiam civilis potest tollere Papa à quocumque clerico etiam à laico sibi subiecto. Hoc est Innocent. Panorm. Hostien. cap. cum te. de sentent. & re iudic. Gemin. & Præposi. 2. q. 3. can. Euphemium. Vnde potest infamem iuris restituere in integrum, quando clericus est, vel laicus sibi subiectus. At de laicis non sibi subiectis.

Dico tertio, cum prædictis Doctoribus posse Papam abolerere, & tollere infamiam laici non sibi subiecti, ordinando eum in clericum, si forte eo opus habet; non enim, ut dicit Panorm. simul stare possunt, ut sit iure infamis, & ordinetur in clericum, propterea, dum hoc facit, illud remouet.

Dico quarto, Episcopum posse tollere infamiam iuris, que oritur ex criminibus illis, super quæ potest dispensare; unde quia potest dispensare in adulterio, poterit etiam tollere infamiam iuris consequentem ex adulterio; similiter in furto, sacrilegio, periurio, falso testimonio, & alijs huiusmodi Super quæ vero delicta non potest dispensare, nec poterit infamiam tollere, ut in hæresi, simonia, homicidio. Hoc dictum est Gloss. 2. q. 3. can. Euphemium §. hinc colligitur, & Glo. can. domino d. 50. & eas sequuntur Gemin. & Præposi. can. Euphemium allegato, & Panorm. cap. cum te. de sentent. & re iud. ubi notat Præposi. hoc non esse tollere infamiam directè, sed indirectè, & ex sequela, dum tollit causam, nempe dispensando in delicto: solus enim Papa tollit directè infamiam iuris, & generaliter in quocumque delicto. Idem puto dicendum in infamia facti, quantum ad impedimentum promotionis, propter necessitatem, uti diximus. Notat autem Panorm. cap. cum te, de sentent. & re iudic. quod si Imperator tolleret infamiam iuris civilis ab aliquo, Episcopus posset dispensare cum illo, ut promoueretur, quod intellige, quando infamia orta est ex aliqua

crimine, super quod Episcopus dispensat. Dubitabit quis, an infamia sit irregularis ex delicto: infamia enim sit ex delicto oritur. Respondeo quod non: nam irregularitas nascitur ex delicto immediate, sed infamia, quae defectus est, non est: ad iudicandum autem de irregularitate, an sit ex delicto, an ex defectu, considerandum est principium, unde immediate procedit, vt diximus in explicatione definitionis superius propositae.

De irregularitate ex defectu corporis.

CAPVT LVII.

Repelluntur etiam nondum promoti à promotione ab ordinum exercitio, qui promoti sunt defectum corporis patientes, vt constat d. 55. per multos canones. Defectus multipliciter, aliquando ex parte membrorum, quia deficit aliquod membrum, aut quia abudat, aut quia minus est solito, aut quia maius; aut prouenit ex indebita forma corporis, vt quod deformiter paru⁹, vel gibbosus, vel claudus, et alijs modis deformis existit; aut ex inhabilitate membrorum, quia suum officium exercere non potest; aut ex complexione corporis, quia infirmitates quasdam patitur. Denique vitium corporis solet facere hominem irregularem, quando autem, & quomodo id fiat, declarandum est, suntque aliquae regulae obseruandae.

Prima est Anton. Butri. cap. vlt. de corp. vitia. Omnis defectus corporis, siue in membro, siue in membri parte, qui infert inhabilitatem, nempe qui impedit ministerium ordinis, aut inducit notabilem deformitatem, aut generat scandalum, & abominationem, facit hominem irregularem ad promovendum, si promotus nondum est, & ad impediendum exercitium suscepti ordinis, ad quem inhabilis est, vel quem sine deformitate, vel cum scandalo, & abominatione exercere non potest. Sumpta est haec regula ex capitulis nonnullis clericorum, & ex titulo de corp. vitia. alijsque canonibus d. 55. ex quibus omnium horum exempla habemus. In primis presbyter, cui a praedonibus media pars palme manus cum duobus digitis abscissa est, propter inhabilitatem, quia caeteri digiti debiles manent ad sacrificium peragendum, repellitur à ministerio altaris; similiter

etiam

etiam propter deformitatem; non tamen repellitur à cæteris officijs etiam sacerdotalibus, quæ potest, & ad quæ habilis est, & quæ sine deformitate, vel scandalo exercere valet, vt audire confessiones, & baptizare, cap. 2. de cler. ægro. Si tamen laicus esset, nullo modo esset promouendus; facilius enim toleratur aliquis in susceptis, quam admittatur ad suscipiendos, 15. qu. 1. can. vlt. Propter eandem inhabilitatem carens manu altera repellitur, cap. exposuisti, de corp. vitia. idemque esset, si manum aridam, aut ita debilem haberet, vt officium exercere non valeret, similiter si careret pollice, aut indice: non tamen si deesset ungula pollicis, vel indicis; non enim propter hoc digitus debilis efficitur ad opus suum, cap. vlt. de corp. vitia. si tamen præter hos duos careret digito aliquo alio, cuius defectu non impediretur, quominus hostiam posset frangere, non esset irregularis, can. lator. d. 55. Simili causa tremulis manibus, qui sine periculo subuersionis calicis non potest ministrare, irregularis est: qui etiam ita vinum bibere abhorret, vt euomendi periculum sit. Hunc affirmat Nauar. posse promoueri ad minores, sed non est probanda eius sententia; nam longe aliud est cum ordinato, siue cum ante promotionem superuenit defectus, & cum post promotionem, vt supra diximus; si enim ante promotionem defectus est, ad nullos debet promoueri, quia omnes ordines ordinantur ad sacramentum altaris, ad quos ille inhabilis est, iam verò ordinatus toleratur in susceptis, ad quos habilis est, & sine deformitate, aut scandalo potest exercere. Colligitur hoc ex cap. 2. de cler. ægro. & ibi Panorm. & est communis sententia. Eadem de causa balbus, seu blesus, qui loquelam habet impeditam, irregularis est, secus si non est impedita loquela, vt dicit Anto. Butr. cap. exposuisti. de corp. vitia. Idem dicit Ioan. de Ana. cap. eodem de eo, cui pars linguæ amputata est, sed loquelam habet, quæ duo intellige, dummodo non sit talis loquela, quæ excitet notabilem deformitatem aut abominationem; tunc enim esset irregularis. Eadem de causa cæcus utroque oculo. aut ita debilis visus, vt literas non discernat etiam cum ocularibus, irregularis est, quia inhabilis ad officium altaris, vbi legenda sunt multa. Hi omnes repelluntur propter inhabilitatem, & impotentiam ad ministeriū. Alij etiam propter deformitatem notabilem repelluntur, & irregulares sunt hac de causa, cap. cum de tua. de corp. vitia. repellitur habens maculam in oculo, quæ notabilem facit deformitatem; propter eandem deformitatem, si oculus est alicui

extractus, repellitur, can. si Euangelia, d. 55. & ex stilo curia
 oculus laeuus, qui dicitur oculus canonis, est visiva potius
 priuatus, quia deforme esset totum caput conuertere ad sepe
 dum, Qui etiam careret naso toto, vel parte cum notabili de
 formitate, vel vulnus deforme haberet in facie. Qui etiam cae
 reret pede, nec posset sine ligneo pede ambulare, vt dicit An
 ton. Burr. cap. vlt. de corp. vitia. addens cum Religioso potest
 dispensari, quia propter vestes longas latet, & eadem de causa
 posset dispensare cum clerico laico, qui etiam habet vestes lon
 gas, tamen vterque est irregularis. Eadem de causa claudus, qui
 sine baculo ambulare non potest, irregularis est, secus si sine
 baculo posset altari accedere, vt dicit Panorm. cap. 2. de clero
 grot. quod non credo verum, nisi quando non est deforme
 notabilis, quae esse potest etiam sine baculo. Idem dicendum
 de gibboso notabiliter, & de eo qui oculos haberet nimium ex
 tractos, aut inaequales cum notabili deformitate, vt dicit An
 char. cap. 2. de corp. vitia. Idem si haberet deformem nasum,
 aut propter magnitudinem, aut propter nimiam paruitatem.
 Aut si haberet digitos multum inaequales cum notabili de
 formitate, idem si sex digitos haberet in manu cum notabili de
 formitate; secus non esset irregularis, nisi impeditum esset of
 ficiu[m] digitorum, qui necessarii sunt in ministerio altaris, vt
 dicunt Anton. Burr. & Anchar. cap. 2. de corp. vitia. Similiter
 Archidi. & Praepo. can. qui in aliquo, d. 31. Denique vbi est
 vitio corporis notabilis deformitas apparens, inducit irreg
 ularitas. Propter scandalum, & abominationem repellitur
 leprosus a ministerio altaris, & si est rector Ecclesiae, datur ei
 coadiutor, cap. 3. & 4. de corp. viti. & si est laicus, non promo
 uetur durante defectu; excitat enim scandalum & abomina
 tionem populi lepra. Repelluntur etiam alij propter scanda
 lum, nempe enegumeni, patientes morbum caducum: sed
 quia hi ad defectum animae potius reducuntur, suo loco de
 tractabimus. Est ergo proposita regula ante oculos habenda
 vbi vitium corporis inducit inhabilitatem, seu debilitatem
 deformitatem, vel scandalum, inducere irregularitatem, sicut
 a promotione, siue ab exercitio, dum durat.

Ex hac regula sequitur secunda, quanda vitia huiusmodi
 sunt occulta, quia non est deformitas, nec scandalum, nec de
 bilitas, nulla inducitur irregularitas; vnde qui in pede caret
 pollice, aut digitos haberet, deformes, quia latet hoc vitium,
 nec adfert inhabilitatem, non est irregularis, nec etiam cui vi
 rilia

vilia defunt, siue quia in cunabulis seftus est, cap. 3. de corp. vitia. siue quia ob infirmitatem à medicis absciffa sunt, cap. 5. eodem tit. & can. si quis per ægritudinem, d. 55. etiam si ipfemet fibi ea propter ægritudinem abfeiderit, vt dicit Innoc. cap. significauit, de corp. vitia, siue quia sic natus est, vel in perfecutione cafa ei sunt, can. Eunuchus d. 55. Omnes hi non sunt irregulares, quia nulla exterior deformitas. nulla inhabilitas ad altaris ministerium, nullum est scandalum; secus si ex culpa propriatalia prouenirent, vt paulò post in vltima regula dicemus. Nec opus est eum, cui virilia absciffa sunt, secum in puluerem redacta, aut sicca portare, vt vulgares putant, quod notant Gloss. can. Eunuchus d. 55. & Anchar. cap. 3. de corp. vitia ex Ioan. Andr.

Tertia regula, iudicium inhabilitatis, deformitatis, scandalii inducentis irregularitatem, pertinet ad Episcopum, quando dubium accidit, ita habet Innocen. cap. 1. de corp. vitia. Aut ad iudicem cui committitur, aut ad promotorem, vt dicunt Anton. & Anchar. cap. 2. de corp. vitia, non quod Episcopus, aut iudex dispensare possit, quando vitium tale iudicatur, quod aut inhabilitatem, aut deformitatem notabilem, aut scandalũ inducat, sed quod illis committitur, vt iudicent, & declarent, an tale fit vitium, quod facit hominem irregularem. Hoc quidem iudicium ad Episcopum pertinere deducitur ex c. 2. de corp. vitia.

Quarta regula, super huiusmodi irregularitatem prouenientem ex vitio, & defectu corporis solus Papa dispensat, ita habet Innocen. cap. 1. de corp. vitia, & cap. cum æterni. de re iudi. in 6. Anchar. cap. significauit, de corp. vitia, & Præposi. can. non confidat d. 30. & ibidem Archid. Est autem obseruandum, irregularitatem ex huiusmodi defectu & vitio, eo ablato absque alia dispensatione tolli, vt notat Præpo. can. ex præmissis d. 30. nu. 9. Præterea huiusmodi defectum & vitium non facit promorum irregularem in susceptis, nisi ad exercitium eorum ad quos est inhabilis propter defectum, vel in quibus exercendis scandalum, aut deformitas esset. Nec est incapax iam promotus beneficiorum, quæ non exigunt administrationem ordinis, ad cuius exercitium est irregularis, quibus de causis Innocen. & Panorm. cap. 2. de cler. ægro. dixerunt corpore vitiatum non dici irregularem: nam ministrat in ordine, etiam si non celebret. Ana. ibi dicit esse irregularem improprie; tamen te vera est irregularis, et si non est promotus, ad nullos

ordi-

ordines promoueri potest, quamuis non sit tanta irregularitas, quanta ea, quæ est in alijs defectibus, aut in defectis.

Vnum superest dubium de Hermaphrodito, qui utroque sexu pollet, an sit irregularis censendus: de quo sic est distinguendum. Aut enim viget magis fœmineus sexus, & tunc non potest ordinari, Gloss. can. si testes, §. Hermaphroditus 4. quæ concluditurque à testimonio ferendo in casibus, in quibus excluditur fœmina, nec est susceptiuus characteris, sicut nec fœmina, secundum Anton. 3. p. tit. 28. cap. 6. §. 5. Siluest. & Taberner. Hermaphroditus. Aut est paritas in utroque sexu, & tunc quantum ad ordines pro fœmina reputatur; ut dicit Præp. can. si testes 3. q. 4. §. eodem, vbi allegat Hugo. & Cardin. idemque sentit ibidem Turrecrem. & secundum Anton. Silu. & Thibien. locis citatis non est susceptiuus characteris, quamuis præpositi dicat, propter dubium, an sit fœmina vel mas, non debere ordinari. Aut viget magis sexus virilis, & tunc non reputatur à testimonio, & est susceptiuus characteris iuxta communem sententiam Anton. verò & Silu. negant promoueri posse, sed esse irregularem affirmant propter monstrositatem. can. illiteratos, d. 36. & can. vlt. d. 49. At Turrecre. loco citato secundum Hugo. tenet promoueri posse, nec esse irregularem, quod mihi probabile videtur: est enim regula illa obseruanda. Vbi vitium est citra culpam, non inducere irregularitatem, nisi vbi inhabilitas est ad altaris ministerium, aut deformitas, aut scandalum, quorum nihil est in Hermaphrodito hoc, in quo viget sexus virilis; monstrositas enim non obest: namque naturaliter esset Eunuchus, & qui tres digitos haberet in pede, aut aliquod vitium latens, haberet monstrositatem, tamen non esset irregularis. Fateor, quando vitium esset notorium, non esset promouendus, propter scandalum populi, ut dicit Archid. 17. q. 1. can. diaconissam. qui censet propter scandalum populi non esse Hermaphroditum promouendum, in quo virilis sexus magis viget, quamuis ad alia virilia officia admittatur. Hoc tamen in occulto non procedit.

Vltima regula, abscissio membri, quæ ex culpa propria inducit irregularitatem etiam in eo casu, quando defectus scilicet, si ex culpa non esset, non inferret irregularitatem; vnde qui sibi virilia amputauit, aut se castrauit, etiã zelo castitatis, etiam si occulte fecerit, irregularis est, can. si quis abscidit. d. 55. & cap. significauit de corp. vitia. nec dispensare cum eo potest.

test Episcopus, sed si Presbyter est, dispensat tantum ad Sacerdotis officia, præter altaris ministerium, ut habetur in eodem cap. Similiter qui partem digiti sibi ex ira, aut indignatione amputauit, est irregularis. d. 55. can. qui partem, etiam si sit talis digitus, cuius defectus, nisi culpa esset, non faceret irregulare. Anan. cap. 1. de corp. vitia, dicit appellatione partis dimidiam intelligi, secundum Lapum; sed puto, etiam si minor esset, adhuc induci irregularitatem, idemque sentiendum. etiam si sit membrum occultum, ut si abscindat digitorum pedis aut partem, quæ alias non faceret irregularem, si non esset vitium ex culpa. Non autem esset irregularis, qui habens sex digitos, superfluum sibi abscindit, aut abscindi facit. non ex indignatione, sed deformitatis vitandæ causa, liceretque id facere, ut dicunt Gemini. & Præpo. can. qui partem, d. 55. quod etiam insinuauit Innocen. cap. significauit de corp. vitia. ut enim superflua corporis ex honesta causa licet amputare citra periculum, ut tumores, verrucas & alia huiusmodi, ita & digitorum superfluum, nec esset irregularis, qui se etiam ex indignatione vulneraret, aut dentem extraheret, ut dicit Hostien. c. 1. de corp. vitia. quia hoc non est membrum, aut partem membri abscindere. Hæc irregularitas, quando vitium ex culpa provenit, ut dictum est, non ad defectum pertinet, sed ad eam, quæ est ex delicto, nisi scilicet talis abscissa sit pars, quæ etiam sine culpa faceret irregularem, iuxta prædicta in priori parte; tunc enim huiusmodi homo esset dupliciter irregularis, & ex defectu, & ex delicto, ut si sibi nasum amputaret, vel oculum extraheret, vel partem pollicis cæderet, ita ut inhabilis esset digitus ad officium altaris.

Est autem hoc loco notandum. hanc irregularitatem, quæ est ex abscissione sui, non incurri, nisi quando notorium est se ipsum abscidisse secundum Anton. cap. 3. de corp. vitia. qui sequitur Host. Idem tenet Anchara. cap. 5. de corp. vitia. & Gonsal. cap. 2. eodem tit. dicit esse communem opinionem: loquitur autem, quando talis abscissio non inducit inhabilitatem, deformitatem, aut scandalum. At ista opinio nunquam mihi placuit, sed existimo, qui se ipsum abscidit, siue partem membri, aut digiti secando, siue se ipsum ex ira castrando, quamuis occultum sit crimen, esse irregularem; non enim propter criminis notorietatem irregularitas illa est, sed sicut irregularitas homicidij, & mutilationis alterius propter qualitatem criminis, quia vita priuat partem sui corporis; ideo quamuis sit

occul-

occultum, inducit irregularitatem; unde can. si quis abscidit
 55. qui se abscidit homicida sui appellatur, æquiparatur enim
 canones, quantum ad irregularitatem, mutilatorem alterius
 qui membrum alterius abscidit; mutilatorem verò sui est
 qui, licet non totum membrum, partem tamen abscidit, quod
 grauiſſimum eſt, & contra naturam in ſe manus conuertitur
 ideo quãuis, qui partem abſcidit alteri, nõ ſit irregularis, niſi totum
 abſcindit membrum, qui tamen ſibi partem abſcindit, irregu-
 laris eſt. Percuſſor autem ſui citra abſciſſionem irregularis
 non eſt, quia vita non priuat membrum, nec partem aliquam
 ſui corporis. Sui ergo mutilator, etiam occultus eſt irregu-
 laris, ſicut & mutilator alterius. Eſt autem irregularitas ex de-
 ſecto, vt diximus, ſicut illius, qui mutilat alterum. Irregula-
 ritas verò, quæ conſurgit ex notorietate criminis, communis
 eſt multis criminibus, etiamſi non ſit abſciſſio vlla: nam con-
 ſurgit ex adulterio, & ex ſui graui percuffione, & ex alijs multis.
 At hæc, quæ eſt ex ſui abſciſſione, eſt ex criminis qualitate, &
 ideo etiam occulta inducit irregularitatem. Quod ſi quis aliter
 defectus pateretur ex culpa, nimirum lepram, aut claudicatio-
 nem, aut alia, quæ per ſe faceret irregularitatem, non aliter
 irregularis eſſet, quã ſi ex culpa non eſſet; ſi tamen crimen eſſet
 notorium, tunc notorietas criminis faceret irregulare: in
 abſciſſione autem eſt particulare, quod diximus propter cau-
 ſam aſſignatam.

Quidam extendunt irregularitatem ad cauſam, quando
 culpa eius abſciſſio facta eſt, etiamſi ipſe non ſe abſcidit.
 vnde Hoſtien. cap. i. de æta. & quali. & cap. ex parte. i. de corp.
 vitia. dicit, quando aliquis comprehenſus eſt in adulterio, &
 ei à marito adulteræ abſcinduntur virilia, eſſe irregularem,
 quod videtur probari ex cap. i. de corp. vitia. vbi præbyter ac-
 ceptans duellum ſponte oblatum, & partem digiti amittens,
 cenſetur irregularis; hoc tamen non puto verum, ſed quando
 notorium eſt crimen; & tunc non propter abſciſſionem, vt
 iſti putant, ſed propter adulterium notorium, aut propter
 duellandi peccatum, & hoc illud cap. i. al-
 legatum ſigni-
 ficat.

De irregularitate ex defectu animæ.

CAPVT LVIII.

Defectus animæ irregularem facit hominem, non quicumque, sed qui iure expressus est. Est autem in hoc in loco considerandum, quosdam inconsiderate Hæreticos & infideles non baptizatos, inter irregulares ex defectu adnumerasse, quod verum non est: nam non baptizati, irregulares dicendi non sunt, cum non sint capaces ordinis: Hæretici vero sunt ex delicto irregulares. In primis igitur, irregulares ex defectu animæ sunt dæmoniaci, insani, lunatici, morbo caduæ affecti. hos enim coniungo, quia eadem fere est ratio omnium, & in canonibus coniungi solent, quos non pono inter irregulares ex defectu corporis, ut fecerunt Anton. 3. p. titulo 28. cap. 5. & Nau. in sum. cap. 27. num. 203. quamuis enim aliquo modo id dici posset, tamen Gelasius inter percussos mente, animæque vitium passos adnumeravit, d. 33. can. vsquequo & ibi Gloss. Hæc igitur prima irregularitas ex defectu animæ sequentibus dictis explicatur.

Primo vexati a Dæmone, qui energumeni, & arreptiui dicuntur, si nondum sunt promoti, nunquam sunt promouendi, etiam si vel semel vexati fuerint, & postea in totum liberati. hoc habetur can. maritum, & can. clerici, d. 33. Gloss. autem, can. communiter. eadem d. affirmat hoc dictum esse sine contradictione.

Secundo huiusmodi à Dæmone vexati, & nondum promoti, non solum nunquam sunt ad maiores ordines promouendi, sed nec ad minores, hoc est contra Gloss. can. clerici, d. 33. & contra Archidi. ibidem, contra quos sentiunt Gemin. Præposi. & Turrecre. eodem can. clerici. quorum opinio probabilior, & canoni conformior est.

Tertio, si huiusmodi vexati à Dæmone erant promoti in minoribus, quando arrepti sunt, etiam sani & liberi ad maiores nunquam ascendunt, hoc est, quod statuitur can. clerici. d. 33. vt Doct. allegati recte dicunt, & Gloss. etiam confirmat.

Quarto, si iam promoti erant in maioribus, quando arrepti sunt, si omnino sunt liberati, post tempus certum probationis ministrare possunt in altaris ministerio, secus si non omnino aut nec in toto liberati sunt, hoc habetur can. communiter, d. 33. iuxta intellectum Gloss. Hugo. Gemin. & Præpo. & Archidi.

quid

quidquid alij aliter sentiant. Probatio autem est per spatium unius anni, in quo si per discretionem Episcopi inueniatur liberatus à vexatione Dæmonis, ministrare permittitur in altaris ministerio. hoc habetur in eodem can. communiter.

Quintò, idem sentiendum est de ijs, qui aliquando interuallam conuersi insanierunt, aut sunt lunatici, id est lucidi sunt interualla, aut morbo caduco laborant, dicti epileptici. hi enim si promoti non sunt, nunquam promouentur, in matrimonium, d. 33. hos omnes coniungit Gloss. can. communiter allegato, & est communis sententia quantum ad non promouendos.

Sextò, si iam sunt promoti, non permittuntur ministrare, dum non sunt liberati, cap. vsque quo. eadem d. Quod si liberati à morbo, tunc dico.

Septimo cum Gloss. cap. communiter vel in toto liberati sunt, vel non in toto, si omnino, & in toto, tunc ministrare possunt, sicut & vexati à Dæmone, longe enim differuntur promoti ab ijs, qui nondum promoti sunt, quando in futurum inciderunt, hi nunquam promouentur, etiam in totum liberati; illi verò in susceptis ministrant, 15. qu. 1. can. si quis & c. ergo. Est autem idem tempus probationis, nempe annus, in contrario quod habetur 7. q. 2. can. nuper. ubi probatio à morbo caduco datur per triginta dies, ibi tamen Gloss. respondet bene, hanc triginta dierum probationem datam esse illis, quo non constabat illo laborasse morbo, immo negabatur quàm talem fuisse morbum passum: probatur autem per triginta dies, an id verum sit, ac si constat aliquando laborasse, cognitionem liberationis à morbo certo, opus est anno, si in a Dæmone vexato. & hæc est vera interpretatio, & concordia canonis vtriusque, quam non recte ponderant Turresan. can. communiter, d. 33. dixit in Dæmoniaco probationem unius anni, in morbum caducum patiente, triginta dierum, quod tamen falsum est, cum sit eadem omnium ratio. Annotatur etiam 3. p. tit. 28. c. 5. propter hos canones dixit esse tempus probationis arbitrium: at verum est, quod diximus, & canones sic sunt conciliandi.

Octauo, quod si non est in totum liberatus à morbo caduco, tunc distinctione opus est: aut enim frequenter laborat, tunc non potest ministrare 7. q. 2. can. in tuis, aut raro: & si raro, vel quando corripitur, cadit cum vocis confusæ enunciatione.

& sp.

& spumæ iactatione, & tunc non est iam permittendus ministrare in altari; aut cadit, sed sine his prædictis accidentibus, & tunc permittitur ministrare cum coadiutore sacerdote, qui suppleat ministerium, si forte defecerit. 7. q. 1. can. illud. hoc dictum est Gloss. can. communiter. d. 33. & est communis sententia. Delunatico, & amente, eadem est distinctio in promotio, nimirum si raro, aut frequenter laborat, & si frequenter, non debet ministrare; si raro, cum coadiutore, quando non furit, vel motus corporis difformes facit, sicut qui spumas iactat, & voces confusas edit. In dæmoniaco autem necessaria est omnimoda liberatio, ut permittatur ministrare, quia in eo maius est scandalum. In hac irregularitate Episcopus non dispensat, sed solus Papa.

Secundo sunt irregulares ex animæ defectu Neophiti, id est nouiter ad fidem conuersi. d. 48. can. 1. & 2. & can. qui in aliquo d. 51. hi enim non promouentur ad maiores ordines, nisi post aliquam temporis moram, ut discant mores Ecclesiæ, & post probationem, an in suscepta fide stabiles sint arbitrio Episcopi; post verò irregulares non sunt, cap. eam te, de rescrip. Attende, Neophitos non repellit à minoribus ordinibus, sed à maioribus, ut dicunt Gemin. can. prohibentur, & Archidi. Præposi & Turrecre. can. quoniam, d. 48. & colligitur ex can. quicumque, d. 77. quidquid dicat Silu. ver. Neophitus. Attende rursus, filios conuersorum, qui baptizati sunt in infantia, non reputari inter Neophitos, ut notat Turrecre. can. prohibentur, d. 48. sed eos, qui nouiter in ætate adulta fidem, & baptismum susceperunt. Attende rursus secundum eundem, nec esse Neophitos, qui iam a multo tempore sunt ad fidem conuersi, multum autem tempus spatium est decem annorum. In hac irregularitate solus Papa dispensat, ut existens Neophitus sacris iniurietur.

Tertiò, irregulares ex defectu animæ sunt illiterati. d. 36. & d. 51. can. qui in aliquo. & d. 55. can. penitentes. Episcopus autem non potest dispensare cum penitus illiterato, qui nesciat legere, nec ad primam tonsuram, ut habetur cap. nullus, de temp. ordi. in 6. idque notant Gemin. Præposi. & Archidi. can. non confidat. d. 50. Hugo autem citatus à Gemi. & Archidi. dicebat Episcopos posse dispensare cum penitus illiteratis, quia quotidie id faciunt Papa sciente & tolerante, tamen Archidi. & Gemini. id negant propter cap. nullus, allegatum: solum enim Papam id posse facere affirmant, idque maxime possit

Cōcil. Triden. sess. 23. cap. 4. vbi statuit neminem esse
ma tonsura initiandum, qui fidei rudimenta edoctus non
erit, quique legere, & scribere nesciat. Ad maiores antea
dines maior scientia necessaria est; opus est enim linguam
tinaam intelligere, qui ad Subdiaconatum, vel Diaconatum
promouendus, & adhuc maior necessaria est in Sacerdote
plici, vt saltem officij sui peritiam habeat: qui autem primam
tonsuram penitus illiterato confert, a collatione primae
surae per annum est ipso iure suspensus, vt habetur eod.
nullus, de temp. ordi, in 6. & in cap. cum sit ars, de ar. & qual.
lit. graui vltioni subiacere decernuntur Episcopi, qui ignari
& rudes promouent in sacerdotes, quae vltio grauis ad
ordinatos extenditur. defectus autem scientiae, non solum
ordine suscipiendo remouet, sed etiam deicit a suscepto, vt
cap. quamuis de ar. & quali. vbi Episcopus nesciens Cate-
maticam, Episcopatum priuatur.

Quarto ad defectum animae reduci potest irregularitas po-
nitentium; olim enim publicae & solemnes iniungebantur po-
nitentiae pro quibusdam criminibus enormibus, & vulgari-
simis: vni autem semel in vita imponebatur, vt notat Glos-
can. quamuis in d. 50. & hi dicebantur poenitentes, & pro-
motione repellabantur, can. placuit, & can. quicumque d. 39.
& can. poenitentes, d. 55. & can. infames, 6. q. 1. Videtur autem
hoc ad defectum animae spectare: nam vt dicit Anton. sp. 28.
cap. 6. §. 1. vna ex causis, propter quas hi repellantur a pro-
motione, erat timor, ne relaberentur, quod quidem ad animae
defectum pertinet. Cum his solus Papa dispensat vt affirmat
Archid. & Praepo. can. non confidat, d. 50. Non imponebatur
haec solennis poenitentia clerico, nisi prius depositio, vt dicit
Gemi. can. si ille, d. 50. & Anton. loco citato, & sic per solen-
nem poenitentiam, etiam suscepti ordinis impediatur ex-
cutio.

De irregularitate ex defectu Sacramenti.

CAPVT LIX.

Quid bigamia, & quotuplex.

Bigamia est multiplicatio nuptiarum, qui enim plures con-
traxit, bigamus censetur, siue ter, siue quater, siue pluries

ad effectum enim irregularitatis parum refert multitudo, dummodo vnitas excedatur: ideo vno nomine omnes bigami censentur, quamuis vocabulum binas tantum nuptias significet. Est autem iuxta Gloss. cap. 2. de bigam. duplex bigamia, vna vera, altera interpretatiua. Vera est, vbi re ipsa interueniunt multae nuptiae, nimirum quando aliquis successiue duas uxores legitimas duxit. Interpretatiua vero, vbi plures nuptiae ex parte viri non interuenerunt, duxit viduam, siue corruptam ab alio, aut re ipsa nuptiae non fuerunt, sed attentatae: ius vero hos reputat tanquam bigamos. Specular. tit. de dispensat. de irregulari. §. iuxta vnam speciem irregularitatis, quam Gloss. interpretatiuam appellat, ipse vocat similitudinariam, nimirum, quando, qui votum habet solemne, de facto contrahit, etiam cum Virgine: quae dicitur similitudinaria, quia qui votum solemne castitatis vouit, quoddam matrimonium spirituale cum Deo contrahit, vnde bigamus censetur, si cum homine iterum contrahere de facto tentet, vt dicit Archidi. 27. q. 1. can. quotquot. Vnde Speculator distinxit bigamias tres, veram, interpretatiuam, & similitudinariam. Gemin. & Franc. cap. altercationis, de bigam. in 6. hanc bigamiam interpretatiuam iterum in duas diuidunt; Vna est simpliciter interpretatiua, altera non simpliciter, sed ex quadam iuris fictione. Simpliciter interpretatiua est, quando aliquis contrahit cum Vidua; vere enim vir bis non contrahit: tamen ius interpretatur esse bigamum, quia eam, quae bis contrahit, duxit, & carnem suam diuisit. Ex iuris fictione est, quando non est matrimonium, sed ius fingit esse, quia attentatum est matrimonium, vt quando contrahit aliquis bis, semel quidem valide, semel nulliter, alijsq; modis, de quibus postea dicemus. Haec omnia in sequentibus manifesta fient.

Bigami omnes praedicti a promotione repelluntur, suntque irregulares. Assignant autem Doct. quatuor causas ex canonibus collectas, propter quas bigami irregulares sunt, & ab ordinibus arcantur, quas colligit Panorm. in rubr. 1. de bigamis.

Prima est, ex defectu sacramenti, ex cap. debitum, de bigam. Est autem defectus sacramenti sic; bigamia enim non habet totam perfectionem matrimonij quantum ad significationem: nam matrimonium signum est, non tantum vnionis animae cum Deo per gratiam, & vnionis Verbi cum natura humana; sed etiam vnionis Christi cum Ecclesia, cap. debitum, de bigam.

hanc tertiam significationem non habet bigamia: nam Christi cum Ecclesia est vnus cum vna, bigamia autem vnus cum pluribus, nempe vnus vxoris cum pluribus, aut vnus successiue, aut vnus mariti cum pluribus vxoribus. Est defectus sacramenti significationis in bigamia. cum ergo sacerdotis sit ministrare sacramenta, merito repellitur ab omnibus, qui ad sacerdotium ordinantur, is, qui imperfecte capit vnum sacramentum, hacque de causa irregularitas habetur ex defectu.

Alterca causa est propter prerogatiuam ordinis, d. 26. can. na. vt tanto officio nemo accederet, qui imperfectione esset notatus.

Tertia est, quia presumitur incontinens qui pluries contrahit, ex can. proposuisti, d. 28. bigamus enim quisque incontinentiæ argumentum habet.

Quarta est, quia bigamus non potest facile ceteros heredes ad castitatem, & continentiam, quam de eo non presumitur, cap. vna, d. 26. Hæ sunt causæ, propter quas canones a promotione, & ordinum exercitio repulerunt bigamos, quamuis sint omnes hæ causæ simul in singulis bigamis, vt in sequentibus manifestabitur.

De speciebus, & modis bigamia in particulari.

CAPVT LX.

Multis modis bigamia irregularitatem inducens innotuit. Est ergo prima bigamia vera, & simpliciter, nempe quando aliquis plures successiue duxit vxores, vt bigamas, can. qui sine crimine, d. 26. siue vnam ante baptismum alteram post, can. acutius, d. 26. siue vtramque ante baptismum, can. vna, eadem d. siue vtramque post baptismum, can. maritus, d. 31. Est autem obseruandum, quantum ad effectum irregularitatis non censerit bigamiam, nec bigamum, nisi interuentu copula, fueritque matrimonium consummatum, vt notamus communiter Doct. ex cap. debitum, de bigam. Quando ergo vnus duxit, & non cognouit, eaque mortua alteram duxit, siue cognouerit, siue non, non est bigamus: vnde si hæc mortua fuerit, aut monasterium intrauerit, potest ordinari, similiter

priorem cognouit, non autem posteriorem, hæc est prima bigamia, & irregularitas ex defectu sacramenti, secundum omnes Doctores.

Secunda est, quando aliquis contraxit cum vidua, can. curandum est, d. 34. & cap. 2. de bigam. siue eam duxerit ante baptismum, siue post, ut habetur can. si quis viduam, d. 34. in quo præponitur sententia Augustini opinioni Hieronymi; bigamia enim hæc sine peccato contrahitur, unde manere potest etiam remisso peccato. Sunt autem duæ conditiones necessariae ad hanc bigamiam ratione irregularitatis contrahendæ. Vna est, ut sit vidua corrupta, si enim remansit virgo, qui cum ea contrahit non est irregularis, ut patet cap. debitum, de bigam. Altera ut etiam intercedat copula cum posteriori; si enim aliquis duxit viduam cognitam, tamen ipse non cognouit, non fit irregularis, hoc deducitur ex eodem cap. debitum, & expresse docent Panor. cap. super eo, de bigam. nu. 7. & Turrec. can. si quis viduam, d. 34. & est communis sententia. Hæc bigamia est ex defectu sacramenti, ut constat ex cap. debitum, de bigamia. nam unio Christi cum Ecclesia est unius cum vna, at qui ducit viduam, ducit eam, quæ est duorum, nec est vna perfecte. Hanc etiam bigamiam Gloss. cap. 2. de bigam. appellat interpretatiuam, idque communis sententia probat. id tamen limitatione, & declaratione indiget; longe enim differunt bigamia, & bigamus. Bigamia est multitudo nuptiarum; bigamus autem, qui plures celebrat nuptias, quando ergo aliquis contrahit cum vidua, ibi reperitur multitudo nuptiarum: nam matrimonium respectu viduæ est secundum. Erit igitur vere, & proprie bigamia, sicut quando vnus ducit secundam, bigamia est, quamuis secunda non alium habuerit maritum, & sit virgo. Igitur vera, & simpliciter bigamia est, quando aliquis ducit viduam, & deficit perfecta significatio sacramenti: at non est bigamus, qui ducit viduam vere & simpliciter, quia ipse non bis contrahit, sed semel; ius autem interpretatur eum bigamum, quantum ad effectum irregularitatis, quia celebrat nuptias, quæ vere & simpliciter sunt bigamia, & hac de causa dicitur bigamus interpretatiue.

Tertia est, quando aliquis ducit corruptam ab alio, etiam si semel celebret nuptias, censetur bigamus, & est irregularis, can. qui in aliquo d. 51. & can. curandum est, d. 34. hoc autem debet intelligi, quando cognouit eam; aliter enim non cense-

bitur irregularis, vt notat Panorm. cap. super eo. de bigam. 7. & est communis sententia, vt notat Panorm. etiam si ignoranter eam cognouerit, censetur irregularis, vnde, qui dicitur aliquam putans virginem, & corrupta est, eamq; cognouerit ignoranter, irregularis est, quia lex promotionis factum excederat. idem affirmat Gloss. can. nemo, d. 32. & est communis sententia.

Sunt autem aliqua adnotanda. Vnum est, Glossam cap. de bigam. cum communi sententia, hanc bigamiam censent interpretatiuam: nam re vera non intercessit duplex matrimonium, sed duplex copula in vno matrimonio, ratione caro diuisa est, ac si mulier vidua fuisset. ideo ius bigamie interpretatur, & maritum bigamum declarat quantum ad irregularitatem contrahendam. Gemi. & Franch. cap. de bigam. in 6. hanc interpretatiuam bigamiam esse affirmant, sed veram, quia vere caro est diuisa. Alterum est, irregularitatem ex hac bigamia esse ex defectu sacramenti, quia non presentatur vnitas Ecclesie cum Christo. ita affirmat Gloss. cap. 2. de bigam. & Turrecrem. can. si quis viduam. d. 32. c. 1. lijs: & hæc minus accedit veræ & simpliciter bigamie, quia illa, quando ducitur vidua, quia etiam si sit diuisa caro, tamen est multitudo nuptiarum, vnde magis est bigamus, qui contrahit cum vidua, & minus representat sacramentum, tamen quæ cum corrupta fit, est maius argumentum incontinentie, & talis bigamus minus potest honorari castitatem, indignior est prærogatiua ordinum.

Tertium est, esse valde cōtrouersum inter Doct. an qui forauit prius virginem, & postea duxit eam uxorem, & consummauit matrimonium, censetur irregularis & bigamus, sicut ille, qui duxit corruptam ab alio. Hugo 30. q. 5. can. de lijs, & Hostien. in sum. tit. de bigam. §. circa. qu. 6. & cap. de cler. coniug. & Gloss. can. nemo. d. 32. & Turrecr. 30. q. 5. qualis cum alijs tenent, quod sic, & re vera est opinio magis iudicanda; tamen quia communis sententia tenet non esse irregularem, cum caro non sit diuisa, & quia hæc est de iure potius, & canones in contrarium facientes possunt interpretari non admittere, ideo tenendum est non esse irregularem. Ceterum maiorem esse hanc sententiam, & celebriorem affirmant Gemi. Hostien. & Archid. d. 32. can. nemo. & Panorm. cap. de bitum, num. 2. de bigam. vbi etiam eam tenet Henric. Boet. cap. vt bigami. de bigam. dicit esse opinionem communem.

approbatam, & eam tenet Gloss. etiam cap. sane. de cleri. coniug. dicit esse veriorē. Gofred. de bigam. nu. 5. dicit celebriorē, & S. Tho. 4. d. 27. q. 3. ar. 1. q. 3. ad 2. dicit probabiliorem, & eam sequitur. Cum communi ergo sententia improbabilius, quorum certa ratio non est, sentiendum videtur. Hinc sequitur, cum in cap. vii. de cleri. coniug. in 6. definitur, quando quis piā habitum portat, & duxit vnicam, & virginem, non amittere priuilegium clericale, si contraxit cum virgine, à se tamē prius corrupta, cenferi contrahere cum virgine, & non amittere priuilegium. ita Gloss. ibi. rursus in quibusdam militijs datur facultas contrahendi semel, & cum virgine potest miles contrahere, etiam cum à se ante corrupta. ita habet Gloss. in decision. Tolosanis. q. 219.

Quarta est, quando aliquis duxit vxorem etiam virginem, quæ postea adulterata est, ille autem cognouit eam post adulterium, irregularis est, can. si cuius, & can. si laici, d. 34. diuisit enim carnem, sicut si contraxisset cum corrupta. hanc esse interpretatiuam bigamiam tenet Gloss. cap. 2. de bigam. & Paorm. cap. super eo. Esse etiam ex defectu sacramenti tenet eadem Gloss. & Panor. cap. super eo. eod. tit. Archid. can. si cuius d. 34. & Turcrem. can. si quis viduam eadem. d. & est communis sententia, quamuis Ioann. de Ana. cap. si vir. de adult. dicat non esse bigamiam, nec carnem diuisam, sed esse simplicem prohibitionem, ne talis promoueat. Sequenda tamen est communis sententia, circa quam sunt adnotanda aliqua.

Vnum est, si maritus accusat de adulterio vxorem, & lite pendente eam cognoscit, esse irregularem censendum, ita affirmant Gloss. can. si cuius d. 34. & ibi Turcre. & Gofre. de bigam. num. 9.

Alterum est, esse controuersiam inter Doctores, an si ignoranter cognouit vxorem suam post adulterium sit bigamus, & irregularis; quando enim scienter cognouit, nemo dubitat esse irregularem: at si ignoranter, tunc est controuersia, Gemin. can. si cuius, d. 34. citat Hugo. & Archidia. affirmantes, qui ignoranter cognouit vxorem adulteram, in susceptis posse ministrare, tamen non posse amplius promoueri: ipse tamen Gemin. tenet contrarium, nempe neque in susceptis etiā posse ministrare, quia bigamia vtrumque impedit: nec consideratur error, sed factum ipsum, sicut quādo cum corrupta contraxit. Henric. Boic. cap. vt bigami. de bigam. citat Archidia. &

non probat eius sententiam, nempe in susceptis posse resistere. Panorm. cap. super eo. de bigam. generaliter tenet, cognovit uxorem, siue ignoranter, siue scienter, esse irregularem, nec censet distinguendum inter scientiam, & errorem, quia non agitur de vitio ordinandi, seu de defectu sacramenti, & hæc opinio communior est, & verior.

Tertium est, esse etiam controuersum, si aliquis cognouerit adulteram uxorem iussu præcepto Ecclesie, an sit irregularis. Innoc. c. inquisitioni, de sen. excom. negat contrahere irregularitatem, can. si cuius, d. 34. eum, qui iussu, & præcepto adulteram cognoscit, nisi quando esset adeo notorium crimen, quod ipse posset propria auctoritate sine iudice uxorem repellere. Henric. Boic. c. vt bigami. de bigam. citat alios contrarium, & dicit esse eorum opinionem tutiorem, quæ lex promotionis factum requirit, in quo nec error, nec ignorantia locum habet, arg. 15. q. 1. can. vlt. vbi virgo vi corrupta inter corruptas numeratur, quia lex factum requirit, & irregularitas sine peccato: immo aliquando cum merito committitur: nam & iudex reum morti tradens, meretur, & est irregularis. Hanc opinionem sequitur Turrecr. can. si cuius, d. 34. communis est. Hæc sunt tres irregularitates interpretatiuæ secundum Gloss. cap. 2. de bigam. & Panormit. cap. super eo. cogit, nimirum quando aliquis viduam, aut corruptam dicit, aut propriam post adulterium cognoscit. Hæc quatuor bigamiæ species, quarum prima est simpliciter, reliquæ tres interpretatiuæ sunt ex defectu sacramenti, vt diximus ex Gloss. allegata.

De alijs bigamiæ speciebus.

CAPVT LXI.

Genus tertium bigamiæ, vt superius diximus, non est bigamia in veritate, sed ex quadam iuris fictione: hoc autem genus nonnullas habet sub se species. Prima est, quando aliquis mortua uxore legitima ad sacros ordines promouetur, & postea de facto consummat matrimonium cum alia, quod iure nullum est, hic bigamus non est verè, nec simpliciter, vt dicunt Præpos. & Gemin. cap. vni. de bigamia. Nec est ex defectu sacramenti, quia secundæ nuptiæ de facto sunt, & nõ de iure, sed propter defectum intentionis, quia quæ-

tum in se est, tentauit nuptias secundas opere subsecuto, irregularis est, & irregularitatem bigamiae contrahit, c. nuper. de bigam. ubi totus casus hic notatur.

Secunda est, si subdiaconus, & consequenter in maiori ordine constitutus contrahat cum vidua, & consummet matrimonium, censetur irregularis, non quod sit vera bigamia, nec sit defectus sacramenti, cum nullum sit matrimonium, sed propter intentionis affectum opere subsecuto.

Tertia est, quando aliquis, etiam laicus viuente vxore legitima, secundas nuptias celebrat, etiam iure non validas, quia nimirum non poterat contrahere cum illa, censetur bigamus non verè & simpliciter, nec ex defectu sacramenti, sed propter intentionis affectum: casus est in c. nup. de bigam. ubi qui duas habet vxores, vnam de iure, alteram de facto, censetur irregularis, quamuis non bigamus vera seu simpliciter bigamia, quia verae non sunt nuptiae. idem si mortua erat prior, & postea constitutus in ordine contraxit nulliter. Nec est defectus sacramenti, ut in ipso capite definitur. Omnes hi non sunt bigami in veritate, sed habentur pro bigamis.

Occurrunt aliqua dubia, Vnum est, an qui contraxit cum secunda, mortua priori, & nullum est matrimonium, non ex illa causa, quia viuebat prior, cum sit mortua, sed alia quacumque de causa, vel quia consanguinea, vel quia aliud intercessit impedimentum, censetur bigamus, & irregularis. Ratio dubitandi est, quia in cap. nuper. de bigam. non fit mentio, nisi duorum casuum, nempe quando est nullum secundum matrimonium, quia viuebat prior, aut quando, etiam si mortua est prior, nullum est secundum, quia celebratum erat ab existente in ordine sacro. Quando ergo secundum matrimoniū nullum est alijs de causis, ut in laico, qui mortua legitima contraxit secundo cum consanguinea, non videtur censendus, nec reputandus bigamus: semper autem intelligimus copulam in vtroque intercessisse: nam sine copula secundum communem opinionem nulla bigamia contrahitur, Archi. 34. d. can. cognoscamus. dicit, quod si quis mortua priori contrahat secundo, & nullum est secundum ignorante ipso, non induci irregularitatem, quia cap. nuper. procedit, quando qui secundo contrahit est in culpa Hostien. in summ. de bigam. num. 3. tenet contrarium, & Panor. cap. nuper. de bigam. num. 4. qui allegat pro hoc opinionem communem, nempe quomodo cumque secundum sit nullum, siue scienter, siue ignoranter,

siue ex illis causis, siue ex alijs, induci irregularitatem, videlicet mortua etiam priori legitima secundo contrahens, cumque de causa nullum sit secundum, reputatur bigamus effectum promotionis, quia non attenditur culpa, sed effectum, seu intentionis affectus cum opere subsecuto. & opinio communis est tenenda: nam etiam si caput nuper, nomen minerit illorum casuum, tamen ratio communis est & istis,

Alterum dubium est, si quis bis contraxit, & utrum quod matrimonium nullum est, siue utramque viuentem, siue mortua alteram dixerit, & consummauit, an sit reputatur bigamus. ratio dubitandi est, quia cap. nuper. non exprimitur casum, nisi quando vnus contrahit cum secunda defuncto, priori viuente, intercedente copula cum vtraque. Respondeo secundum Doct. generaliter, qui bis contrahit, siue vnus sit validum, alterum inualidum, siue utrumque inualidum esse censendum bigamum: ita habent Innoc. cap. nuper. de bigam. & Hostien. in sum. tit. de bigam. nu. 3. §. quot sunt species, & Goffred. de bigam. nu. 1. cum alijs multis, & Anton. 3. p. tit. ca. 3. & verba cap. nuper. id ipsum significant. Si quis inquit defuncto contraxerit cum diuersis, quibus de iure non possunt matrimonialiter copulari. Ratio etiam capituli procedit cum omnibus his, quia intentionis affectus, opere subsecuto, attenditur; forma enim matrimonij etiam si veritas non sit, sufficit ad hanc irregularitatem. dico formam matrimonij, quia vbi est, tunc est bigamia; ex quo sequitur, qui plures habet coniugas, siue simul, siue vnam post alteram, non censetur bigamus, vt habetur cap. quia circa, de bigam.

Tertium dubium est, an qui contraxit, & consummauit cum vidua, vel corrupta, nulliter censetur bigamus, loquendo de laico, aut in maioribus constituto: nam qui nulliter contraxit cum vidua, quia erat subdiaconus, bigamus reputatur, cap. a nobis, de bigam. Ratio autem dubitandi est, quia illud a nobis non procedit, nisi quando qui contraxit cum vidua subdiaconus erat, qui ergo non erat subdiaconus, nec vniuersale solenne habuit, sed laicus, aut in minoribus constitutus, & matrimonium nullum est alijs de causis, non videtur censendus bigamus. propter hanc rationem Natar. in sum. cap. 27. cap. de bigam. tenet non esse irregularem eum, qui laicus, vel in minoribus contrahit nulliter cum vidua. Hostie. vero in sum. de bigam. num. 3. §. quot sunt species, & capit. 1. de bigam. tenet

contra

contrarium, affirmans irregularem, & bigamum, qui de facto contraxit cum corrupta. & Gofre. in sum. de bigam. nu. 10. vbi tenet non posse promoueri tanquam bigamum, & ea est communis sententia; generaliter enim vbi matrimonium de iure celebratum inducet irregularitatem, etiam de facto eandem inferre, & ita Rot. decis. 1. de bigam. alias 447. in nouis. definiuit de clerico in minoribus, qui nulliter contraxerat cum vidua. facit pro hoc, quia ratio decisionis textus, nempe intentionis affectus opere subsequuto militat etiam in non clerico: natura autem rationis legis est restringere, & ampliare dispositionem legis, etiam in odiosis, vt dicit Panorm. c. 1. de iuram. calum. num. 8. Nec valet ratio Nauar. nempe rationem textus non esse integram, sed integrandam, quia ille subdiaconus similitudinarie contraxerat cum alia. hoc tamen supplementum est ad libitum: nam tunc non erat cur diceret contraxisse cum vidua, cum etiam si cum virgine, seu inuupta contraxisset, esset irregularis, vt paulo inferius dicemus. Nec potest dici, non esse expressum in iure, quia cum ratio legis est expressa, dicitur etiam esse expressa; hoc enim argumento probamus, cum aliquis bis contraxit cum duabus nulliter successiue, irregularem esse; cum tamen c. nuper. de bigam. loquatur de eo, qui vna viuente alteram duxit; tamen quia ratio legis etiam in illo militat, dicimus etiam id iure expressum. Non ergo est a communi sententia discedendum in hac parte. Hæc de bigamia interpretatiua, tam vera, quam ex fictione iuris.

Tertij generis bigamia erat similitudinaria, hæc autem est, quando habens votum solemne castitatis, nempe monachus professus, vel clericus in maioribus constitutus de facto contraxit, etiam cum virgine, & consummauit, irregularis est; 27. q. 1. can. quotquot. vbi Archid. rationem adfert, cur bigamus similitudinarie dicatur, quia cum per votum solemne prius cum Deo contraxisset spirituale matrimonium, tentauit postea cum homine contrahere, Gloss. c. 2. de bigam. vt superius diximus, interpretatiuam bigamiam hanc etiam appellauit, sed non est ex defectu sacramenti, sed ex affectu intentionis. Aduerte, sæpe prohiberi quosdam a promotione, etiam propter matrimonium, sed non ob id bigamos censerì, vt qui duxit ancillam, etiam virginem, vt dicitur, can. si quis viduam d. 34. aut aliquam ex ijs, quæ mancipantur spectaculis publicis, & c. hoc tamen magis ad quandam infamiam pertinet.

Cicca

Circa bigamos hoc vltimo est adnotandum, clericos, in clericali existentes bigamiam contrahunt, non solum regulares esse, sed etiam priuilegium, can. si quis suadente q. 4. perdere, est enim duplex priuilegium clericare, vnum fieri, alterum canonis, nempe quia percussores eorum excommunicati sunt, illud clerici coniugati perdunt, hoc vero retinent; vtrumque autem amittunt bigami, per e. altercationis de bigam. in 6. quamuis quidam illos iure etiam antiquo perdidisse affirmant, can. quisquis d. 84. & ibi Gloss. An autem hæc pœna omnes bigamos comprehendat, in disputato est: nam Gloss. illius cap. altercationis. tenet propter quæcumque bigamiam veram, seu interpretatiuam, aut similitudinariam priuilegium hoc amitti, tamen Archid. Gemina & Philip. Franc. dicunt non ligare hanc pœnam eos, qui in maioribus constitutis bigamiam contrahunt, sed eos solum, qui in minoribus; vnde presbyter coniugatus, si post susceptum ordinem de facto contrahit, non amittit priuilegium; potest autem, si clericus est in minoribus, & ratio dissimilitudinis est, quia qui in minoribus est, potest conuerti ad statum secularium, & contrahere vere, & de iure. at in maioribus constitutus non potest retrocedere; ideo non debet priuari priuilegio, cum obligetur manere in eo statu. Addit aliam rationem, quia illa bigamia non est vera, sed ex iuris fictione; verba tamen constitutionis, maxime pœnalis, debent interpretari in propria significatione, quando est vera bigamia, aut interpretatiua propria, iuxta quam rationem, nec clericus in minoribus erit nudatus priuilegio, quando ex nulliter, & de facto matrimonio fit bigamus, quia talis bigamia, nec est vera, nec interpretatiua propria; vnde Gosfred. in sum. de bigam. dicit. Clericum etiam in minoribus, qui contrahit cum vidua nulliter, etiam si bigamus sit, non amittere priuilegium,

De dispensatione irregularitatis ex bigamia.

CAPVT LXII.

Dubitare aliquis posset, an irregularitas omnis ex bigamia sit ex defectu, an sit aliqua ex delicto; multum enim hoc scire refert ad materiam dispensationis, vnde superius adnotauimus; & quidem. vt ex narratis constat, dubium

non est de illis bigamijs, in quibus intercedunt veræ nuptiæ, vt quâdo aliquis duxit duas vxores legitimas successiuè, aut duxit duam, vel corruptam, aut copulam habuit cum propria legitima post adulterium; hæ enim, vt diximus ex cap. nuper. & cap. à nobis. sunt ex defectu: at dubium est de illis, vbi non intercedit matrimonium, quas canones expressè negant esse ex defectu, sed tantum censentur bigamiæ propter intentionis affectum. Panorm. cap. à nobis, de bigam. affirmat irregularitatem in presbytero, qui de facto contraxit, esse ex delicto, quo dicto videtur sentire, irregularitates, quæ ex bigamijs procedunt, quæ dicuntur esse, non ex defectu, sed propter intentionis affectum, esse ex delicto, tamen contrarium est sentiendum; omnis enim irregularitas, quæ procedit ex quacumque bigamia, siue quæ cum peccato, siue quæ sine peccato contrahitur, est censenda ex defectu, & non ex delicto, & ratio est, quia quamuis aliquis sit bigamus cum delicto, nõ propter delictum irregularis & bigamus declaratur, sed propter sacramentum, explico. Vnus duxit duas de facto, & cum peccato, hic irregularis, & bigamus est declaratus, non quia deliquit, sed quia quantum est ex parte sua bis contraxit, & canones attendunt animum cum opere subsecuto, quamuis in veritate non fuerit sacramentum, nec defectus sacramenti; ideo etiam si sine peccato id fiat, vt qui nulliter contraxit cum secunda, quia priorem mortuam reputabat, & non erat, censetur irregularis; vnde consulto non dictum est in c. nuper. quia deliquit, sed propter animum, siue intentionem opere subsecuto. Est ergo ex defectu reductiuè, non propriè, sicut quæ est vera bigamia, aut illa quæ provenit ex vero matrimonio; hæ enim sunt propriè ex defectu, ceteræ reductiuè. Hoc ergo supposito, dico, materiam de dispensatione in bigamo esse multum inter Doctores controuersam & ambiguam: ea quæ mihi probabiliora sunt visa, proponam per aliquot conclusiones.

Prima est, Papa dispensare potest cum quocumque bigamo ad omnes ordines, maiores, & minores, & ad quascumque dignitates. hanc inter Theologos tenet. S. Thom. 4. sent. dist. 27. qu. art. 7. Inter Iuristas autem Archi. can. lector d. 34. Præpos. & Gemin. in eodem can. lector. & ibidem Turrecr. qui omnes allegant, & probant sententiam. S. Tho. dicuntque esse communem, vtuntur etiam ratione, & fundamento. S. Tho. nimirum irregularitatem bigamiæ esse introductam de iure positivo, in quo Papa dispensat, idque verum est, quidquid dicant

alij:

alij: nec. n. quia Apostolus prohibuit bigamum ordinari, nec licet inferre, quod non recte intulit Panor. c. vi. bigami. de bigam. num. 3. nimirum esse de iure diuino, cum certum sit non omnia, quæ Apostoli instituerunt, iure diuino fuisse instituta; multa enim fecerunt potestate accepta, sicut & faciunt successores eorum.

Secunda conclusio, Quamuis Papa dispense in omni irregularitate bigamiæ, & ad omnes ordines, & dignitates, tamen difficillime dispensat cum bigamo vero, & minori cum difficultate cum interpretatiuo. Hæc est Præpos. eodem loco, & est communis, ratio que ipsa persuadet: nam sicut bigamia vera minorem habet bigamiæ rationem, quam interpretatiua, hæc, quam similitudinaria, ita etiam maior, vel minor esse debet difficultas. Rursus sicut ordines sunt inæquales, ita etiam difficultas dispensandi, & sic intelligitur c. super eo. de bigam. vbi cum bigamo ad maiores non licere dispensare dicitur, mirum quia difficilè dispensatur.

Tertia conclusio, Episcopus non potest dispensare cum bigamo vero, aut interpretatiuo ad maiores ordines. ista est Hostien. in summ. de bigam. in fine, Præpos. Gemin. can. lector. d. 54. & Panorm. c. super cod. de bigam. nu. 5. in fine, & satis probatur per c. super eo. & c. nuper, de bigam. Quod dicitur de dispensatione ad maiores, intellige etiam non posse, vt in subsecptis ministrent, Episcopos dispensare, vt constat ex cap. super eo. allegato.

Quarta conclusio, ad maiores ordines cum bigamo vero, aut interpretatiuo Episcopus non potest dispensare, & cum minoribus coniungo quantum ad hoc primam etiam contrariam. istam conclusionem tenet Panor. c. super eo de bigam. num. 5. in fin. Præpos. & Gemin. can. lector. d. 34. & hi duo aliter mant esse communem opinionem, pro qua facit can. si quis viduam d. 50. ex Concilio Marti. Si quis, inquit, viduam, aut alio dimissam duxerit, non admittatur ad clericatum. quod si irreperit, deijciatur. Panor. & ceteri allegati hoc probant ex cap. vni. de bigam. in 6. vbi clerici bigami omni clericali privilegio nudantur, & prohibentur sub anathemate deferre habitum & tonsuram. Si ergo bigami non possunt deferre habitum & tonsuram, ergo Episcopus non potest dispensare cum eis ad minores: nam debent deferre habitum & tonsuram, quod prohibitum est, nec Episcopus potest prohibitioni papali contradicere, nec eam tollere. Hac ratione isti Doctores vtuntur.

nec valet respōsio Henr. Boic. c. vt bigami. de biga. nu. 26. quod hoc capu loquitur de clericis, qui contraxerunt bigamiā post clericatum; ijenim in pœnam exuuntur habitu, & tonsura, non, inquam, valet nam hi clerici non peccarunt contrahendo, quia erant in minoribus, & potuerunt contrahere. non exgo exuuntur propter penam, sed propter irregularitatem, quæ est ex defectu sacramenti, vnde, cum sit irregularis etiam, qui ante clericatum cōtrahit, comprehenditur eodem decreto, si casu ordinem susceperint. hęc conclusiōne teneo vt tutiorem cum cōmuni, quamuis contrarium teneant. S. Tho. 4. d. 27. q. 3. art. 3. Hosti. in sum. de bigam. in fine cum alijs; tamen cū cōmuni sententiā sit in oppositum, & canones id significare videantur, saltem incertum est, & dubium, an Episcopus id facere possit: in incertis autem tutius est abstinere a dispensando. Accedat auctoritas congregationis Concilij sess. 23. cap. 17. quæ ex sententiā Sixti V. Episcopum cum vero bigamo, qui duas successiue duxerat, dispensantem ad primam tonsuram, & beneficium simplex. quod etiam eidem dispensato contulerat, iudicauit ipso iure suspensum ab ordinum collatione; dispensatum autem ab exercitio suspensum, & beneficij nullā fuisse collationem, nec fructus suos fecisse.

Quinta conclusio, non solum Episcopus non potest cum vero, aut interpretatiuo dispensare in minoribus suscipiendis, sed nec in susceptis. hęc est mentem eorundem Doctorū, & probatur, nā aut post bigamiā accepit clericatum, aut ante; si post non potest Episcopus dispensare: nam ex eodem can. si quis viduam d. 50. deijcitur, si quis post bigamiam irrepit in clericatum, in quo can. non potest Episcopus dispensare; quod si minores ante accepit, probabile est olim potuisse dispensare Episcopum, vt in susceptis maneret, per cap. lector d. 34. at hodie id non potest per c. alterationis, de bigam. in 6. quia tales priuantur omni priuilegio clericali. Hęc dicta sunt de bigamia vera & interpretatiua. Quantum autem ad fictam, seu similitudinariam spectat, ponitur.

Sexta conclusio, Episcopus potest in aliquibus casibus dispensare cum bigamo ficto. hęc certa est, & sine controuersia; sunt enim casus, in quibus potest Episcopus dispensare.

Primus est, cum presbytero, qui duxit vxorem post longam penitentiam, & vitam laudabilem, Episcopus dispensat, vt ministrat in susceptis, cap. sanē 2. de cler. coniug. Gloss. communiter recepta ibi declarat, quando non ante contraxerat,

sed semel duxit, & eam virginem; si enim ante contraxerit semel, & iterum contraxit post ordines, non potest Episcopus dispensare, per capit. nuper. de bigam. Similiter si semel hanc viduam, adhuc non potest Episcopus, cap. a nobis. de bigam.

Alter casus est, quando diaconus contraxit de facto, et eo contrito & conuerso, dimissa vxore, dispensat Episcopus vt ministret in susceptis, & si perfectæ vitæ, & conuersus fuerit, dispensat in suscipiendis. idem est de subdiacono. videtur e. i. qui cler. vel vouen. Gloss. communiter recepta intelligit, quando duxit etiam virginem; nam si viduam, quamuis semel, non potest Episcopus, c. a nobis, de bigam. nulliter etiam si non semel, c. nuper. de bigam.

Tertius casus est, quando post votum solenne castitatis quis duxit vxorem, quod non solum commune est subdiaconis, sed etiam monachis, tunc Episcopus dispensat. ita habet Gloss. communiter recepta, can. quotquot 27. qu. 1. & alibi can. si qua virgo. ead. d. & causa, quod intellige, si semel, & nullo modo sit, & adhuc cum monacho sibi subiectis, aliter Episcopus non potest. In alijs similitudinarijs, aut fictis bigamis Episcopus non dispensat, nempe cum eo etiam laico, qui duxerit ruptam, aut bis nulliter contraxit, vt enim dicit. S. Thom. 4. d. 27. qu. 3. art. 3. eadem est difficultas dispensandi cum ijs, qui de facto contraxerant, ac ea, quæ esset, si de iure contraxissent, hoc est tutius.

Hoc autem est obseruandum, Episcopum posse dispensare cum bigamis in irregularitatibus precedentibus ex bigamia, quæ est ex delicto, quando crimen est occultum, iuxta can. 6. sess. 24. Concil. Trid. quod supra adnotauimus, videtur omni similitudinaria, quæ ex peccato procedit, si occultum est iuxta formam Concil. dispensare potest in susceptis, & in suscipiendis.

De irregularitate ex delicto hæresis.

CAPVT LXIII.

Supererat alia irregularitas ex defectu, nempe quæ oritur ex homicidio: at quia hæc coniuncta est cum ijs, quæ ex delicto sunt, & diffuse de ea agendum est, ideo in vltimo loco

locum referuamus. De ijs ergo, quæ ex delicto sunt, tractemus, & primo loco de ea, quæ est ex crimine hæresis, quo nomine comprehendimus non solos hæreticos, qui nominis Christi professione retenta, in parte à fide recedunt, sed etiam Apostatas, qui ad iudaismum, seu ad paganismum post susceptum baptismum se transferunt. In huius irregularitatis explanationem sunt sequentia dicta consideranda.

Primo, Hæretici, qui in hæresim etiam exteriorem lapsi sunt, sunt irregulares ex delicto, can. qui in aliquo d. 50. Dico, exteriorem, quia per solam interiorem, sicut nec excommunicatio, ita nec irregularitas contrahitur, ut diximus superius in excom. Cœnæ, quod dico de hæreticis, ut iam dixi, dicta puta de Apostatis à fide.

Secundo, non solum hi sunt irregulares, sed etiam ipsorum credentes, fautores, & defensores. hoc habetur ex cap. statutum 2. de hæret. qui autem hi sint, expli cuius in excom. in Cœna Domini: illi enim omnes, qui excommunicatione ligantur, sunt etiam irregulares.

Tertio, non solum ipsi, sed etiam omnium prædictorum filij etiam si crimina parentum non fuerint imitati, sunt irregulares, cap. statutum 2. de hæret. Aduerte, olim iure antiquo filios Iudæorum conuersorum, & postea ad iudaismum reuersorum, non affici ex crimine parentum, ut habetur can. Iudæi. q. 4. at postea hoc reuocatum est, contra Christianos. de hære. in 6 vbi Gloss. notat, horum filios habere eandem poenā cum filijs Hæreticorum, & Fely. cap. vergentis, extra de hæret. Ad uerte etiam, hanc irregularitatem esse etiam ex delicto: nam propter crimen parentum filij puniuntur, factique sunt irregulares & inhabiles, nō alia de causa, quam propter delictum illorum. Nec est similis ratio in illegitimis, hi enim non sunt irregulares ex delicto parentum immediate, sed quia non sunt ex legitimo matrimonio, ideo censentur irregulares ex defectu: ac filij Hæreticorum, & cæterorum nominatorum, propter crimen parentum immediate facti sunt inhabiles, & irregulares, ideo, etiam si nati sint ante crimen parentum, sunt irregulares, ut statim dicemus.

Quarto, non tantum eorundem prædictorum filij, sed etiam nepotes per lineam paternam sunt irregulares, cap. statutum, de hæret. vbi Gloss. & Rebuff. in praxi. de modis amitt. benef. num. 26. explicant lineam maternam, & paternam sic, quando pater est Hæreticus, vel fautor, vel aliquis nominatorum,

tunc filij, & filiorum filij sunt irregulares, non autem filij
rum. quando autem mater est hæretica, vel faulrix, vel
ex prædictis, filij tantum sunt irregulares, non autem filij
liorum.

Quintò, non tantum filij legitimi comprehensifuerunt
pœna, sed etiam quocumque modo illegitimi, siue naturali
siue spurij, siue manzares, & qualescumque sint. ita Glossa
statutum, de hæret. & ibidem Ioan. Andr. quando certum
esse verè illorū filios; filij enim nomine, etiam illegitimi
prehenduntur.

Sextò, non quoruncumque Hæreticorum, fautorum
filij sunt irregulares, sed eorū, quos tales esse de factò, aut
de vita recessisse probatur; si enim emendati sunt, & per
siam incorporari, facta pœnitentia, aut eam subire
tunc ipsi quidem manent irregulares propter crimen
missum, donec cum eis dispensetur, tamen eorum filij, & ne
potes non sunt irregulares. ita habetur c. statutum, citato
filij, aut nepotes indigent aliqua dispensatione. post parentum
prædictam emendationem.

Septimò, filij relapsorum pœnitentium, & propter relap
sum punitorum, & morte damnatorum non censentur
irregulares. ita habet Glo. c. statutum. tit. relapsi. quãuis Ioan. Andr.
teneat contrarium, tamen Glossæ opinio est probabilior, & se
xtui conformior; illi enim non recesserunt e vita impœnit
tes, hæretici, aut credentes, &c. nec damnantur propter hanc
sim, sed propter relapsum.

Octauò, filij hæreticorum, & cæterorum nominatorum
ante parentum crimen, ordines aliquos susceperunt, non
penduntur in susceptis, sed possunt ministrare ad suscipiendos
vero sunt inhabiles post crimen illorum. ita habet Glossa
satis peruersum d. 36. communiter recepta.

Nondò, pari ratione nō priuantur beueficijs habitis ante
men parentum; sed ad suscipienda sunt inhabiles post crim
eorum. ita habet prædicta Glossa & Panorm. c. vergentis
hæret. & est communis opinio: sunt tamen ipso iure priuati
habitis post illorum crimen etiam ignoranter. similiter etiam
sunt suspensi in susceptis post crimen illorum ordines
quamuis ignorantia, dum durat, excuset eos à peccato; cum
tamen sciuerint, nec administrare, nec beneficia retinere pos
sunt.

Decimò

Decimo, non potest Episcopus dispensare super hanc irregularitatem, quia procedit ex delicto, a quo non potest absolueri, & cui prohibita est absolutio, censetur prohibita dispensatio; cui enim prohibetur minus, prohibetur maius, c. cum illorum, de sent. excomm. Hodie tamen in foro interiori quando delictum est occultum, potest, & absolvere, & dispensare per Concil. Trid. sess. 24. c. 6.

De irregularitatibus ex delicto circa baptismi sacramentum.

CAPVT LXIV.

Circa baptismi sacramentum occurrunt quaedam irregularitates ex delicto, pro quarum explicatione nonnulla sunt adnotanda.

Primo, qui scienter bis, aut pluries baptismum suscepit est irregularis ex delicto, can. eos, quos, de consecr. d. 4. nec ad clericatum admittuntur, can. confirmandum d. 50. cum ijs solus Papa dispensat, Anton. 3. p. tit. 28. c. 6. §. 3. Episcopus autem ex concessione Concil. Triden. sess. 24. cap. 6. dispensat, quando est crimen occultum, etiam ante Concil. secundum Scotum. 4. d. 6. q. 8.

Secundo, etiam rebaptizati ignoranter sunt irregulares, can. qui bis, de consecr. d. 4. Est tamen controuersia inter Doct. in hoc dicto, ut constat ex Gloss. & Arch. ibi. quidam enim existimant, quo modocumque ignoret etiam si sit ignorantia probabilis, & inuincibilis, esse irregularem, pro qua opinione faciunt verba canonis, quæ talia sunt. Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum canones ordinari non possunt. in hanc sententiam inclinant Archid. & Gloss. & Anton. loco citato. addunt Archid. & Antonin. in hoc casu posse Episcopum dispensare. Alij tenent, quando ignorantia est improbabilis, seu crassa, esse irregularem; sed tamen si est probabilis & inuincibilis, quia facta diligentia non inuenit se esse baptizatum. in hac opinione est Scotus. 4. sen. d. 6. q. 8. & Landul. eum sequens citatus a Turrecr. can. qui bis. & Nau. in summ. c. 27. num. 246. loquimur autem de ignorantia facti: nam iuris ignorantia in hoc casu non excusat, ut ibi notat Scotus: nam quilibet adultus baptizatus

tenetur scire, baptismum semel tantum suscipiendum
 puto ergo probabiliter dici posse cum secunda opinio
 nempe qui ignorantia probabili ignorabat se esse baptizatum
 non esse irregularem, sed quando est ignorantia crassa, quæ
 cum peccato, & hoc etiam sequitur Silu. ver. irregularitas
 facit pro hoc can. solemnitates i. de consecrat. d. 1. non
 monstratur reiteratum, quod nescitur esse factum, & ca.
 multa. de conse. dist. 4. quod etiam procedit in rebaptizati-
 bis ex ignorantia probabili, vt dicemus statim; nihil enim
 contrahitur ex hoc. verba autem canonis, quæ omnibus appo-
 runt difficultatem, sic sunt intelligenda. non inquit rebaptizari
 pœnitere publica pœnitentia, quæ nõ datur pro quolibet delicto,
 sed pro certis grauib; & enormibus: iste autem, qui ignorantia
 crassa bis baptizatus est, peccauit, & est irregularis, non ita
 grauius, vt publice debeat pœnitere. & per hanc
 declarationem non est opus venire in eam responsionem
 nempe illum canonem non habere auctoritatem, quia est
 iusdã Episcopi.

Tertio, reconfirmatus, & reordinatus etiam scienter, si
 quis peccet grauius, irregularis nõ efficitur. in hoc dicto
 est controuersia: nam Archid. can. qui bis, de consecr. d. 4. e-
 dem putat rationem de his tribus sacramentis, quia longè
 imprimunt characterem. idem Anton. 3. p. tit. 28. c. 6. §. 3. & 4.
 uar. loco citato. facit pro ea opinione can. sicut d. 68. vbi
 dicitur, quod nemo debet reordinari, sicut nec rebaptizari, & co-
 dictum. de consecr. d. 4. vbi etiam habetur, neminem debet
 reconfirmari, sicut nec rebaptizari: tamen his non obstantibus
 contrarium tenent Scot. 4. d. 6. q. 8. & Turrecr. can. dicitur
 allegato, & Tabien. ver. irregularitas 4. §. 7. & hoc veritas
 nam non est inducenda irregularitas, quæ non fit iure expre-
 sa, vt sæpe dictum est, & omnes admittunt ex c. is qui. de
 excom. in 6. talis autem irregularitas non habetur expresse
 iure, nisi in solo baptismo. canones autem allegati solum
 prohibent, ne quis reordineur, nec reconfirmetur, tamen nõ
 ponunt eandem irregularitatis pœnam, quæ est in rebaptiza-
 to. Nec est eadem ratio: nam baptismus est ianua, per quam
 intratur in Ecclesiam, & homo fit Christianus.

Quarto, qui bis confert baptismum est etiam irregularis
 sicut & bis baptizatus. hoc communiter Doctores tenent. c. 2.
 de aposta. nec est alius canon, quo ea irregularitas probetur
 nam quos allegat Gloss. ad quam Doct. se remittunt, non con-

tinent nisi solam prohibitionem, ne quis baptismum reiteret: cap. autem allegatum de apost. expresse non loquitur, nisi de acolitho, qui ministravit scienter bis baptizanti presbytero: quo casu respondet Papa, si crimen est publicum, ne ad maiores promoveatur; si verò occultum, permittatur promoueri absque vlla dispensatione, vt notat Innocen. c. ex tenore. de temp. ordin. & id ipsum verbum verba capituli indicant, sicque interpretatur Anchar. cum alijs. de eo autem, qui bis baptizauit, nihil disponitur, nisi argumentum sit à fortiori, quod si is, qui in seruuit illi tali, pœnitentia notatur, multò magis ille, qui baptizauit bis. quod admitto, sed inde non sequitur, nisi quando est publicum delictum, non posse ordinari, aut vti ordinibus; non autem quando est occultum. hoc autem non inducit specialem irregularitatem, sed communis est omni delicto publico, vt paulò post dicemus. Non ergo videtur bis baptizans irregularis esse, nisi quando crimen est notorium; tunc enim ex criminis notorietate est irregularis, quia est graue scelus: at in rebaptizato est vera irregularitas, quia etiam occultus est irregularis. fauet huic, quia nullus est canon expresse faciens irregularem bis baptizantem. sicut est de bis baptizato. fauet etiam, quia Specula. tit. de dispens. in materia irregul. nu. 13. diligenter irregularitates tractans, non loquitur, nisi de rebaptizato. similiter Anto. 3. p. tit. 28. c. 6. §. 3. Fautet etiam, quia non est similis ratio in baptizante, & in baptizato, quia baptizanti non repugnat pluries baptizare: nam pluries confert baptismum diuersis: at baptizato repugnat, quia pluries suscipere non potest. nec ab vno, nec à pluribus. probabilius ergo puro non esse irregularem bis baptizantem, nisi ex criminis notorietate, quod si cum multis velis sentire, nam communiter tenent Doct. bis baptizantem etiam esse irregularem, tunc dic. eum esse irregularem, quando scienter bis baptizat, vel ignoranter ignorantia crassa; secus si ignorantia facti fuit inuincibilis; nõ enim esset irregularis: iuris autè ignorantia non excusat; & sic Anto. Burr. & Anchar. ca. ex litterarum. de apost. dicunt; si tamen bis confirmaret, aut ordinaret, non esset irregularis, vt dictum est de bis ordinato, aut confirmato. dispensat in hoc Papa, nisi quando est occultum crimen.

Quinò, qui baptizaret secundo sub conditione, dicendo, si non est baptizatus, quamuis esset ignorantia crassa, quia potuit scire esse baptizatum, immò etiam si sciret, non esset irregularis, quia verè non dicitur rebaptizare, qui sub conditio-

ne baptizat, nisi posita conditione, & ita tenet Nauar. citato.

Sextò, qui baptizatus est ab Hæreticis in adulta ætate, et si fidelis est irregularis, & nunquam ordinatur, can. qui qualibet. l. q. 7. secus si in ætate infantili ante vsu rationis. q. 4. can. placuit, & can. qui apud. nec in ijs dispensat Episcopus nisi quando occulta sunt.

Postremò oritur quædam irregularitas ex dilatione baptismi, quæ habetur can. l. d. 57. si quis adultus in aegritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet; sed enim illius præsumitur non voluntaria, sed ex necessitate, nisi postea fides illius probabilis fuerit, aut hominum raritas congerit. Gloss. ibi, hanc irregularitatem ex delicto appellatur, sumitur enim qui potuit, & debuit sanus baptizari, & delictum postea vero infirmitate coactus baptismum suscepit, deliquit se. Nec tollitur hæc irregularitas per baptismum, quia committitur in ipso baptismo, & per eum efficitur. hodie parum est in vsu; si tamen casu accideret, esset irregularis qui deliquisset.

De irregularitatibus ex delicto circa ordinum susceptionem.

CAPVT LXV.

Sunt aliæ irregularitates, quæ & in ordinum susceptione, & in susceptorum administratione contrahuntur.

Primo, excommunicatus maiori excommunicatione ordinem aliquem, etiam minorem suscipiens efficitur irregularis. hoc est commune, & habetur c. l. de eo. qui suscipit. & c. cum illorum, de sen. excom. vbi non distinguitur maior, vel minori ordine. Nota autem, si minori tantum excommunicatione ligatus est, quamuis peccet, non efficitur irregularis. Nota etiam, ignorantiam iuris non excusare, neque si sciebat excommunicatum ordinem susipientem incurrere irregularitatem, nec etiam ignorantiam facti, quando est crassa; bene tamen excusat, si est probabilis, arg. ex cap. apostolica, de cler. excommun. susce. ver. interd. ministr. Non dispensat in hac irregularitate Episcopus, sed solus Papa, Gloss. l. de eo. qui suscipit. nisi quando ingreditur religionem.

& aliquanto tempore laudabiliter fuerit conuersatus. hodie tamen per Concil. Trid. dispensat Episcopus, quando occultū est crimen. Eadem est ratio de suspenso ab ordinum susceptione, aut interdicto simpliciter, aut ab ordinum susceptione hic, si ordines suscipiat, fit irregularis. hoc est commune, & habet Silu. ver. irregularitas §. 2. dico (suspenso ab ordinum susceptione, vel interdicto) quia si est suspensus tantum à beneficio, non fit irregularis, si ordines suscipiat, vt inferius dicemus de eo, qui ministrat in ordine.

Secundò, qui suscipit ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatu, irregularis est, nec ministrat in susceptis, nec ascendit ad vltiores ante dispensationem, c. 1. de ordi. ab Episc. qui renunc. Episcop. in cuius declarationem aduerte aliqua ex eodem c. desumpta.

Primò, si Episcopus loco tantum, & non dignitati renunciauit rogatus ab Episcopo aliquo, potest conferre ordines minores, & maiores, nec qui suscipit, irregularis est.

Secundò, si vero renunciauit loco, & dignitati, potest etiam non rogatus ab Episcopo minores conferre, nec qui suscipit, irregularis est, sed potest eos exercere, & ad vltiores promoueri, ac si ab eo suscepisset, qui non renunciauit. Hoc intellige, quando habet licentiam Episcopi proprii, seu dimissorias, hoc enim supponimus: qui enim sine dimissorijs ordinatur, suspensus est, vt superius diximus, & si ordinem exercet, irregularis.

Tertiò, maiores nullo modo conferre potest, & si quis suscipit scienter ab eo manet irregularis, nec potest exercere, nec ad vltiores progredi, nisi per dispensationem, etiam si ordinatus habuerit dimissorias proprii Episcopi.

Quartò, in hoc casu non potest Episcopus dispensare, sed solus Papa.

Quintò, qui ignoranter suscipit ab eo ordines maiores, ignorantia crassa & supina, est etiam irregularis, cum quo solus Papa dispensat, & ignorantia crassa in hoc casu æquiparatur scientiæ. Post Concil. vero Trid. Episcopus dispensat. quando delictum est occultum, vt sæpè diximus.

Sextò, si verò ignorantia fuit probabilis, adhuc est irregularis, si maiores ab eo suscipit; potest tamen Episcopus dispensare, in hoc vltimo est controuersia: nam quidam dicunt, quādo est probabilis ignorantia, non contrahi irregularitatem,

sed quando est crassa. At Gloss. & Panor. ibi, dicunt etiam contrahi irregularitatem, quando est ignorantia probabilis, & dem Innoc. & Host. & textus id significat: nam dicitur, quando ignoranter suscipit, Episcopum posse dispensare, nisi sit crassa ignorantia, ergo necesse est, eam ignorantiam, in qua Episcopus dispensat, esse probabilem, alias nullo casu dispensat Episcopus, si per ignorantiam probabilem non contrahitur irregularitas hæc. Obijcies, quomodo, si nulla est culpa suscipientis, nam per ignorantiam probabilem excusatur a culpa, potest contrahere hanc irregularitatem vera responsio est Innoc. quod contrahitur propter culpam conferentis: in vituperium enim, & opprobrium ipsius, qui suscipit ab eo ordines, non potest susceptor exequi, nec uti eis, & hoc fieri solet, ut constat can. neminem d. 70. Unde in hoc casu est irregularitas ex alieno delicto. ratio autem Gloss. quam probat Panor. quia nemo dat quod non habet; Episcopus autem ille non habens executionem ordinum, non potuit conferre, nullus est momenti: nam ea ratio probaret, nec minores posse conferre. Rursus non est vera: nam excommunicatus Episcopus non habet executionem, & tamen non omnis, qui suscipit ab excommunicato, non habet executionem, ut statim dicemus. Rursus non euacuat difficultatem, quia non videtur quomodo hæc irregularitas esset ex delicto. verius est quod diximus ex Innoc. quamuis etiam ipse Innoc. multa alia dicat.

Septimò, quidam antiqui Doct. hunc non irregularem, sed suspensum appellarunt, ut constat ex Hosti. Panor. in eodem c. de Specul. tit. de dispen. inter irregularitates numerat, & hoc summistæ sequuntur, tamen quia idem est effectus in hac parte suspensionis, & irregularitatis, placuit cum multis sententis, & loqui.

Tertiò, qui ab Episcopo excommunicato suscipit ordines, irregularis est, etiam si ignoranter acceperit, puta nesciens excommunicatum, c. cum clericis, de ord. ab Episcop. qui renunt. Episcop. intellige de ignorantia crassa; si enim est probabilis excusat, nec est irregularis, ut constat ex can. ordinationes, s. d. i. dispensat autè Episcopus cum ignoranter ordinato, ut habeatur eodem cap. cum clericis. tamen si scienter acceperit ordines à tali, solus Papa dispensat, ut ibi Gloss. dicit, & ex ipso textu deducitur. Post Concil. Trident. etiam Episcopus dispensat, quando est occultum delictum. eadem est ratio de suspensio ab ordinum collatione, & interdicto, hæretico, scismatico,

simoniaco, deposito, & degradato, secundum omnes. Attende autem, post concessionem Concil. Constant. de vitandis excommunicatis, esse hoc iam restrictum, vti diximus in materia de excommunicatione, nempe non de quocumque excommunicato, suspenso, aut interdicto procedere, nisi quando est publicus percussor clerici, aut nominatim excommunicatus, interdictus, vel suspensus post denunciationem; vnde qui ab alijs excommunicatis, suspensis, vel interdictis ordines suscipit, non per hoc fit irregularis. Attende rursus, quod dicimus de excommunicato, suspenso ab ordinum collatione, aut interdicto, cum eadem limitatione intellige de Hæretico, schismatico, & simoniaco cum Sil. ver. irregularitas. §. 9. quando sunt denunciati excommunicati. Qui ergo ab ijs ordines scienter, aut ignoranter crassa ignorantia suscipiunt, characterem quidem recipiunt. i. q. i. can. gratiam, sed non executionem, quod limitat Hostien. quem sequitur Tabie. ver. irregularitas, §. 8. quando metu cadente in virum constantem cogitur à rabilibus suscipere ordines. Adde tu, nisi in religionis contemptum id fieret, tunc enim nullus metus excusaret.

Quartò, qui suscipit ordines minores cum Subdiaconatu vno die, est irregularis; dispensat autem Episcopus, vt in minoribus ministret, cap. 2. de eo. qui sur. ordi. suscep. dum modo non fuerit sub excommunicatione præmonitum, ne quis accederet, qui eo die minores acceperit, tunc enim Papa solus dispensat, vt ibi habet Gloss. iam vero post Concil. Trident. dispensat Episcopus, si est occultum delictum; nec excusat ab irregularitate consuetudo patriæ suscipiendi minores simul cum Subdiaconatu, vt vult Anton. 3. p. tit. 14. c. 16. §. 16. iam enim per Concil. Trident. ablata est talis consuetudo: si verò duos factos suscipit, simul est irregularis, cum quo solus Papa dispensat, quando præmonitum est sub excommunicatione, ne quis se accedat ad duos suscipiendos, cap. 3. de eo, qui sur. ordi. suscep. quod intellige, quando est publicum delictum; si verò occultum, etiam Episcopus, per Concil. Trident. & etiamsi non sit occultum, quando non præcessit inhibitio sub excommunicatione; posset enim etiam Episcopus dispensare: nam caput prohibet dispensationem sub ea conditione.

De irregularitatibus in ordinis ministerio.

CAPVT LX.

Multipliciter contingit fieri irregularem ex indebito ordinum ministerio.

Primo quidem, qui exercet actum ordinis, quem non habet, est irregularis; vt, qui baptizat solemniter, qui dicit confessiones, aut missam celebrat, cum non sit sacerdos; hæc enim tria propria sunt sacerdoti, qui etiam Euangelium in Missa canere, cum non sit diaconus, aut Epistolam, cum non sit subdiaconus, aut ordines tentat conferre, cum non sit Episcopus; denique actum ordini deputatum exercens, cum non sit tali ordine insignitus, est irregularis, cap. 1. de cler. non ordi. ministr. Hæc Doctores limitant, quando actus exercetur solemniter, tamquam si ordinem haberet: nam si cantat Epistolam in choro, aut in altari sine manipulo, non est irregularis, cap. vt quisque presbyter. de vit. & honest. cleri. quia non facit talem actum, quasi ex ordine; solent enim laici, aut in minoribus constituti id facere. ita habet Panor. cap. 1. de cler. non ordi. ministr. vbi autem cum manipulo cantaret, esset irregularis, nec est audiendus Nauar. cap. 27. num. 242. qui citat Anon. 3. p. titul. 28. cap. 1. § 1. quasi dicat, qui cum manipulo cantat non esse irregularem, vbi est consuetudo, cum potius dicat contrarium, nempe esse irregularem, si cum manipulo dicat, vel etiam si sine manipulo in altari, vbi non est consuetudo, & sic à Siluest. etiam refertur, & probatur, ver. irregularitas. § 14. quod verum purg. quantum ad illud, si cum manipulo canter, quia tunc est actus ordinis; non tamen quantum ad illud, si canter sine manipulo, vbi non est consuetudo; potest enim nunquam esse irregularem, si sine manipulo dicat, etiam vbi non est consuetudo, quia non est hic actus ordinis, quamuis peccaret. Similiter qui baptizaret, vt laici solent in necessitate facere, quamuis non esset necessitas, non esset irregularis, quamuis peccaret extra necessitatis casum id faciendo: at celebrare confessiones audire, aut ordinare, nunquam fiunt, nisi solemniter; vnde qui aliquid horum faceret, esset irregularis, nisi ludo, aut ioco id faceret, & non serio, qui peccaret, tamen non esset irregularis. limitat etiam S. Tho. 4. sent. d. 34. in maioribus, quia in minoribus consuetudo obtinet, etiam non ordinatis fieri. idem Silu. v. irregularitas. § 14. quod in-

telligit

tellige quando non faceret id, tanquam ordinatus tali ordine, quod maxime contingeret, ubi est consuetudo, ut illi actus exerceantur per promotos; alias enim etiam minorum actum exerceat irregularis, ut rectè contra quosdam dixit Panorm. cap. 2. de cler. excom. ministr. nu. 10. non solum autem hic est irregularis, ut ad ordines nequeat promoueri, sed in ordine, quem vere habet, suspensus manet ad tempus arbitrio Episcopi, ut habetur cap. 2. de cler. non ordi. ministr. nec dispensat Episcopus, ut notat Panorm. eod. cap. 2. & Anton. 3. p. tit. 28. cap. 1. nisi ad beneficium, quod habetur eod. cap. & hoc cum ordinato in sacris, ne cogatur mendicare, cum nequeat ad seculum redire. at per Concil. Triden. iam dispensat Episcopus, quando crimen est occultum. Siue est. ver. irregularitas, §. 14. limitat, quando aliquis in ordinatione suscepit quidè necessaria, quantum ad substantiam, tamen defuit aliquid, quod supplendum est, prius quam ministret, tunc, si exercet ordinem, peccat, tamen irregularis non efficitur, quia iure ordinem habet.

Secundò, excommunicatus maiori excommunicatione, etiam si ordinem habeat, celebrans, aut ordinis actum modo prædicto exercens, est irregularis, ita Doctores notant cap. 2. de cler. excom. interd. ministran. Hostien. Ioan. And. & Panorm. circa quod aliqua sunt notanda.

Primò, excommunicatus minori excommunicatione celebrans, non incurrit irregularitatem, ut habetur cap. si celebrat. eod. tit. quamvis peccet: idem est, si alium actum ordinis exerceat.

Secundò, si ignorans probabiliter se esse excommunicatum, ministravit, non est irregularis; secus verò, si ignorantia fuit crassa, ut habetur cap. Apostolicæ. eod. titu. hic enim non eua-deret irregularitatem.

Tertio, non solum, si celebrat in excommunicatione, est irregularis, sed si faciat actum ordini deputatum, etiam actum minoris ordinis, ut dicit Panorm. cap. si quis presbyter. eodem tit. quod intellige, quando facit tanquam ordinatus, ut supra diximus.

Quartò, non efficitur irregularis, si dicat horas canonicas, immo tenetur eas dicere, ut dicit ibidem Panorm. debet autem dicere horas, tanquam priuata persona, & sine Dominus vobiscum, ut ibi notat Panorm. §. & domi suæ, quod si in Ecclesia diceret: publicè in choro, Panorm. cap. 3. de cler. excomm. ministr. putat esse irregularem, sed non id probò: nam in choro

solent

solent laici etiam cantare horas, id tamen locum haberet, quando diceret eas, tanquam hebdomadarius, aut dicendo capitulum, & orationem, quod est proprium sacerdotum, ut notat Silu. ver. irregularitas, §. 15.

Quintò, non incurritur irregularitas per hoc, quod factus, qui non sunt ordinis, sed iurisdictionis, ut si visitet, puniat, excommunicet, beneficia conferat, & hoc est secundum omnes.

Sextò, non efficitur irregularis per hoc, quod audit missam, aut recipit sacramenta, quamvis peccet ingerendo se communioni fidelium, à qua excommunicatus priuatur. Hoc tamen in loco est adnotandum, aliquos Doctores affirmasse, Episcopum incidere in irregularitatem, qui excommunicatus existens, etiam si non celebret, facit sibi, & coram se celebrare et auctoritate, & non tantum audiendo sacrum, ut alij communiter audiunt, tunc enim irregularis non esset; tamen auctorizando, ut dicunt, & faciendo coram se celebrare alios, fit irregularis. ita habet Gloss. Clem. 2. de priuileg. & excel. prælati. ver. etiam celebrare, & Panorm. cap. illud de cler. excom. celebran. immo Hostien. eodem cap. affirmat esse irregularem, etiam audiendo sacrum; inter Summistas Silu. ver. irregularitas, §. 15. tenet esse irregularem, si audiat auctorizando, aut similiter coram se celebrari faciat diuina officia, dicitque omnes penne Doctores ita sentire. Nauar. autem cap. 27. num. 244. extendit ad laicos excommunicatos, qui coram se etiam celebrare faciunt, cum sint excommunicati; quod additamentum est præter communem, immo puto contra communem opinionem; omnes enim loquuntur in Prælato, qui auctorizando, ut dicunt, celebrari facit diuina; videtur enim actum ordinis exercere: sed quidquid sit, non existimo esse veram opinionem, nec sequendam; nititur enim debili fundamento, nempe cap. illud. de cler. excomm. ministr. ubi prælati arguuntur, quod celebrari sibi diuina fecerit, quod fateor esse dignum reprehensione, & pœna, quia ingressit se communioni fidelium, cum esset excommunicatus; tamen non habetur, quod fit irregularis. habemus autem non esse admittendam irregularitatem, nisi quæ sit iure expressa. hæc autem non est, si enim ex peccato colligamus irregularitatem, multiplicabuntur infinitæ, quas nemo admittit: ideo non probo hanc opinionem. Adde hunc actum non esse ordinis, sed iurisdictionis, propter quam non incurritur irregularitas. Quantum ad dispensationem

nem irregularitatis huius, quia excommunicatus celebravit, aut actum ordinis exercuit, communis est opinio, ad solum Papam pertinere: nam ut paulò post dicemus, eadem est huius ratio, & illius, quæ provenit, quando suspensus, aut interdictus celebravit, quæ solius est Pape, cap. 1. de sen. excom. in 6. & cap. 1. de sen. & re iudi. in 6. & ita expresse affirmant Gloss. can. presbyteros, d. 50. ver. penes, & Panorm. cap. 3. de cler. excomm. celebr. & Archidi. can. si quis Episcopus 11. q. 5. quando vero occurrat est crimen, potest per Concil. Trident. Episcopus dispensare.

Tertio, non tantum excommunicatus maiori, ut diximus, sed etiam suspensus maiori suspensione ab officio, celebrans, aut actum ordinis exercens, fit irregularis à solo Papa dispensabilis, cap. 1. de sen. excom. in 6. & cap. 1. de sen. & re iudi. in 6. etiam si ignoranter, dummodo sit ignorantia crassa, ut etiam dictum est de irregularitate, excommunicati celebrantis, quæ etiam minori suspensione suspensus non contrahit, ut dicit Panorm. cap. si celebrat. de cler. excom. ministr. quod dicimus de suspensio, intellige de deposito, & degradato; sunt enim quædam suspensiones maiores. Sunt autem quædam adnotanda.

Primo, qui suspensus est à beneficio tantum, & non ab officio, non contrahit irregularitatem ministrando actum ordinis, quia ordo ad officium pertinet, in quo non est suspensus. ita habet Panormitan. cap. nisi cum pridem, de renun. num. 19. & Gloss. cap. latores, de cler. excomm. ministr. ver. ab officio.

Secundo, qui à Confessarijs aliquibus de causis iustis suspenduntur ad tempus, ne celebrent, non fiunt irregulares, si celebrent, quamvis peccent, ita habet Innocen. cap. si celebrat. de cleric. excomm. ministr. & Archidi. can. si quis Episcopus. 15. q. 3. & Silu. ver. irregularitas. notab. 27. & ratio est, quia ista suspensio non est censura: hanc enim simplex Confessarius non habens iurisdictionem inferre non potest: non est autem expressum iure per suspensionem, quæ non est censura, induci irregularitatem: hæc de causa suspensiones, quæ non in foro contentioso, sed pœnitentia imponuntur, non sunt censura, sed quædam prohibitiones; ideo, etiam si contra eas agatur, non inducitur irregularitas, ut dicit Anto. Burr. cap. si celebrat. num. 12. de cler. excom. ministr. sicut nec inducitur ex suspensione, quam vocant à Deo, quæ est ex quovis mortali;

tali;

tali; quamuis enim peccet qui in mortali celebrat, non tamen est irregularis; quia huiusmodi suspensiones non sunt censure, nec propriae suspensiones, sed prohibitiones quaedam: illae autem sunt à canone, vel à iudice in foro contentioso.

Est praeterea notanda doctrina multum agitata inter Doctores, in cap. si celebrat. de cler. excomm. ministr. quam Innocen. Panorm. Butri. & alij ibi, & Archid. can. Apostolica. d. 56. tradunt: suspensionem enim maiorem, quae à canone, vel ab homine iniungitur, & ordinis executione priuat, triplicem distinguunt, quaedam enim propter crimen infligitur, quaedam propter defectum, qualis est in illegitimo, aut corporis vitium patiente, quaedam propter infamiam, vel scandalum, quae est ex notorietate delicti. Quo supposito respondent tria. Vnum est, suspensus propter crimen, siue ad tempus, siue perpetuo, celebrans, aut in ordine ministrans, fit irregularis: quod dictum quidam limitant, dicentes, quando est suspensus cum conditione, aut limitatione, nempe donec satisfaciat, aut donec poeniteat, si celebret ante impletam conditionem, non fit irregularis, & hoc habuit Innocen. loco citato. quidam dixerunt esse irregularem, vt idemmet Innocen. qui fuit varius in hoc, vt notat Butri. Ioann. Calde. verò citatus à Butrio, distinguebat; si enim est suspensus, donec satisfaciat, fit irregularis, quia qui sic suspensus est, indiget absolutione, etiam facta satisfactione: qui verò suspensus est, donec poeniteat, non indiget absolutione, sed facta poenitentia manet liber, ideo si hic celebret, vel ministret ante poenitentiam, non fit irregularis, quam distinctionem secutus est Silu. ver. irregularitas. notab. 27. sed merito rejicitur à Butrio, quia nihil ad rem facit, quod impleta conditione indigeat absolutione vel non, dummodo sit vere suspensus à canone, vel ab homine propter crimen, & ipse tunc celebret suspensus existens; hinc enim manat irregularitas, & hoc est verum & iuridicum: ideo Panor. eod. cap. si celebrat. indistincte tenuit, si est suspensus à iure, vel ab homine maiori suspensione propter delictum, esse irregularem, si suspensus minister in ordine.

Alterum horum Doctorum dictum est, si quis est suspensus propter defectum, non fit irregularis, si celebret, aut ministret, sed peccat: vnde illegitimus, aut vitiosus corpore celebrans, non fit irregularis. hoc dictum verum est, tamen improprie est, & confusus loquendi modus: nam huiusmodi defectum patientes sunt irregulares, & non suspensi, nisi large sumpra

suspens-

suspensione: nam etiam excommunicati, & interdicti possunt sic dici suspensi, quia ab officij executione sunt impediti. sic etiam omnis irregularitas est suspensio: at verò si loquamur de propria suspensione, quæ est distincta censura à prædictis, & distinguitur ab irregularitate, quæ non est censura, tunc illegitimi, & vitiosi corpore non sunt suspensi, sed irregulares; id eo celebrantes non contrahunt aliam irregularitatem, quia irregularis celebrans aut ministrans, peccat, sed non fit de nouo irregularis. Suspensio autem, quæ inducit irregularitatem, est verè censura distincta ab alijs prædictis, vnde si quis est irregularis, etiam propter crimen, si non aliam habet suspensionem, quam eam, quæ generalis est, non incurrit nouam irregularitatem, sicut manifestè probatur: nam qui excommunicatus est, & celebrat, est irregularis propter crimen, tamen si iterum celebrat non contrahit nouam aliam irregularitatem. Simili modo puto dicendum de homicida simplici, est quidè irregularis, non autem suspensus censura suspensionis, ideo celebrans non contrahit aliam irregularitatem; secus si esset simul homicida & excommunicatus, quia occidit clericum, tunc esset de nouo irregularis celebrans, quia excommunicatus celebravit. Doctores ergo confuse loquuntur, & obscurant materiam hanc, cum non sit opus hac distinctione, sed loqui oportet simpliciter de suspensione, quæ verè est censura ab alijs distincta, quæ semper propter crimen imponitur, siue à iure, siue ab homine. sic simoniacus in ordine est suspensus, & si celebrat, irregularis: sic multi alij, de quibus supra diximus.

Tertium dictum illorum est, si quis est suspensus propter infamiam, aut scandalum, quæ procedunt ex criminis notorietate, celebrantes non fiunt irregulares, quod dictum etiam cõfutum est, quamuis verum: nam tales non sunt suspensi, sed irregulares, vt paulò post dicemus, & ideo non contrahunt nouam irregularitatem, nisi esset aliquod crimen tale, quod inducit suspensionem vltra irregularitatem ex notorietate, qualis est publicus cõcubinarius, de quo diximus superius, aut simoniacus in ordine, aut alius huiusmodi, tamen si crimen non habet aliud, quam quod prouenit ex notorietate, ex qua infamia vel scandalum oritur, non inducit irregularitatem, si quis celebret, quia is irregularis est, & non proprie suspensus. Et hæc sunt notanda pro intelligentia Doctorum multorum, & pro resolutione veritatis.

Quartò,

Quartò, quod dictum est de excommunicato, & suspendo ab officio, idem dicendum est de interdicto: interdictus personaliter celebrans, aut actum ordinis exercens, fit irregularis à solo Papa dispensabilis; eadem enim est ratio horum trium secundum omnes Doctores. Sunt tamen duo peculiariter interdicto; Vnum est, si quis etiam non personaliter interdictus, in loco tamen interdicto scienter celebrat, fit irregularis à solo Papa dispensabilis, nisi ex priuilegio, vel a iurisdictione concessum in tali loco celebrare; ita habetur cap. is qui de sen. excomm. in 6. Alterum est, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, celebrans in ea fit irregularis, cap. is cui de sen. excomm. in 6, quod si hic extra Ecclesiam celebraret, nempe in oratorio domi, vel alibi, quia habet altare portatile, dummodo in Ecclesia non celebraret, non esset irregularis, nec peccaret, vt tenet Gloss. in eodem cap. is cui. Non etiam fit irregularis, si in Ecclesia polluta tantum celebrat, aut ministret, ut habent Panorm. cap. tuarum, de priuileg. & ibidem Butri. qui addit, si Episcopus ultra pollutionem addit nouum vinculum interdicti supra iuris prohibitionem, quia interdictum, non esset irregularis celebrans in ea, ratione interdicti: si vero simplicem adhibet prohibitionem, & interdictum, non intendit aliud, quam obseruariam prohibitionis iuris, tunc non esset irregularis celebrans in ea. & hic est casus illius cap. tuarum, semper tamen peccaret, qui celebraret in ea, & esset suspendendus.

*De irregularitate ex delicto in scientia discenda,
vel docenda.*

CAPVT LXVII.

EST alia irregularitas ex delicto, que habetur c. non in opere. adiuncto cap. super Specula. ne cleri. vel monachi regulares enim professi, qui extra claustra egreduntur ad legendas, vel audiendas leges, aut Physicam, scilicet medicinam, si intra duos menses ab egressu non fuerint ad claustra reuersi præter excommunicationem, de qua supra diximus, promoueri non possunt, nec per alium, quam per Papam sunt dispensabiles, nisi fuerit occultum crimen; tunc enim Episcopus per Concil. Trident. dispensat. Aduerte ex Panorm. in cap.

cap. non magnopere allegato, vtrumque requiri ad contrahendam hanc poenam, nempe egressus e claustro, & hac de causa factus; si enim intra claustrum existens audiat, aut legat predictas scientias prohibitas, peccat quidem, tamen non incurrit in hanc poenam. Similiter si alia de causa honesta egressus, audit, aut legit has scientias, non contrahit poenam, debet enim vtrumque simul conuenire, & vltra hoc spatium duorum mensium, intra quod audiens, vel legens peccat, sed non incidit in hanc poenam. Plura diximus in materia excommunicationis, hoc solum attende, prohibitionem factam in cap. non magnopere contra regulares, extensam fuisse cap. super Specula ad Archidiaconos, plebanos, prepositos, cantores, & alios clericos personatum habentes, & presbyteros, qui nisi intra idem duorum mensium spatium desisterint, poenam iam contrahunt, non solum excommunicationem, sed etiam irregularitatem, quod nempe spe promotionis careant, si promou non sunt, & hanc interpretationem tutiorem esse Glossa ibi notat.

De irregularitate ex criminis notorietate.

CAPVT LXVIII.

ORitur etiam irregularitas ex criminis notorietate; crimen enim notorium etiam post poenitentiam hominem facit irregularem, indigetque dispensatione. In huius explicationem aduerte ex Anton. de Butrio cap. extenore de tempor. ordi. nn. 5. & alijs Doctoribus in eodem cap. at si clerici de iudi. crimina quaedam esse mediocria, quaedam enormia; mediocria sunt quaecumque peccata mortalia, enormia vero, quae faciunt hominem digni depositione, aut degradatione, maxime accedente incorrigibilitate, vt homicidium, periurium, adulterium, stuprum, sacrilegium, furum, falsum testimonium, haeresis, simonia, peccatum nefandum, & cetera, quae iure puniuntur tali poena, de quibus vide Panorm. cap. at si clerici de iudic. Aduerte rursus ex Panorm. & Gloss. cap. vestra de cohabi. cleric. & muli. vbi copiose de hoc agunt, ex quib. aliqua breuiter deducam, adiunctis paucis. Notorium est duplex, vnum iuris, alterum facti. Notorium iuris triplex est, primum quod constat ex spontanea confessione facta in iudicio coram iudice competenti; qui enim in iudicio

Q pro-

proprium crimen sponte confitetur, illud facit notorium iam si non sit sententia lata contra eum.

Secundum est notorium ex clara probatione, & indubitata.

Tertium est ex sententia, quæ reuocari non potest.

Crimen ergo notorium fit notorietate iuris, quod constat ex propria, & spontanea confessione in iudicio, vel ex indubitata, & clara probatione, vel ex sententia vltima & irrevocabili. Notorium facti est, quando est clara locutio ex euidencia facti proueniens, quod aliqua tergiversatione celari non potest; differt enim à famoso: famosum enim est quod communiter circumfertur, sed ex euidencia facti, aut certo auctore procedit, vnde probari non potest: notorium verò ex sententia, ex auctore certo est, probarique potest. publicum verò commune est notorio, & famoso; vtrumque enim dicitur publicum, & constat ex cap. tua nos de cohabi. cler. & muli. dicitur etiam Panorm. a notorio manifestum, quod probari potest, sed non adeo patet ac notorium: ad faciendum autem notorium, dicit necessarium esse, vt constet aut populo, aut maiori parti viciniae, vel vici, dummodo non sint pauciores decem; vnde quinque non faciunt notorium, sed manifestum: immo vbi collegium, vel vicinia continet viginti, sex non sufficiunt facere notorium, sed necessaria est maior pars viciniae. His suppositis, dico mediocria, siue occulta, siue notoria non faciunt hominem irregularem, ita, vt post poenitentiam indigeat dispensatione, nec in hoc est controuersia Doctorum, siue sit notorium notorietate facti, siue iuris. Enormia autem notoria, siue notorietate facti, siue iuris, inducunt irregularitatem, nec est in hoc controuersia; at verò cum non sunt notoria, sed occulta, tunc est controuersia, an inducāt enormem irregularitatem. Hostien. cap. cum ex tenore, de tempo. ordi. & cap. nisi cum pridem, de renunc. quam quidam sequuntur peccatum omne enorme inducere irregularitatem, eum si occultum sit, affirmat, quod verum non est, cum non habetur in iure talis irregularitas; vnde Barri cap. cum ex tenore dicit occultum etiam enorme non inducere irregularitatem, sed sola deleri poenitentia, praeter homicidium, cui adiungit haeresim, & caetera, quae iure exprimentur, vt quando suspensus, vel excommunicatus, aut interdictus celebrat, & denique quando tale est crimen, quod iure irregularitatem inducit: de quibus diximus; & adhuc plura dicemus. Caetera verò occul-

ta etiam

ta etiam grauiſſima, quæ non exprimuntur in iure, ſola pœnitentiã delentur, vt probatur cap. ex tenore. & cap. quæſitum de temp. ordin. & ita Couar. & Nau. affirmarunt de peccato ſodomitico, quod iure non inducit irregularitatẽ. Nau. aut̃ adfert quãdam Bullam Grego. quæ potius videtur loqui in foro exteriori, & contra ſolos clericos, nec in occultis p̃cedit. Aduerſe r̃tus, Nauarum huiusmodi irregularitatem inter eas numeraffe, quæ ſunt ex delicto, cum re vera non ſit, ſed ex defectu; quæ enim irregularitas naſcitur ex delicto, ſemper ex eo ſiue occulto, ſiue manifefto procedit: nam propter delictum poſita eſt: at vero hæc non eſt ex delicto, cum, ſi occultum eſt, non oritur, ſed eſt ex infamia, & ſcandalo, quæ oriuntur ex notorietate delicti: ad iudicandum autem genus irregularitatis, conſiderare oportet id, vnde immediate procedit. Doctrina hæc communis eſt antiquorum: nam Innocen. cap. ſi celebriat. de de. excomm. miniſt. & ibi Panor. & cæteri, & Archidia. can. Apoſtolica. d. 56. expreſſe dixerunt hanc irregularitatem non eſſe propter delictum, ſed propter infamiam, vel ſcandalum, vnde Anton. Bur. cap. ex tenore. de temp. ordin. dicit hæc crimina inducere irregularitatem ex accidenti, nempe ex notorietate. Exiſtimat autem Episcopum cum ijs poſſe poſt pœnitentiã diſpenſare, ſicut ſupra diximus de infamibus, quod probatur cap. at ſi clerici. §. de adulterijs. de iudic.

De irregularitate ex homicidio.

CAPVT LXIX.

Obfcura eſt, & varia de irregularitate, quæ oritur ex homicidio tractatio, quam in vltimum locum ideo diſtuliſimus, quia partim ex defectu, partim ex delicto eſt, ijdemque ſunt ferè caſus, & eadem in vtraq; regulæ. Loquimur autem non de homicidio ſpiritali, quo anima occidi dicitur per peccatum, quia vita ſpiritali gratiæ priuatur, nec etiam de eo, quo occidere dicitur, qui odit, qui detrahit proximo, de quo homicidij genere agitur de pœn. d. i. can. homicidiorum. & can. nolite putare. & multis alijs canonibus; hæc enim homicidia non inducunt irregularitatem, de qua nunc agimus; nos vero tractamus de homicidio corporali, quo homo vita hæc ſenſibili priuatur, quãdo interficitur: nomine autẽ homi-

cidij ad effectum irregularitatis intelligimus semper
 membri mutilatione, vt inferius declarabitur. Hoc ergo
 posito, duo quidem sunt sine vlla controuersia; vnum est,
 omne homicidium cum peccato fieri; aliquando enim licet
 occidere hominem, aliquando etiam non licet 23. q. 8. cas.
 homicidium 23. q. 4. can. illud. multisque canonibus id contra
 iudex enim & ministri eius iuste occidunt, & occidi faciunt
 malefactores, & in bello iusto miles iuste occidit hostem. An-
 ste etiam homo priuata auctoritate occidit hominem. Ergo
 homicidium iustum, & est homicidium iniustum. Al-
 terum est, ex vtroque homicidio oriri irregularitatem; qui
 iuste, & qui iniuste occidit, irregularis est, can. si quis videtur
 d. 50. hęc duo certa sunt, illud autem est controuersum, ad quod
 irregularitatis speciem hęc, quę oritur ex homicidio, sit
 uocanda.

In primis Ioan. Ana. cap. vlt. de homic. tres distinguit ire-
 gularitatis species.

Vnam, quę ex deformitate proprii corporis oritur.

Alteram, quę ex deformitate corporis alieni, vt qui occidit
 mutilat, aut ad hęc consilium, vel auxilium pręstat.

Tertiam, quę est ex culpa, vt quando aliquis suspensus oc-
 lebrat.

Dicit ergo, homicidas repelli ab ordine propter horrorem,
 & scandalum, horror enim est, si ponat manus in sanguine
 Christi, qui effudit sanguinem hominis, iuxta hanc doctrinam
 irregularitas, quę ex homicidio est, siue licito, siue illicito, non
 est ex delicto. Hoc idem senserat Innocen. cap. gaudemus, de
 diuort. vbi dicit, irregularitatem homicidij non esse positam
 propter peccatum, indeque esse, vt tam iustus, quam in iustus
 homicida sit irregularis, cui doctrinę quidam antiqui adhe-
 serunt, eandem rationem irregularitatis in omni homicidio
 ponentes, & ita sentit Henr. Boic. cap. sicut dignum, de homici-
 num. 43. vbi statuit, homicidas ex facto voluntario indistinctum
 esse irregulares, tum propter horrorem, tum quia ordinem
 riguntur ad sacramentum Eucharistię, quod est sacramentum
 pacis: pacti autem maxime contrariatur homicidium, & vide-
 tur hęc sententia. S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 4. ad 4. vbi vtramque
 irregularitatem ad defectum sacramenti reducit.

Alij secundo loco distinguunt has irregularitates, & quę ex
 homicidio illicito oritur, ad irregularitatem ex delicto reuocant;
 quę verò ex licito homicidio est, ad horrorem, & scandalum,

hanc

hanc sententiam fecutus est Panorm. cap. gaudemus, de diuort. & videtur opinio Gloss. marg. 15. q. 1. can. vlt. cum alijs nonnullis. hi non videntur irregularitatem ex licito homicidio inter eas numerare; quæ sunt ex defectu.

Alij tertio loco distinguunt irregularitatem, quæ est ex homicidio iusto, & hanc inter eas, quæ ex defectu sunt, adnumerant; quæ vero ex illicito oritur, inter eas, quæ sunt ex delicto, ita sensit Præpos. can. 1. d. 30. nu. 8. & ca. miror, ead. d. vbi irregularitatem, quæ ex homicidio licito est, appellat ex defectu, & coniungit cum ea, quæ est ex bigamia, nec videtur hoc esse in re contrarium sententiæ præcedenti Panorm. nam per horrorem, & scandalum intellexit defectum, qui est causa horrores; nam corpore vitiatum etiam inducunt horrorem & scandalum; non tamen propterea irregularitas eorum definit esse ex defectu, consonat etiam doctrinæ ipsius cap. nisi cum pridem, de renunc. vbi distinguit irregularitatem in duo genera, nempe in eam, quæ ex defectu, & eam, quæ est ex delicto: cum igitur homicidium licitum non sit delictum, necesse est irregularitatem, quæ inde provenit, esse ex defectu; idque sensisse videntur, quotquot illam bimbrem diuisionem amplexi sunt. Pro huius difficultatis resolutione sit.

Prima propositio, irregularitas ex homicidio illicito, & iniusto dicenda est ex delicto, seu ex peccato, ita affirmant Panorm. cap. gaudemus de diuort. nu. 17. & Hostien. eodem cap. nu. 18. & Præp. can. 1. d. 31. & est multorum aliorum, quæ confirmatur ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. datur enim facultas Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulio provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Ergo quæ oritur ex homicidio voluntario illicito, est ex delicto: nam exceptio fit ab eodem genere.

Secunda propositio irregularitas, quæ oritur ex homicidio licito, dicenda est ex defectu. hæc etiam communis est, nam communis est diuisio in irregularitatem ex delicto, & ex defectu; cum autem hæc non sit ex delicto, consequitur eam esse ex defectu.

Tertia propositio, irregularitas huiusmodi dicenda est ex defectu sacramenti, hæc est. S. Tho. 1. 2. q. 20. ar. 5. ad 4. vbi expresse ad defectum sacramenti irregularitatem iudicis occidentis reducit, & Alex. Alen. 3. p. q. 34. nu. 2. art. 3. pro quo aduerte, Præpositum can. miror, d. 30. quatuor rationes collegisse ex Th. cologis, quibus defectum huius irregularitatis explicat.

Prima est. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 4. & sent. d. 25. q. 2. quod clerici sunt electi ad altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi, qui, cum pateretur, non cominabatur. Debent ergo ministri suum dominum imitari.

Secunda est eiusdem S. Tho. quia clericis committitur ministerium nouæ legis, in qua nulla pœna occisionis aut mutilationis determinatur.

Tertia ex Alex. Alen. 3. p. q. 34. m. 2. ar. 5. ministri nouæ legis debent esse ministri mansuetudinis, & dilectionis, ad alliciendo animos hominum ad bonum.

Quarta ex eodem, ministri nouæ legis sunt ministri sacramenti vnionis, & viuificationis; sacramentum enim altaris significat vnionem Ecclesiæ cum Christo, & viuificat summes, & participantes. Qui ergo occidit, sacramentum vnionis, & viuificationis non repræsentat. Has quatuor rationes colligit Præposit. ex S. Tho. & Alexan. in homicida. Est ergo defectus significationis, mansuetudinis, & sacramenti: omnia autem hæc significantur voce hæc, ex defectu sacramenti, & Alexan. hanc irregularitatem ex defectu sacramenti appellat, & adnumerat cum bigamiæ irregularitate, quæ etiam est ex defectu sacramenti. Quidam ad defectum cuiusdam mansuetudinis reducunt, & hoc videtur conforme cap. interfecti. de homic. vbi huius vocabuli facta est mentio; duos enim latrones ad rei temporalis defensionem occidit quidam monachus, quem irregularem Papa declarat, quia inquit contra mansuetudinem Ecclesiasticam egit. Est ergo homicidij irregularitas ex defectu mansuetudinis, & hoc verum est: sed quia ultra mansuetudinis defectum, habet alios defectus, vti diximus, & omnes includuntur hac voce, sacramenti, ideo cum S. Thom. & Alexan. & alijs vsi sumus hoc nomine. Quod si obicias, homicidium, quod ex delicto est, habere eundem defectum, fateor, tamen habet ultra hoc delictum, & ab eo, quod grauius est, accipit denominationem: vbi verò culpa non est, manet solus defectus, & ideo nominatur irregularitas ex defectu mansuetudinis.

De irregularitate ex mutilatione.

CAPVT LXX.

Quantum ad irregularitatem contrahendam, parem fecerunt iura mutilationem homicidio, qui enim occidit au-

mutil-

mutilat, siue licite faciat, siue illicite, irregularis est. Clem. si furiosus. de homic. quamuis, vt notauit Præposi. can. de his. d. 50. nu. 7. non sit ita grauis irregularitas, quæ oritur ex mutilatione, sicut quæ oritur ex homicidio; vnde fiet vt facilius dispensetur super eam. Ex mutilatione ergo licita, irregularitas ex defectu oritur, sicut ex homicidio licito: ex illicita verò ex delicto, sicut & ex homicidio illicito.

Duæ autem occurrunt difficultates, vna est, quid sit mutilatio, altera est, quid sit membrum.

Ad priorem respondeo, mutilationem esse abscissionem alicuius membri, quando membrum a corpore separatur; tunc enim corpus mutilum dicitur, quando membrum deest aliquod. Qui ergo debilitat membrum alterius, etiam si illud tale reddat, vt opus suum non valeat exercere, non mutilat, nec est irregularis. hæc est communis sententia, quam sequitur, & probat Panorm. in duobus locis, nempe cap. de diacono. qui cle. vel vouen. & cap. clericis. ne cler. vel mona. quamuis cap. cum illorum. de sen. excomm. tenuerit contrarium. eandem tenet Præpos. cap. de diacono. allegato, vbi citat Cardin. in eandem sententiam, & tenet etiam Felin. cap. cum illorum. de senten. excomm. & Philip. Fran. cap. is qui. de sent. excommu. in 6, vbi citat alios in eadem sententia, & hæc est vere tenenda, quæ confirmatur. 23. q. 8. can. his à quibus. præcipitur ibi clericis, ne mortis sententiam ferant, nec truncationes membrorum quibullibet per se inferant, aut inferendas præcipiant, & cap. in Archiepiscopatu. de rapt. mors, & truncatio prohibentur prælatis. essent profecto diminuti canones, si debilitatio, quæ non est truncatio, nec mors, induceret irregularitatem. Non ergo aliud est mutilatio, quam truncatio membri, & eius abscissio. id etiam significatio nominis probat, Aristo. enim lib. 5. metaph. mutilum definit, cui extrema aliqua pars integralis corporis deest, quod etiam docet S. Thom. 22. qu. 65. art. 1. ratio etiam id ipsum comprobatur: nam mutilatio ideo homicidio comparatur quantum ad irregularitatem, quia est particularis occisio membri, nimirum quia anima separatur ab illa parte abscissa, quod recte dixit Præposi. can. 1. d. 50. numer. 25. id autem in debilitatione non fit, manet enim anima in membro debilitato, quod etiam si non valeat exercere officium proprium, pertinet tamen ad integritatem, & decorem corporis, & inter membra computatur. 1. q. 1. can. sicut vrgeri.

Altera difficultas est, quod sit dicendum membrum, mutilatio enim intelligi non potest sine noticia membri, est autem controuersum, an digitus sit membrum. Caiet. 22. q. 65. 2. & Sotus lib. 5. de iust. qu. 2. art. 1. affirmant esse membrum, qui digitum abscindit, esse mutilatorem. maior autem pars Canonistarum sequens Bartol. lib. 2. ff. de pub. iud. negat esse membrum ad effectum inducendæ irregularitatis huius. tenent Panormit. cap. de Diacono, qui cler. ver. vou. & cap. cum illorum, de sentent. excomm. Ioann. Anan. cap. excommunicato, de hære. cum alijs multis. Dixi ad effectum inducendæ irregularitatis, quia multi Canonistæ distinguunt membrum in principale, & minus principale; seu paruum, & magnum, appellantque principale, manum, pedem, oculum, nasum, & quod officium habet in corpore separatum ab alijs partibus: digitum autem vocant membrum paruum. ita habet Hostien. in sum. tit. de corp. viti. & Anton. Butr. cap. Thomas, eodem tit. & Gloss. can. qui partem d. 55. ad effectum tamen irregularitatis non habetur pro membro, nisi sit principale, & ita habet Gloss. Clem. vni. de homic. & hæc est veteri doctrinæ non enim verum est, quod quidam recentiores putant, Canonistas negare, digitum esse membrum, cum multi illorum affirmant, sed dicunt quantum ad irregularitatem non censeri mutilatorem, nisi qui principale membrum abscindit, & hæc opinio, vt communior, est amplectenda: nam in pœnalibus non sunt significationes nominum ampliandæ. Qui ergo alteri digitum abscindit, etiam si pollex aut index sit, non censetur mutilator, vt irregularis efficiatur. Dubitabit aliquis de auricula, an sit membrum. Couarr. negat, quia, inquit, qui auriculam abscindit, non aufert membrum, cum ablata auricula maneat auditus in aure, quæ ratio si valeret, nec esset mutilator, qui abscindit nasum alteri, quia manet olfactus: nasum verò esse membrum, omnes affirmant. Auricula ergo est membrum, & habet officium separatum ab alijs partibus, nempe preparare sonos, & voces, vt audiantur melius & distinctius, quod in animalibus, quæ aures mouent, satis visui patet, & in ijs hominibus, quibus abscilla sunt: experientia ostendit; non enim ita perfecte audiunt, quæ sententia est Specula. tit. de dispen. materia de irregulari. §. iuxta. in fin. vbi querit, an Petrus fuerit irregularis, qui Malcho abscidit auriculam, respondet negatiue. quia tunc non erat introducta irregularitas, significans, postquam iam ab Ecclesia est introducta, esse irregularem qui eam cedit. idem Couarr.

negat

negat mamillam in foemina esse membrum, nescio qua ratione ductus, cum habeat officium praecipuum in corpore. Ex his ergo duabus actionibus, nempe homicidio, & mutilatione oritur haec irregularitas.

Ex ijs, quae in superiori capite, & proxime dicta sunt, multa sequuntur.

Primo, per vulnerationem cum quantacumque sanguinis effusione, ubi non est mors, nec mutilatio membri, non induci irregularitatem: quod recte notavit Panormit. capit. de Diacono. qui cler. ver. noue. & capit. clericis. ne cleri. verb. monach. licet aliqui contrarium dixerint, tamen sine fundamento, & contra canones, quia ex solo homicidio, & mutilatione haec irregularitas oritur; per haec enim tantum pars corporis, vel corpus anima, & vita priuatur, ut diximus, nec est aliqua introducenda irregularitas, quae non sit iure expressa.

Secundo, qui alterum percutit, & ex percussione facit irregularem ex defectu, nimirum quia notabile vulnus in facie infixit, quo fit multum deformis, aut fecit eum claudum, ut nequeat sine baculo ambulare, vel quid aliud simile, si non abscidit, aut mutilauit membrum, non est irregularis, quamuis Silu. ver. homicidium, 3. aliter sentiat cum alijs per ipsum citatis, sed sine fundamento, quia iste non est occisor, nec mutilator.

Tertio, qui execat alterum, visu eum priuando, non tamen oculum extrahendo, eadem ratione non est irregularis, quia nec occisor, nec mutilator, qua ratione, qui dat mulieri venenum sterilitatis, ut priuetur potentia generatiua, quia non occidit, nec mutat, non est de iure irregularis, ut habet Glo. c. si aliquis, de homic. quamuis quantum ad peccatum grauis sit culpa, & homicida habeatur.

Quarto, qui mortuo homini abscindit caput, aliudue membrum, non est irregularis; non enim mortuus est simpliciter homo, nec membrum mortui est simpliciter membrum, unde qui abscindit, non est mutilator, quia non priuat membrum anima, aut vita. Non esse hunc irregularem dicit Archidi. can. si quis 15. q. 1. contra aliquos id affirmantes, & Praepos. can. 1. d. 50. num. 27.

Quinto, qui foetum, antequam anima sit informatus, nimirum ante quadragesimum diem abortiri facit, quamuis peccet grauer, de iure irregularis non est, quia cum nondum sit vi-

uificatus, nōdum est homo, & sic hic, qui abortiri fecit, non est homicida. ita habetur cap. sicut 2. de homic.

Sexto, per solam voluntatem, & conatum occidendi, aut mutilandi, si non sequitur occisio, aut mutilatio, non est irregularis. ita dicit Henr. c. 1. de eo, qui mit. in poss. vbi qui dat venenum alteri animo occidendi, aut vt abortiatur viuuum fœtum, si non occiditur, aut abortus sequitur, non est irregularis, nec qui bombardam exonerat contra alterum, sed non sequitur effectus, quidquid sit de pœnis alijs temporibus, tamen irregularitatem non incurrit, quamuis quidam contrarium teneant, sed falso, quia lex promotionis factum requirit 15. quæst. 1. canon. vltim. Denique vbi non citatur mutilatio, aut occisio, non inducitur huiusmodi irregularitas.

Quotuplex homicidium, & mutilatio.

CAPVT LXXI.

CVM constet tantum ex reali mutilatione, & homicidio induci huiusmodi irregularitatem, oportet, quomodo hæc fiant, considerare. Est autem triplex homicidium, quod autem de eo dicitur, de mutilatione etiam intelligere oportet. Est homicidium, quod voluntate, quod necessitate, quod casu committitur. hæc diuisio celebris est, quam probat Glo. can. de his d. 50. Arch. & Præposi. ibidem, Gloss. etiam cap. sicut dignum. de homic. & ibi Henr. num. 43. & Alex. Aleu. 3. p. q. 34. m. 3. Est etiam aliorum multorum, eamque confirmauit Concil. Triden. sess. 14. c. 7. vbi de irregularitate ex illicito homicidio tractans distinxit homicidium, & quod voluntate, & quod necessitate, & quod casu fit. Hæc igitur diuisio est amplectenda, & iuxta ea, quæ de irregularitate homicidij dicta sunt, explicabimus. Oportet igitur, quid horū vnum quodque sit, declarare, postea quæ ad irregularitatem spectant proponemus.

Aduerte, ex Gemina. & Præposi. can. si quis voluntarie dupliciter accipi voluntarium, striete, & large. striete voluntarium est, quod est in se volitū, in quod nempe voluntas immediate fertur. vt quando volumus ambulare, sedere, legere. hæc dicuntur voluntaria striete. Large voluntarium est, quod

non in se volumus, sed in sua tantum causa, vt qui vult bibere multum vini, dicitur velle ebrietatem, non quidem in se, sed in sua causa, quia id vult, vnde sequitur ebrietas. Vinum ergo est volitum striete & per se: ebrietas autem est volita, seu voluntaria in sua causa. Alij alijs terminis hoc explicant, voluntarium striete appellant, directe volitum; large vero, indirecte, iuxta *Gloss. can. studeat d. 50.* Addunt hi Doctores, voluntatem respectu eorum, quæ striete sunt voluntaria, esse velut matrem: respectu vero eorum, quæ non in se, sed in sua tantum causa sunt volita, esse velut auiam; vt enim auia per filiam efficit nepotem, sic voluntas per causam, seu in causa vult effectum, qui ex ea sequitur. Hæc distinctio & doctrina est vera & legitima, sed diminuta, ideo perficienda est: primum enim membrum diuisionis huius, nempe quod est volitum, seu voluntarium in se, duplex est, quoddam absolutum, quoddam conditionatum, quod alijs verbis dicitur esse voluntatem duplicem, nempe absolutam & conditionatam. illud est voluntarium absolute, seu absoluta voluntate volitum, quod sponte, nulla impellente necessitate fit, vt quando aliquis vult legere, ambulare, &cæt. Illud vero est voluntarium conditionatum, quod non sponte, sed inuiti facimus, vt periculum aliquod vitemus. exemplum commune est in mercatore, qui tempore tempestatis merces in mare proijcit, vt vitam seruet, cuius proijctio voluntaria quidem est, quia liberum est illi proijcere, & non proijcere; tamen non est absolute voluntaria, quia metu mortis impellente proijcit, inuitusque facit. Hoc voluntarium non est plene voluntarium, sed mistum cum inuoluntario; ideo dicitur voluntarium conditionatum, seu, vt alij dicunt, voluntarium coactum, de quo *Arist. 3. ethic. & S. Thom. 1.2. q. 6. art. 6. & Canonista tit. de ijs,* quæ vi. me. ve. ca. fin. tractant.

Ex hac distinctione sequitur duplex esse homicidium voluntarium directe, seu in se volitum, vnum absolute voluntarium, quando aliquis directe, & per se vult occidere aliū sponte, & nulla impellente necessitate. alterum est voluntarium directe, & in se, sed ex necessitate, & conditionate, nempe quando aliquis vult occidere, sed necessitate, & coactè, quia aliter vitam tueri non potest, vt qui inuadentem, & occidere volentem occidit, ne ipse occidatur, vtrumque tamen est homicidium voluntarium, quod considerantes antiqui quidem iurista, homicidium in sui defensionem factum, etiam quando

aliter

aliter homo euadere non potest, appellarunt voluntarium quia directe & in se volitum est, ita habet Innoc. ead. auctoritatem, de homic. idque titulus decretalis indicat, nempe de homicidio voluntario, & casuali, ubi voluntarium appellatur quod a casuali distinguitur, & hoc non aliud est, quam quod est volitum in se, & directe, siue absolute, siue conditionate, vnde Ioan. Andr. & Anchar. in eodem titulo opponunt contra eundem titulum: nam videtur diminutus, dicendum enim erat, de voluntario, necessario, & casuali. Respondent autem, voluntarij nomine comprehendi etiam necessarium, seu quod ex necessitate fit, quod etiam canones antiqui confirmant, can. eos vero, can. si qua mulier, can. si quis voluntarie d. 50. ubi in duo membra fit diuisio homicidiorum, nempe quod voluntate, & quod casu fit. At cum voluntarium conditionate, seu ex necessitate fit mixtum cum inuoluntario, & non habeat plenam rationem voluntatis, merito Conci. Trident. sess. 13. cap. 7. citatum hæc duo distinxit, & nomine voluntarij appellandum censuit, quod absoluta voluntate fit absque ulla necessitate & coactione: quod vero coactè & necessitate firmum habet distinctum, nempe homicidium ex necessitate, seu ad defensionem, quam etiam distinctionem ante Concilium citati Doctores tradiderunt, voluntarium separantes ab eo, quod ex necessitate fit, quamuis & hoc voluntarium dici debeat, si rationem voluntarij sine distinctione consideremus. Multum ergo refert ad materiam irregularitatis, tractanda cognoscere, quando dicimus homicidium voluntarium, seu irregularitatem ex homicidio voluntario, non eam intelligi, quæ est ex homicidio facto ad defensionem, seu ex necessitate, quod inferius adhuc magis explicabitur. Hæc de prioribus illius diuisionis, in qua voluntarium in stricte & large diuidebatur, nos superaddimus voluntarium hoc stricte, nempe quando est directe, & in se aliquid volitum, esse duplex, strictius strictius, stricte quando est volitum directe voluntate conditionata. Strictius, quando est volitum directe absolute voluntate, & hoc est verè & absolute dicendum voluntarium, & distinguitur ab eo, quod fit ex necessitate. Alterum membrum diuisionis erat, voluntarium large, quod est volitum tantum in sua causa, & indirecte, respectu cuius voluntas est vt auria. hoc voluntarium appellant citati Doctores casuale, quod non est in se volitum, sed tantum in sua causa quod alij vocant indirecte & per accidens volitum, vt diximus ex Glof. can. student

d. 50. Hoc igitur membrum adhuc distinctione indiget: ex causa enim dupliciter effectus sequitur, aliquando enim sequitur semper, aut plerumque, seu in plurimum; aliquando sequitur raro, utriusque sit exemplum: Ex veneni potu frequenter mors sequitur, ex nimio vini potu in plurimum consequitur ebrietas, ex graui vulnere in capite mors. At ex pulsu campanæ raro malleus soluitur, & occidit hominem, ex iactu bombardæ raro rumpitur seu frangitur bombardæ, & occidit circumstantes. Prædicti ergo Doctores volitum in causa tantum, siue raro, siue in plurimum sequatur, casuale appellant, at Caiet. 22. q. 64. art. 8. ad 3. quando effectus ex causa in plurimum sequitur, existimat, non esse casuale dicendum, sed annectendum eum voluntario; unde qui voluit vulnus infligere, ex quo in plurimum mors sequitur, quamuis non intendebat occidere, si mors sequatur, existimat homicidam voluntarium, id quod recipit Couar. ubi de homicidio voluntario loquitur, tamen est contra S. Thom. quem ipsi in suum citant fautorem: nam 22. q. 64. art. 8. ad 2. loquens de homicidio casuale dicit: Qui percutit prægnantem, si sequatur mors mulieris, vel pueri, non effugere homicidij reatum, præcipue cum ex tali percussione in promptu sit quod mors sequatur. Nota esse casuale homicidii in causa, ex qua in promptu est, mortem sequi, id est ex qua in plurimum mors sequitur, dummodo non sit facta percussio ea intentione, ut mors sequatur, aut sit mors præcogitata, & in corpore articuli definit casuale homicidium, quod præter intentionem fit: facit ad purum casuale duo necessaria, nempe quod raro fiat, & quod præter intentionem & præscientiam, tamen in materia irregularitatis plus habetur ratio intentionis, etiam si non raro fiat; & quamuis minus sit casuale, tamen casuale est.

Aduertendum ergo est, casuale dici quantum ad irregularitatem, quod tantum & præcise in causa est volitum, siue raro, siue in plurimum sequatur, dummodo non sit præuisum, nec intentum ab efficiente, seu occidente: penes intentionem enim & voluntatem est casuale, ad eo ut si quis campanam pulset intentione, ut malleus cadens occidat aliquem, vel præuidens casurum, & occisurum, si cadat, & occidat, licet raro accidat, non erit casuale, sed voluntarium, ut dicit Archi. can. de occidendis 23. q. 5. contra vero, si quis percutiat vulnere lethali aliquem, nesciens mortem sequi, nec ea intentione, ut sequatur, reputabitur casuale. dico (nesciens) quia si quis scit, & ad huc

facit,

facit, iam vult occidere directe. hoc autem est discrimen, quod grauius erat peccatum, si ex causa frequentius sequitur mors; arguit enim maiorem negligentiam, in foro exteriori magis reputabitur habuisse intentionem occidendi: at in foro interiori, & quoad Deum non erit voluntarius homicida, sed casualis, qui præter scientiam & intentionem occidit, quod ex eodem Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. satis clare deducitur: nam cum prius dixisset, qui sua voluntate occiderit, non debere cum eo dispensari, & hoc distinxerat ab eo, qui necessitate, & qui casu occidit, repetens, quid sit voluntate occidens, dicit, qui non proposito occidit, significans, voluntate occidere, & ex proposito occidere idem esse: ex proposito autem occidere, & intentione idem est; propositum enim & intentio directam voluntatem significant. homicidium ergo voluntarium distinctum ab alijs duobus est directum volitum.

Hæc est causa quod in canonibus, vt constat ex cap. significasti. de homici. consideratur animus & intentio in percussione, ex qua mors est secuta, quod etiam maxime comprobatur ex can. eum vero. & can. frater vester d. 50. ex quibus hoc maxime deducitur: est enim noranda doctrina Panorm. cap. significasti. de homici. in fine, ius canonicum, quantum ad irregularitatem, considerare magis animum, & intentionem in actu subsecuto; aduertendum tamen est, non solum illum habere intentionem, seu voluntatem directam occidendi, qui specialiter vult occidere, sed etiam illum, qui in genere percussit animo nocendi indistincte, & vniuersaliter, non excludendo mortem: secus si expressè noller occidere, aut mutilare, sed tantum percutere; hic enim, etiam si ex percussione sequeretur mors, non est censendus homicida voluntarius, quantum ad irregularitatem in foro interiori, vbi non proceditur ex præsumptione: nam in exteriori foro censetur homicida voluntarius, quia præsumeretur voluisse occidere, nisi aliunde veritas constaret.

Ex his omnibus habes expositam diuisionem homicidii, quod fit tripliciter, aut voluntate, aut necessitate, aut casu, quamuis enim omnia sint ex voluntate largissimè sumpta, tamen quod non in se, sed in sua causa tantum est volitum, non appellamus simpliciter voluntarium, sed casuale, nec id etiam, quod in se est volitum, si non absolute, sed ex necessitate & conditionate est volitum. Ex hoc triplici homicidio, seu

mutilat

mutilatione irregularitas consequitur, sed non eadē, nec eiusdem rationis, nec semper. ideo qualiter, & quibus modis, & quando sequatur, in sequentibus capitibus explicatur.

Quando ex mutilatione, vel homicidio non inducatur irregularitas.

CAPVT LXXII.

Paulò superius diximus, vbi homicidium, aut mutilatio realis non erat, nō inducit irregularitatem, cuius rei multa attulimus exempla, nunc dicimus esse casus, in quibus etiam si homicidium, & mutilatio sint, nulla inducitur irregularitas, & præter alios, de quibus agemus, quando singula homicidiorum genera tractabimus, oportet nunc aduertere necessarium esse ad hoc, vt hæ duæ actiones inferant irregularitatem, quod procedant ab habente vsum rationis; non enim verè est homicidium, aut mutilatio, quæ sunt actiones humana, vbi non est rationis vsum, sicut nec habet propriam rationem homicidij id, quod fit à leone, vel tauro. Est igitur conditio necessaria, vt sit actio humana: non est autem actio humana, nisi adsit vsum rationis, & libertas arbitrij. hæc de causa in Clem. furiosus. de homic. excipiuntur tria genera, quæ, etiam si occidant, vel mutilent, nullam contrahunt irregularitatem, nec ex delicto, nec ex defectu.

Primo loco sunt infantes, qui non sunt doli capaces, hi si occidant, vel mutilent, quod accidere potest, non sunt irregulares, & adulti facti promoueri possunt. notat ibi Gloss. communiter recepta, tempus infantie esse vsque ad completum septennium, infra quod non est irregularis, qui occidit. aduertit autem Anchar. in eadem Clementina, quod si contigerit ante septennium aliquem esse capax doli, aut post septennium nondum esse capax doli, vel habere rationis vsum, illum incurere irregularitatem, hunc vero non. Nec est iam probanda doctrina Hosti. c. i. de delict. puer. affirmantis, si puer nondum doli capax proiecit cultellum, aut lapidem, aut occidat, etiam si id non intendat, esse irregularem. hoc inquam non est verum post Clem. vt dicit Panormit. cap. i. de delict. puer & Gloss. in eadem Clem. vbi vterque reprobat Hostienem.

Secundo loco, Clementina excipit furiosos, etiam adultos, hi pa-

hi pari ratione, si occidant in furore vel infania aliquem, sunt irregulares. notat ibi Gloss. per furiosos, non solum intelligi eos, qui hoc morbo continuo laborant, sed qui etiam per intervallum eum patiuntur, & dum furiosi sunt, occidunt vel mutilant, idemque est dicendum de infirmo phrenetico. In his omnibus deficit usus rationis, nec inducitur irregularitas, etiam si vitio & culpa propria incidant in insaniam, docet Gloss. 15. q. 1. can. si quis insanians. & Card. in Clem. furiosus, de hom. q. 6.

Tertio, excipit dormientes, aliqui enim somnos adeo graves patiuntur, ut noctu somniantes surgant, multa que faciunt opera, qualia vigilantes efficere solent. hi, si occidant, vel mutilent, non contrahunt ullam irregularitatem, nec enim habent rationis usum, sicut nec furiosi, ut habetur cap. maior, de bapt. §. verum, hoc limitant Card. & Anchar. in eadem Cl. Quando qui solitus est in somno arma capere, & percutere, si sciens precauet in vigilia quantum potest, ne quid simile faciat dormiens, a cubiculo arma eijciendo, aut focium apud se habendo, vel aliquid aliud necessarium adhibendo, qui non se precauet, non excusatur ab irregularitate opere subsecuro, idem dicendum existit in eo, qui lucida intervalla patitur, quando compos est mentis, si se in furore in alios inuehit, debet enim precaueri quantum potest: quod si solitus non est ea facere, vel si solitus est, precauit, & adhuc postea cecidit, vel mutilat, nullam inde contrahit irregularitatem. Dubium excitant Doctores de illo, qui vigilans, ira vehementi vel odio commotus conatus est alterum occidere, nec potuit, postea tamen dormiens precedenti imaginatione agitur in somno succens, & occidit, an sit irregularis. Palu. 4. sen. d. 32. q. 1. art. 3. dicitur esse irregularem, quia causam dedit vigilans, contrarium tenent Socin. cap. ad audientiam, de homi. num. 15. & Gonz. Valladiego de irregula. c. de percussore, & Castr. lib. 2. de test. leg. p. in cap. 14. quos etiam sequitur Couarr. Item non erat solitus talia facere in somnis, nec ea intentione dormiuit, ut id eueniret, & hoc verum est. Hæc tria genera peccatorum excipit Clementina. Doctores autem paritatem rationis sequentes idem dicunt de ebrio, qui præ ebrietate non habet rationis usum, etiam si sua culpa eorundem sit, dum modo non ea intentione, ut alium percuteret, se inebriauerit, hic, si occidat, non est irregularis, ita dicit Castro loco citato in fine capitulis, & Couarr. dimitians, si non erat solitus in ebrietate furere

in alios
cauit, et
mientur
in hac
gene
q. i. p.

H
fi
finitate
stare ma
ctoritate
ei volun
directa v
chid. can
dem d. H
sum. de h
34. m. 3. c
prehend
semper e
gan por
malos si
necessita
lunariu
diuersa
tiras ex
est defen
pio defi
loue an
meidum
esse vol
agitur d
cidium
que irre
viduam

in alios, aut, si solitus erat, præcauit, si enim id sciens non præcauit, est irregularis, si casus sequitur; est enim eadē ratio dormientium, aut patientium lucida interualla, & ebriorum in hac parte quantum ad irregularitatem. De his quatuor generibus personarum, quomodo excusentur à culpa, vide 15. q. 1. per totam.

De irregularitate ex homicidio voluntario.

CAPVT LXXIII.

Homicidium voluntarium, quod ab habente vsum rationis, non casu, aut necessitate, sed directa voluntate fit, duplex est, vnum quod iuste, alterum quod iniuste fit. iuste enim ministri iustitiæ, & qui publicam habent potestatem malefactores interficiunt, & occidi faciunt. iniuste autem auctoritate priuata homo occidit proximū suum vtrumque autem dicitur voluntariū, quando non necessitate, nec casu aliquo fit, sed directa voluntate, communis est sententia, quam sequitur Archid. can. si quis viduam d. 50. Gemin. & Præpos. can. de his. eadem d. Hostien. in summ. de homic. §. qua pœna. & Gostred. in summ. de homic. Anton. 3. 1. tit. 27. c. 2. §. 5. & Alexand. Alen. 3. 1. 34. m. 3. cum alijs multis. Hi allegati Doctores Canonistæ reprehendunt Raym. affirmantem, voluntarium homicidium semper esse peccatum, cuius contrarium ipsi docent: nec negari potest, occidunt enim, qui publicam habent potestatem malos sine vilo peccato, cumque hoc homicidium non ex necessitate, nec casu fiat, sed directa voluntate, necesse est voluntarium esse: & ex vtroque nascitur irregularitas, quamuis diuersæ rationis: ex iusto enim homicidio nascitur irregularitas ex defectu; ex iniusto autem, ex delicto. Nec probanda est descriptio Couar. qui in materia de homic. fere in principio definit, voluntarium homicidium esse, quod dolo, maleuolè animo fit: postea vero aliquanto inferius asseuerat, homicidium factum à iudice, & habente publicam potestatem esse voluntarium; hoc secundum verum, nam canones, vbi agitur de irregularitate, tam iustum, quam iniustum homicidium sub hoc nomine voluntarij cōplexi sunt, quia ex vtroque irregularitas oritur. Aduerte ergo ex Præpos. can. si quis viduam d. 50. & Alex. Alen. 3. p. q. 34. m. 2. ar. 2. ad. 2. & ex cōmu-

R

ni do

ni doctrina, ad iustum homicidium quatuor esse necessarias, nempe debitam, & legitimam potestatem, iustam causam, iustum ordinem, iustum animum. Isti Doctores tria numerant, quia primum sub tertio comprehendunt, tamen distinctam causam quatuor ego adnumeravi. Erit ergo homicidium iustum, quando vel vnum horum defuerit, & per id homicidium iniustus voluntarius efficietur irregularis ex delicto; vbi vero omnia simul conueniunt, erit homicida iustus, & irregularis ex defectu.

Primo igitur, requiritur debita, & legitima potestas in eo qui occidendi, aut mutilandi sunt, priuata ergo persona, nec iudex, nec minister est, nec publica fungens potestate, occidat etiam reū, & dignū morte, etiam Paganum, Iudaeum, & infidelem quemcumque, iuxta can. clericum d. 50. homicida iniustus est, est enim ad iustitiam necessaria potestas, seu auctoritas publica 23. q. 5. can. miles. Ex defectu huius potestatis clericus, & religiosi occidentem hostem, etiam in bello iusto, sunt homicidæ iniusti, quia potestas talis illis negata est, ex multitudine voto. §. clericis. & c. sententiam. ne cler. ver. monst. Occidit tamen Papa dare facultatem illis pugnandi in bello iusto ab hac irregularitate, vt dicit Panor. c. clericus. de vit. & honest. clerici. & Præposi. c. 1. d. 50. num. 27. & can. clericum, eadem d. Eadem ratione essent homicidæ iniusti, si occiderent bannitum, qui et forma statuti potest impune à quolibet occidi, vt dicit Hippo. de Marfi. consi. 11. Si verò laicus occideret animo iusto, esset homicida iustus, dummodò occideret in territorio principis, cuius est minister, secus si in alieno, vt dicit Silu. homic. 1. §. 7. secundum Archi. nisi dominus illius territorij consentiat expressè, tacite, aut præsumptiue.

Secundo, necessaria est causa iusta, nemo enim iuste occidi debet, nec potest, si non sit reus & dignus morte; vnde iustus princeps, & ministri, quantalibet potestate fungantur, si occidant, aut occidi faciant eum, qui innocens est, aut si reus non est reus mortis, sunt homicidæ iniusti, 11. qu. 3. can. 1. d. 50. can. cum apud hoc quidem verum est, nempe si innocens probaretur nocens, & morte dignus, iudicem, qui secundum allegata & probata iudicare debet, post adhibitam omnem diligentiam indagandi verum, si occidat probatum nocentem, non peccare, nec esse homicidam iniustum, vt tenet Alexander 3. 1. quæst. 34. m. 1. articul. 4. quia causa secundum allegata & probata est consideranda. Esset autem iniustus homicida m-

les oc-

les occidens in bello iniusto, & minister, qui exequeretur pœnam mortis in eum, quem certo scit iniuste damnatum. dico, quem certo scit, quia nec miles, nec minister iustitiæ debent inquirere maiorum suorum facta; sed quando certum non est maiores inique agere, etiam in dubijs tenentur credere eos habere iustam causam, can. quid culpatur 23. q. 1. Esset etiam iniustus homicida iudex, qui dignum mutilatione, aut irremediabilis morte plectere, ut dicit Silu. ii. homicidium 3. §. 6. non tamen si dignum morte acerbius puniret, quam dignus esset; licet enim peccaret, non tamen iniustus homicida esset ad effectum irregularitatis ex delicto, quia causa mortis iusta interfuit, & iuste occidit.

Tertio, est necessarius ordo iustitiæ præscriptus à legibus; qui enim occidit ex potestate, & ex causa, si ordinem debitum non seruat, est iniustus homicida; ut, si non conuictum damnauit, aut vijs illegitimis confessionem extorsit, propter quã morti adiudicauit, aut alia neglexit, quæ seruanda in causa mortis leges statuerunt: notat tamen Præpo. ii. q. 3. can. eorum in notorijs delictis non omnem iuris ordinem seruare necessarium esse.

Quarto necessarius est iustus animus; etiam si enim adesset potestas legitima, causa iusta, & ordo debitus & iustus, si animus non esset iustus, homicida esset iniustus: animus autem iustus is dicitur, ut amore iustitiæ, & non zelo vindictæ occidatur malefactor, aut hostis 23. q. 4. can. ea vindicta. & 23. qu. 5. can. minister vbi Archid. id adnotat, & 23. q. 8. can. quicumq; & ibi Gloss. & ii. q. 3. can. Episcopus presbyter. & ibi Doctores. Iuxta hoc, qui occidit bannitum, non quia bannitum, sed quia proprium inimicum, homicida est iniustus. Et miles, qui in bello iusto occidit hostem, non quia publicus hostis est, sed quia propius aduersarius, & vindex, qui pœnam mortis in reum traditum à iusto iudice exequitur animo vindicandi se de eo. Omnes hi ex defectu animi, & iustæ intentionis sunt homicidæ iniusti.

Hæc communis doctrina limitanda, & declaranda potius videtur nam qui præcipue mouetur animo iniusto, & zelo vindictæ, homicida esset iniustus, nempe qui occidit bannitum, occisurus, etiam si non esset bannitus; qui in bello occidit hostem publicum, occisurus, etiam si non esset hostis publicus. At qui non principaliter eo animo mouetur, sed minus principaliter, occidit enim animo vindictæ, & odio;

non tamen occideret, nisi iuste occidere posset, & iustas causas, & causa essent: hunc non pura esse homicidia iustum ad effectum irregularitatis ex delicto peccaret quod & grauius, sed non propter hoc esset irregularis ex delicto, enim omne homicidium, quod est peccatum, seu cum peccato, est iniustum ad effectum irregularitatis ex delicto, & est maxime notandum, nisi adde in iustitia contra proximum principaliter, qua distinctione, nempe principaliter, & contra principaliter, insinuat Silu. homicidium i. s. s. vnde iustus de ministro, qui aliquando ex vana gloria, avaritia, cupiditate, immoderata ira mouentur, essent irregulares ex delicto, non est, quia non sunt iniusti homicidae, vnde iudex, qui die festo malefactorem occidi facere, aut non prius confessato poenitentiae sacramento, peccaret grauius contra deitatem Dei, & proximi, tamen non esset irregularis ex delicto, quia iniustitiam non facit in occisione. Ecce quid sit homicida voluntarius iustus, & quis iniustus. Iustus est, quando omnia quatuor conueniunt. iniustus est, quando vnum deest, vnde est irregularis, sed vnus ex delicto, & vnus ex defectu. Haec omnia dicenda sunt de mutilatione, in qua homicidij & mutilationis genere semper incurritur irregularitas, siue ex delicto, siue ex defectu, excepto in vno casu, quando membrum aliquis secat alteri gratia sanitatis, vt Chirurgi solent facere, hi nullum ex hoc incurunt irregularitatem, modo nec si ea de causa aliquis sibi ipsi membrum absciderit, vt diximus supra de corp. viti ex Innoc. & idem sequitur Propositi.

Aduerte autem circa homicidium voluntarium iniustum, non solum esse homicidam, qui de facto occidit, sed qui dedit causam sufficientem mortis, etiam si ab alijs sit occisus: verbi gratia, si quis percussit alterum lethaliter, & antequam animam periret, ab alijs est occisus, conferitur ille primus etiam homicida voluntarius, & hic est casus c. significasti. 2. de homicid. Panor. nu. 7. dicit id esse verum, quantum ad irregularitatem. Aduerte etiam esse homicidam voluntarium, non quidem percussit alterum, non lethaliter, tamen ab alijs superuenientibus est occisus, etiam si ille non hos induxerit ad occidendum, hic propter voluntatem occidendi coniunctam operi, & veniendi, etiam non lethaliter, est homicida voluntarius, non res illius iuris interpretatione, quae habentur eodem cap. significasti. de ha.

de homici. quod si non voluntate occidendi percussit, non lethaliter, & alij superuenerunt, & occiderunt, tunc ad casuale homicidium pertinet, de quo inferius dicitur. Aduerte rursus homicidium factum in rixa repentine, & calore iracundia, etiam si minor culpa sit, esse voluntarium homicidium. ita habet Ioan. Andr. c. de infantibus. de ijs, qui filii occid. & titulus ipse idem probat. Aduerte postremo, quando multi interfuerunt ad percuriedum unum, & nescitur cuius vulnere is occisus est, debet quisque reputari irregularis, quia tutius est, c. significast. z. de homic.

De irregularitate homicidij ex necessitate facti.

CAPVT LXXIX.

Homicidium ex necessitate est, quod aliquis committit non sponte, sed impulsus necessitate ad defensionem ab iniusta oppressione. est autem triplex defensio. Vna est vitæ propriæ, nimirum quando aliquis inuasorem, & occidere volentem occidit, vt vitam propriam tueatur. Altera est defensio vitæ proximi, quando nempe aggressorem, & inuasorem proximi occidit, vt proximum a morte iniusta liberet. Tertia est defensio bonorum temporalium, quando latronem, & rapere bona volentem occidit, vt bona propria tueatur. de horum singulis est particulariter tractandum. De prima ergo defensione aduertendum est ex Glo. can. de his. d. 30. & ex communi doctorum sententia, duplicem esse necessitatem defendendæ vitæ propriæ: Vna est inuitabilis, quando nimirum aliter non potest homo suam tueri vitam ab iniusto aggressore, nisi eum occidat. Altera est euitabilis, quando posset tueri vitam propriam alio medio, absque eo quod occidat inuasorem, sed modum defensionis transgrediens eum occidit, volens tutius & securius agere. quando ergo homicidium sit ex necessitate inuitabili, dicitur fieri cum moderamine inculpatae tutelæ, quando vero non est necessitas inuitabilis dicitur sine moderamine inculpatae tutelæ, quia non seruat moderamen, quod seruari debet, vt sine culpa vitam propriam tueatur. His sic suppositis notanda sunt aliqua.

Primò, qui occidit inuasorem, seruato moderamine, id est, quando aliter vitæ suæ propriæ consulere non potest, non

solum non peccat, sed non irregularis est. quātum ad primam partem de peccato, nulla est difficultas, quia iure naturali unicuique vim illatam propulsare, quod intelligi quando ex odio, aut vindicta occidit, sed vt seipsum defendat, & propriae vitae consulat. Posterior autem pars de irregularitate erat olim sic, immo qui occidebat, etiam ad iustam sui defensionem, non erat ab irregularitate immunis, non quidem ex delicto, sed ex defectu. ita Innocen. cap. ad audiendum. de homicidio & capit. 2. de cleric. pugn. in duel. & Sanct. Thom. 22. qu. 54. art. 7 & alij antiqui scriptores senserunt: at postea facta est Clemen. furiosus. de homic. vbi occidens, aut manus suam inuasorem, aliter mortem vitare non valens, ab omni irregularitate est immunis, nec in hoc dicto vlla est iam controuersia.

Secundò, etiam personis Ecclesiasticis, licet ad vitæ propriae inuitabilem defensionem occidere absque peccato, & irregularitate. ita habet Panorm. cap. si aliquis de homic. hoc iam dictum est commune, & patet ex cap. significasti. 2. de homic. nec est verum, quod dicit Gloss. can. de occidendis. 2. q. 5. Clericum debere permittere potius se occidi, quam occidere, sed debet intelligi, quando non est ad defensionem necessariam. quod si Gloss. etiam in hoc casu loquatur, falsa est, quia defensio sui fundatur in iure naturali, quod commune est personis Ecclesiasticis, nec potest tolli per ius posituum. Nec huic decisioni est contrarius can. de his d. 50. vbi videtur puniri clericus, qui ad sui defensionem occidit Paganum, hic cum Gloss. respondet intelligi de eo, qui occidit non necessitate inuitabili. Gemini. tamen aliter respondet, nempe intelligi de irregularitate, quam contraheret occidens ad sui defensionem ante Clemen. iam est ablata iure nouo, & S. Thom. 22. qu. 64. art. 7. ad 2. cum canonem interpretatur procedat, non de peccato, sed de irregularitate. quæ tunc contraheretur.

Tertio, inuasor, seu aggressor est censendus, quando cum armis venire contra nos videtur, non enim expectandum est, vt ille vulnerare incipiat, aut bombardam emittat, sed satis est si venientem, & irruentem videamus, nec euadere aliter possumus. hoc est Ioan. Ana. cap. si petfodiens. de homic. vbi secundo Bartol. dicit, si video venientem cum cultello contra me, tunc esse iustam defensionem. & Archid. can. de his d. 50. strepitum armorum dicit facere iustum metum ad

ficta

se autem defensionis; debent tamen arma considerari, ut talia sint, ex quibus periculum vitæ imminet, probabiliter, nisi occidendo, aut mutilando se defendat. Aduerte autem, cum dici inuasorem, seu aggressorem, qui non prouocatus prior in alterum insurgit. Qui ergo talem, se defendendo, occidit, aliter euadere non valens, dicitur inuasorem iuste occidisse; quando vero prouocatus est, quia verbo, aut facto iniurioso lacessitus, ad vindicandum sua arma capit, non censetur aggressor, vnde qui eum occidit, non dicitur ad defensionem occidisse inuasorem, quia ipse prior causam iniustam dedit. Si ergo occiderit, erit irregularis ex delicto homicidij voluntarij. Similiter etiam ipse lacessitus, si occiderit, quia non debuit se vindicare, & ex vtraque parte occidens erit irregularis ex delicto, hinc sequitur, si aliquis intrauit domum alterius furandi causa, vel ut aliquod delictum perpetraret, qui vero intus erant insurrexerunt in eum, ipse vero defendendo se, occidit, erit homicida voluntarius, & irregularis ex delicto, quia causam iniustam dedit, nec illi censentur aggressores ad effectum irregularitatis vitandæ in eo, qui occidit.

Quæro, qui occidit aggressorem ad euitandam propriam mutilationem, aliter eum euadere non valens, non quidem peccat, sed est irregularis ex defectu. hoc est contra Cardin. in eadem Clementin. Silu. homic. 3. §. 6. & Couar. qui tenent nec esse irregularem, sed contrarium tenet Gonsal. de Villadiego tractat. de irregularit. capt. de percussore, & hoc est probabilius. De peccato non est controuersia, quia iusta est defensio membrorum propriorum, tamen quantum ad irregularitatem non est immunis, & ratio est, quia iure communi ante Clement. etiam ex iusta sui defensione contrahebatur irregularitas: at per Clement. abrogatum est ius commune. id solum ergo abrogatum est, quod per Clement. declaratur: at Clementina solum excipit eum, qui ad sui defensionem non valens aliter mortem vitare, suum occidit inuasorem. in hoc autem casu poterat euadere mortem. Non igitur immunis est ab irregularitate, nec valet dicere quia paria sunt, quantum ad irregularitatem, mutilatio, & homicidium, hoc enim inualidum est argumentum, sunt quidæ paria quantum ad hoc, quod ex vtroque contrahitur irregularitas, sed non quantum ad hoc, quod, quidquid de homicidio stabiliter, fit de mutilatione dicendum, alias enim non esset irregularis

qui potens euadere mutilando occideret, cuius contrarium
tim dicemus, & ipsimet affirmant. præterea in Clem. habetur
qui mutat, aut occidit non valens aliter propriam mortem
euadere. vtrumque coniungitur respectu inuaforis, non
tem respectu occidentis, sed solum vnum, nempe quando
potest mortem euadere, nec valet, non esse peccatum occide-
re ad vitandam mutilationem propriam, quia irregularitas
hec etiam sine peccato contrahitur, vt statim dicemus in mul-
tis casibus.

Quintò, qui occidit non seruato moderamine, nempe ne-
cessitate euitabili, quando mortem euadere poterat, semper
est irregularis, tamen non semper ex delicto, quia aliquando
peccat, non seruando moderamen, aliquando non peccat,
quando peccat, erit irregularis ex delicto, quando verò non
erit ex defectu, quod in casibus aliquibus manifestum est, do-
dico.

Sextò, qui potest vitam tueri non occidendo inuaforem,
sed tantummodò mutilando, peccat, si occidit, & irregularis
est ex delicto. ita dicit Silu. homicidium 3. §. 6. & ratio est, quia
non licet occidere, nisi quando aliter non potest euadere, et
hic potuit euadere non occidendo. ergo grauius peccat, &
ab irregularitate delicti non est immunis.

Septimò, qui potuit fuga euadere, si fuga ei dedecus & infamiam
inducit, quia vir nobilis, aut miles est, aut eius condi-
tionis, cui multum infamiae fuga inferret, non tenetur fugere,
& si aliter non potest euadere, potest sine peccato occidere, ir-
regularis tamen erit ex defectu, non ex delicto. hoc dictum est
Panor. e. olim. de restit. spoliat. & Præpos. can. ex præmissis d.
50. num. 26. quidquid quidam in contrarium dicant, est enim
graue detrimentum honoris in similibus personis, & non mi-
nus in multis, quam alicuius membri mutilatio. Quando es-
go honor bene ordinatus est, & non vane appetitur, sed pro-
pter honestum finem, tunc non peccat, si nolit fugere, sed
defenderit: in defensione autem, si non potest vitam tueri, nisi
occidendo aduersarium, licite occidit, tamen est irregularis,
quia Clem. non excipit ab irregularitate, nisi eum, qui aliter
vitam tueri non poterat.

Octauò, quod si est persona Ecclesiastica, cui fugere non est
infamia, quia alterum profitentur miliniam, aut si secularis,
cui parum dedecoris fuga adfert, quia homo minoris condi-
tionis, aut alia quavis de causa, hic, si occidat inuaforem, peccat

gravi-

grauiter, & est irregularis ex delicto. Hoc dictum est prædictorum doctorum, & est commune, quod limita, nisi in fuga immineret periculum, quia aduersarius à tergo noceret, aut simul aliqua causa, tunc enim non tenetur fugere, nec reputatur tunc per fugam talem euadere posse. Ita Præpos. can. i. d. 50. num. 26.

Nonò, qui inuasorem fugientem, aut recedentem ab inuasionem insequitur, etiam si vulneratus sit ab ipso inuasore, & insequendo occidit, aut mutilat, peccat, & est irregularis ex delicto, non quouis modo, sed ex homicidio voluntario, iam enim non est necessitas defensionis, sed vindicta. Ita habet Gloss. cap. si perfodiens. de homi. Archidi. & Præpo. can. de his. d. 50.

Hæc dicta sunt de homicidio ex necessitate inuitabili, & euitabili propriæ personæ: vbi vnum maxime attende pro intelligentia legitima cuiusdam decreti Concil. Trid. & multarum facultatum a Sede Apostolica emanantium super dispensatione ab irregularitate, nempe, qui occidit, aut mutilat se defendendo in casibus, in quibus contrahit irregularitatem, nimirum quando necessitas euitabilis est, non esse irregularitatem ex homicidio voluntario, siue sit ex defectu, vt quando sine peccato occidit; siue ex delicto, quando cum peccato, vtrique enim irregularitas oritur ex homicidio huiusmodi, vt ex antecedentibus constat. hoc constat ex ipso Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. distinguit enim tres irregularitates ex delicto, vnam, quæ oritur ex homicidio voluntate perpetrato: Alteram ex homicidio necessario ad propriæ vitæ defensionem. Tertiam ex casuali: res autem certa est, quando defensio inuitabilis est, nullam oriri irregularitatem. Ergo necesse est facti, Concilium procedere in defensione necessitatis vitabilis, quando moderamen non seruatur, quæ est ex delicto: hanc autem irregularitatem distinxit ab ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & casuali. Igitur irregularitas ex homicidio necessario, etiam si sit ex delicto, quia modus non est seruatus, non erit ex homicidio voluntario, quod etiam ante Concilium multi senserunt; nam Gloss. can. de his. d. 50. Archidi. Gemi. Præpo. & quotquot, vt superius diximus, diuiserunt homicidium in voluntate, necessitate, & casu perpetratum. Omnes hi homicidium necessitate factum subdistinxerunt in id, quod fit necessitate vitabili, & id in id, quod fit necessitate inuitabili, vtrumq; à voluntario separantes, hinc fit, vt quando

Concilium Trident. sess. 24. cap. 6. concedit Episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate ex occulto ex defectu proueniente, præter eam, quæ oritur ex homicidio voluntario non sit excepta ista, quæ prouenit ex homicidio ex necessitate, non seruato moderamine, quia hæc non censetur esse homicidium voluntarium, etiam si sit ex delicto. Præterea quando est sine peccato, ut in eo, qui potuit, non tamen tenetur fugere, & ideo est irregularis ex defectu, non censetur esse homicidium voluntarium, quamuis licito, sicut est ea, quæ est in iudice, & milite, & alijs huiusmodi; hi enim sunt irregulares irregularitate homicidij voluntarij ex defectu, ut quando conceditur facultas dispensandi in omni irregularitate, siue ex delicto, siue ex defectu, præter eam, quæ est ex homicidio voluntario, non excipitur ista, quæ est ex homicidio defensionis, quia non est homicidium voluntarium, quod multum est obferuandum.

Quantum attinget ad homicidium factum in defensione vitæ proximi, ut liberetur ab iniquo aggressore, sunt aliquid etiam adnotanda.

Primò, qui occidit, aut mutilat inuasorem proximi, ut consulat vitæ illius, quando aliter non potest consulere, non peccat, tamen irregularis est ex defectu. prior pars de peccato communis est, & habetur cap. ex delicto de sen. ex com. in 6. immo obligatorium est, quilibet enim tenetur. si potest sine suo periculo, etiam clericus proximum ab inuasore iniquo defendere, ut ex eo dem cap. constat. Posterior pars de irregularitate, quamuis quidam teneant esse ab irregularitate immunitam, tamen contrarium est certius & verius, quod tenet Gloss. Clem. vni. de homic. nam ibi non excipitur, nisi qui suum inuasorem occidit, aut mutilat, aliter propriam mortem euadere non valens. Qui ergo occidit in defensionem amici, fratris, etiam patris, licet non peccet, & recte agat, irregularis est, sicut etiam olim erat occidens in propriæ vitæ necessariam defensionem.

Secundò, si moderamen non seruetur in tali defensione, quia nimirum potuit proximum defendere absque occasione aggressoris, tunc peccat, & irregularis est ex delicto, ut etiam dictum est in defensione vitæ propriæ, nec est in hoc conuersa.

Tertiò, hæc irregularitas in utroque casu est ex homicidio voluntario, in priori ex defectu, sicut in milite, & ministro

iust.

iustitiam in posteriori ex delicto, sicut in priuato occidente alium quemuis, quamuis non sit tanta culpa, quia id efficit in defensionem proximi. Hoc dictum est multum aduertendum pro facultatibus dispensandi concessis: vtriusque autem dicti ratio est, quia qui inuasus est, dicitur occidere ex necessitate: at qui inuasum ab alio defendit, cum ipse non sit in necessitate, quia inuasus non est, sponte id facit, eiusque homicidium ad voluntarij genus spectat, siue iuste, siue iniuste fiat, vnde canones, & Doctores, qui de homicidio ex necessitate facto locuti sunt, omnes huius tantum meminerunt, quando fit in defensionem propriam.

Quarto, qui iuuat defendentem se contra iniustum inuasorem, si ipse, qui inuasus est, occidat, quando occidere ei licet, nimirum seruato moderamine, ipse, qui iuuat, nullam incurrit irregularitatem, etiam si vulneret, dummodo non sit lethale vulnus. Hoc dictum est ex communi doctrina sumptum, nam sicut in bello iusto non omnis, qui pugnat & vulnerat, irregularis est, sed ille, qui proprijs manibus occidit, aut mutilat, quamuis omnes adiuuent se mutuo, vt constat ex capit. petitio. de homicid. ita fit in hoc bello particulari iusto. Hæc de homicidio in defensionem alterius vitæ dicta sunt.

Quantum autem ad defensionem bonorum temporalium graues Doctores tenent, nõ licere vlli ad solam defensionem bonorum temporalium occidere aggressorem, etiam si aliter illa conseruare non possit, licet quidem defendere, & in defensione vulnerare inuasorem, sed non occidere, in qua opinione fuerunt Innocen. cap. si vero. 1. de sen. excom. & Panor. cap. interfecisti. de homi. cum alijs. At contrariam partem tenent Anton. 3. p. tit. 4. cap. 3. Silu. bellum. 2. §. 2. Caic. 22. q. 64. art. 7. & Sotus lib. 5. de iust. q. 5. artic. 8. cum alijs multis. & hæc est veterior & probabilior opinio; in cuius gratiam sunt aliqua adnotanda.

Primò, personis religiosis, & Ecclesiasticis non licet occidere aliquem in defensionem bonorum temporalium, sed potius eorum iacturam pati debent, quam occidere, hoc dictum est commune, & habetur cap. interfecisti. & cap. suscepimus. de homicid. vnde si occiderent ea de causa, irregulares essent ex delicto, vt constat ex capitibus allegatis.

Secundo, non licet etiã secularibus personis, quando res est parui momenti, occidere inuasorem, sed potius est facienda

iactu-

iacitura hoc dictum est. Soti loco allegato, & ratio id confirmat.
Rursus, nec licet occidere, quando potuit comprehendi latro,
& eripi furtum, aut rapina de manibus eius citra mortem, et
etiam quando via est aliqua recuperandi bona, etiam si non
rapi permittantur. His tribus casibus non licet occidere, ut praefati
Doctores tradunt. extra hos vero casus dico.

Tertio, licere in bonorum temporalium defensionem in-
uaforem occidere, quando omnino aliter bona conseruari non
possunt hoc dictum probatur efficaciter ex cap. interfecti. de
homic. ubi ei, qui occidit se suaque defendendo, poenitentia
necessaria non imponitur, quia laicus erat, si tamen esset sa-
cerdos, tanquam reo homicidij imponitur grauis poeniten-
tia; hinc sumitur argumentum, si de defensione vitae sermo
ibi est, par est ratio laici, & sacerdotis, nec erat, cur vni poeni-
tentia, non alteri imponeretur, licet enim clericis occidere in
propriae vitae defensionem. Igitur sermo est de bonis tempo-
ralibus, in quorum defensione non licet clericis occidere, licet
autem laicis. Quod si dicas cum quibusdam, licere laico
defendere bona sua a latrone, & si latro conuertat se in per-
sonam laici, vel & eum occidere, ut bona rollat, tunc licet
occidere in defensionem vitae. Haec responsio nullius est mo-
menti, nec argumenti efficaciam minuit: nam si non liceret
in bonorum defensionem occidere, non etiam liceret in eo
casu occidere in defensionem personae: nam suae personae con-
sulere potest dimissis bonis. Si ergo tunc defendit personam,
& occidit licite, ideo fit, quia bona sua tueri licet, & inuaforem
occidere, si aliter ea recuperare non potest. Est igitur argu-
mentum efficax, quo dictum assertum confirmatur, & est que-
dam contradictio in Panorm. ipse enim, ut paulo superius dixi-
mus, tenet, in defensione vitae propriae illum non tenent fugere,
cui magnum dedecus fuga inferret, etiam si per fugam
posset euadere mortem, sed posse occidere inuaforem. Si ergo
ad defensionem honoris potest occidi licere inuafor, cur non
etiam ad defensionem bonorum temporalium, quando non
possunt aliter conseruari, nec est spes ea amplius recuperan-
di: adde, si id non liceret, vix bella multa iustificari possunt,
quae sunt ad temporalium defensionem, & in quibus multa
homicidia perpetrantur.

Quarto, qui occidit in bonorum temporalium defensionem,
irregularis est, non quidem ex delicto, sed ex defectu in
casu, in quo licet occidere. hoc est contra Aimil. ver. homici-

dium.

dium. §. 3. qui etiam ab irregularitate excusat, sed sine fundamento: nam Clemen. allegata solos eos excusat ab irregularitate, qui inuasorem in propria vitæ defensionem occidunt, aliter moriem evitare non valentes; ex quo sequitur, quod eum, qui occidit latronem volentem rapere bona, & occidere, si resistat esse irregularem, quia etiam si vitæ propriae consulat, tamen in eo casu non est necessariam occidere ad eam tuendam, cum possit dimissis bonis illam seruare, sicut & ille, qui possit fugere, tamen non fugit propter dedecus, & infamiam, utrumque licitè facit, tamen irregularis est, quod si est persona Ecclesiastica erit ex delicto, secus si latro utriusque simul insidiaretur, nempe vitæ, & bonis, quia utriusque liceret occidere, nempe clerico, & laico absque vlla irregularitate.

Quintò, defensio bonorum propriorum facit homicidium non quidem voluntarium, sed ex necessitate, sicut & defensio honoris in eo, qui potuit fugere. Siue ergo sit ex delicto, siue ex defectu, irregularitas hæc ex homicidio necessitatis procedit: nam bonorum propriorum defensio ad quamdam personæ defensionem pertinet.

Sexto, si quis, postquam latro rapuit bona, incontinèti eum persequitur, quia forsan amici in auxilium eius superueniunt, ut recuperet bona, quando spes nulla est alia via recuperandi, & tunc in conspectu, quia aliter bona recuperari non poterunt, occideret latronem; irregularis quidem esset, tamen non esset peccatum, ac si in ipsa ablatione occideret, quia idem actus propter temporis breuitatem reputatur. Hoc dictum est Gloss. cap. significasti. 2. de homic. nec est eadem ratio de eo, qui fugientem inuasorem vulneratus insequitur, & occidit, quia hæc est vindicta; non enim facit hoc, ut recuperet ablatum: nam vulnere accepto per id non medetur: at qui latronem insequitur, facit, ut sua recuperet, quæ vere possunt recuperari. Hoc dictum Glossæ probabile est.

De irregularitate ex homicidio casuali.

CAPVT LXXX.

Homicidium casuale, ut supra diximus, est, quod fit præter intentionem occidentis, aut id, vnde mors sequitur facientis: dupliciter enim aliquis homicidium ca-

suali

sualiter, & præter intentionem committere potest; vno modo immediate, quando est ipse causa proxima occidendi, vt in venatione proicit sagittam in ceruum, & præter intentionem configit hominem. Altero modo, quando est causa mediata, & remota, n̄pe ipse non occidit per se, sed fecit aliquem ex quo hominis occisio per alium facta est, aut per eundem, qui occisus est, vt qui leonem domi educauit, qui non bene custoditus occidit ingrediētem hominem, aut qui equum percussit, qui calce occidit puerum; aut qui iniuria lacessit liquem, qua commotus, qui ea affectus est, semetipsum occidit. Sunt huiusmodi casus multi, in quibus mors, aut mortis ratio præter intentionem occidentis, aut causam mortis dante conueniunt, & aliquando contrahitur irregularitas, aliquando verò non.

Quæ omnia Doctores communiter solent distinctione gemina explicare; nam qui occidit, aut causam mortis dedit, dedit operam rei illicitæ, ex qua opera mors est secuta, aut dedit operam rei licitæ, & si licitæ rei dabat operam, aut præmittebat diligentiam, ne mors sequeretur, aut non. Hæc distinctio est in Gloss. cap. sicut dignum. & cap. continebatur. de homic. in occen. cap. ad audientiam. & Panor. cap. continebatur. codic. & Præposi. can. i. d. 50. nu. 26. & S. Thom. 22. q. 64. art. 8. & est communissima, ex qua tres regulæ deducuntur, quibus tota hæc materia elucidatur.

Prima, qui operam dabat rei illicitæ, ex qua mors siue per se, siue per alium est secuta, etiam si sit præter eius intentionem, est irregularis ex delicto, etiam si omnem diligentiam præmiserit, ne quis occideretur. ita habet Silu. homic. 2. §. 2. & Co. uarr. & est communis sententia: quomodo autem limitanda sit, dicam capite sequenti:

Sotus verò lib. 5. de iusti. q. 1. art. 9. dicit hanc regulam non haberi iure expressam, sed Doctores communiter a contrario sensu eam collegisse ex nonnullis capitibus, in quibus quidam ab irregularitate excusantur, quia operam dabant rei licitæ, seu quia non dabant operam rei illicitæ; hinc colligunt, ergo irregulares essent, si darent operam rei illicitæ. ita habetur cap. dilectus. & cap. ex literis. 2. de homic. hæc dicit Sotus, nec est ad rem censura Nauari cap. 27. num. 221. dicentis, nimis audacter Sorum dixisse, non esse textum probantem, qui dat operam rei illicitæ esse irregularem, cum tamen argumentum a contrario sit validum in iure, hoc, inquam, non est ad rem.

quia

quia Sotus non negauit, immo expresse affirmauit à contrario sensu deduci ex textibus; nec dixit non esse textum probantem, sed non haberi in iure, sed Doctores collegisse, quod in iure non erat expressum: longe enim aliud est, hoc colligitur, & deducitur ex iure, & hoc habetur in iure. Omisssa ergo accusatione Nauarrum, vera obiectio contra Sotum, & contra eundem Nauarrum ea est, quia verè id habetur in iure expressum, & absque vilo argumento à contrario deductum: nam cap. is qui de homic. in 6. habetur, eum, qui mandauit verberari, expresse prohibendo, ne occideret, esse irregularem, si mandatus occidat, quia in culpa fuit mandando. Ecce homicidium præter intentionem, immo contra intentionem mandantis imputatur ad irregularitatem, quia in culpa fuit mandando; idem autem omnino est in culpa esse, & dare operam rei illicitæ. Huius regulæ exempla multa sunt.

Primò, qui percussit aliquem animo non occidendi, tamen verè mortuus est, etiam si sit ex medicorum, vel infirmi incuria, aut ex morbo occasione vulneris superueniente, est irregularis, quia operam dedit rei illicitæ, vnde mors est secuta.

Secundò, qui iniquam rixam cum altero habuit, & amici eius superuenierunt, & occiderunt illum eius intuitu, etiam præter voluntatem illius, irregularis est, quia dabat operam rei illicitæ, propter quam homicidium factum est; secus si superuenientes illum occiderunt non eius intuitu, sed quia inimicus erat etiam eorum, & propria de causa. ita Panormit. & Anani. cap. Petrus de homic. & colligitur ex eodem cap. quod intellige, si, postquam superuenierunt, non iuuit illos, nec à principio clamauit alios conuocando. aut aliquid aliud fecit, quod fuit causa mortis. ita Innocen. cap. significasti. de homic.

Tertiò, si quis percussit alterum, non lethaliter, nec animo occidendi, tamen vulneratus illo vulnere factus est impotens ad fugiendum, vel se defendendum, & sic ab alijs est occisus, etiam non intuitu percussoris, est irregularis. ita Anan. cap. significasti. num. 46. & ibi Panormit. si tamen nec animus erat occidendi, nec vulnus impediuit à defensione, nec intuitu eius occisus est, tunc non est irregularis.

Quartò, clericus venationi, in qua sagittæ, aut sclopetæ emittuntur, incumbens, & casu occidens, quantumcumque omnem

omnem prius diligentiam adhibuerit, irregularis est, quia operam dabat rei illicitæ, & talibus personis prohibita. Prae-
can. i. nu. 26. d. 50.

Quintò, clericus in maioribus, vel in minoribus habens, nescium, indulgens Chirurgiæ, in qua incisio vei adultro adhibetur, si ex eius incisione facta infirmus moriatur, quantumvis sit doctus ac peritus, & etiam si ex incuria propria infirmus moriatur, irregularis est, cap. tua nos. de homi. quia dabat operam rei talibus personis prohibita, cap. sententiam ne de. vel mona.

Sextò, qui mulierem pregnantem inhoneste ludens, per zonam arripuit, unde sequitur abortus animati foetus, irregularis, cap. sicut 2. de homi. quia dabat operam rei illicitæ.

Septimò, qui absque consilio medici potionem dedit infirmo, ex qua mortuus est, quamvis bono animo fecerit, irregularis est, quia dabat rei illicitæ operam, cum non esset peritus in arte. ita Innocen. cap. tua nos. de homic. unde custo dicitur infirmum, & dantes aquam, vel vinum contra mandatum medici, vel sine eo, unde mors est secuta, sunt irregulares, Prae-
can. i. d. 50. nu. 27.

Octauò, qui in torneamētis alterum percutit, etiam animo ludendi, & vires exercendi, si moriatur ex vulnere, irregularis est, quia rei prohibita operam dabat, est enim prohibitus ludus hic cap. feliceis de torneam.

Nonò, qui infantes tenellos in lecto secum collocant & opprimunt dormientes, sunt irregulares, quia dant operam rei illicitæ, cum id sit prohibitum can. consulisti. 2. q. 5. Quod si propter paupertatem coacti sunt in eodem lecto collocare, & non adhibuerunt diligentiam, & opprimant, sunt irregulares, secus si adhibuerunt diligentiam.

Altera regula est, qui operam dat rei licita, si tamen non adhibuit prius diligentiam, ne mors sequeretur, si ea postea sequatur, irregularis est; eundem enim effectum facit dare operam rei illicitæ, & dare operam rei licita, non adhibita diligentia, ne mors sequatur, quæ diligentia tunc est adhibenda, quando aliquod est periculum, in opera ipsa licita, alias non est operam diligentia, quod adnotat Panormit. cap. ex literis. 2. de homic. dicens, non teneri aliquem clamare, quando proicit rem in locum solitum, & per quem nullus cōsuevit petranfire. idem Ana. ibidem. Huius regulæ sunt aliquot exempla.

Primo

Primò, secularis, cui venatio ferarum cum sagittis, & sclo-
petis non est interdita, si casu occidat aliquem, quia nō præ-
misit diligentiam, vt si prope viam venabatur, aut in loco, in
quo solent esse homines, irregularis est, quia etiamsi daret o-
peram rei licita, oportebat prius diligentiam adhibere, quan-
do locus ille hominum commercio vicinus erat, aut aliqui in
eo versari soliti erant.

Secundo, tecta mundans, lapidesq; projiciens in via, si casu
percutiat transeuntem, & occidat, irregularis est, si non adhi-
buit diligentiam, ponendo signa, vt caute viatores transirent,
aut prius clamando, vt omnes cauerent.

Tertiò, presbyter volens corrigere puerum de sua familia,
cingulo, quo cingi solebat verberauit, contigit quod cultel-
lus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus eum in dorso
vulnerauit, & occasione vulneris mortuus est, irregularis cen-
setur cap. ad audientiam de homi. non enim diligentiam de-
bitam adhibuit, etiamsi daret operam rei licitæ.

Quartò, qui puerum quendam intuitu disciplinæ percussit
in capite, & post paucos dies occasione vulneris interiit, vel in
aliam infirmitatem, ex qua mortuus est, incidit, irregularis
est, quia non adhibuit modum, & diligentiam in disciplina a-
lias licita, cap. presbyterum. de homic.

Quintò, quidam laicus ludens cum Diacono insiluit equi-
tans super eum, casu autem percussus est a falcæ Diaconi, quæ
ad larus habebat, & ex vulnere expirauit, Diaconus irregularis
efficitur, cap. continebatur, quia incautus fuit; debuit enim in
tali ludo prius falcem à se remouere. Quamuis ergo daret rei
licitæ, & non prohibitæ operam, tamen diligentia non fuit
adhibita.

Sextò, Chirurgus, aut medicus, etiam secularis, qui licitæ
rei operam dat, si ex incuria sua, & imperitia, quia scidit infir-
mum, aut potionem dedit, quando non oportuit, & inde mor-
tuus est infirmus, est irregularis, quia non adhibuit debitam
diligentiam.

Septimò, qui infirmum morti proximum de loco mouet,
ideoq; infirmus citius moritur, irregularis est, etiam si bono
sine, & non intentione id mortis faciat, si tamen id incautè, &
non adhibita diligentia faciat.

Octauò, qui leonem, aut vrsū, aut cornupetam taurū ha-
bet, & non adhibet diligentiam, vt, si leo, aut vrsus, aut simile
animal sunt, ligati sint, & benè custoditi, aut habet in vijs pu-
blicis

blicis etiam ligatos, si casu transeuntem occidant, irregularis est. Si etiam est taurus cornupeta in agris, & ille non praenet, vt viatores à via declinent, aut diligentiam adhibere viatores offendat, est irregularis. si homicidium sequatur, his casibus irregularitas est ex opera licita, quia diligentia adhibetur.

Nonò, qui mittit puerum ad aquandum equum in flumine, etiam si moneat, vt caueat, si casu suffocetur, irregularis est, quia non adhibuit omnem diligentiam. ita Prepositus can. i. d. 50. numer. 26. allegans Hostias. quamuis hoc potius ad regulam præcedentem pertineat, quia dabit operam diligentiam.

Tertia regula, Quando aliquis operam dat rei licitæ, adhibet diligentiam, ne sequatur mors, si casu aliquo, & præ intentionem eius sequatur, non est irregularis. Huius regulæ habemus multa exempla etiam in iure.

Primò, in cap. laior. de homic. Dum quidam cum quodam clerico luderet, & eum proieceret in terram, cultellus, quem proiectus clericus habebat, incidit in proiecientem, & percussus occubuit, hic non est factus irregularis, quia non dedit operam rei illicitæ, & casus fuit omnino fortuitus, vbi attendit quod supra adnotavi, diligentiam esse adhibendam, quando inest aliquod periculum. secus non est necesse; ludus enim hic non erat periculosus, sed casu contigit, vt proieceretur in terram clericus; si enim periculosus esset, debuerat ante ludum clericus projicere cultellum, & non proiecto defuisset necessaria diligentia, sicut defuit in illo, de quo supra diximus ex cap. no. d. ientiam. de homi. qui irregularis fuit, quia falcem non abiecit, ludus enim ille erat periculosus: at non hic de quo nunc loquimur.

Secundò, in cap. dilectus. de hom. Quidam Capellanus cum quadam corporis molestia grauaretur, vt comedendi appetitum excitaret, equum, quem nutrebat, ascendit, qui cum bene pareret habenis, sed præter sessoris arbitrium saltibus lasciuiret, ipse vt refrenaret equi impetum, freno vim intulit, & calcariibus stimulauit: equus autem freno fracto currens festinanter, abiecto sessore irruit in mulierem baiulantem puerum, ipsumq; puerum oppressit. talis non censetur irregularis, non dedit enim operam rei illicitæ, nec culpam vllam in hoc commisit. Vbi aduertit, hunc nesciuisse equum esse ferocem, si nesciisset, & ipse imperitus esset equitandi, aut si peritus esset.

non curasset freno vii forti, quod facile rumpi non posset, effect irregularis, quia diligentiam non adhibuit, vt ibi dicit Glof. & hic est casus in cap. significasti. de homicid. vbi equus Bucadurus, prater voluntatem clerici sedentis, mulierem interfecit raptus in cursum, hic, quia nesciebat prius vitium equi, non censetur irregularis, sed ad cautelam ei imponitur pœnitentia.

Tertio, in cap. ex literis. de homi. Cum quidam presbyter fenum de curru deponere vellet, perticam superius alligatam proiecit in terram, postea puerum quendam iuxta currum seminium reperit, in quo prater luorem in fronte nihil inueniri potuit lationis, qui mortuus est. hic accessit ad Papam, qui cum intelligeret, presbyterum, antequam proiecisset perticam, circumspexisse diligenter circum circa, an vllus esset circa currum, declarauit eum nō esse irregularem, quia dabat operam rei licitæ, & adhibuit diligentiam. adicit Papa, quod si laborat infamia, aut scandalum est, nimirum quia eum culpabilem ceteri putant, non debet sine purgatione permitti celebrare, que intellige, quia non creditur debitam diligentiam adhibuisse. Debet ergo purgari, vt constet adhibuisse diligentiam, quod ad forum exterius pertinet.

Quarto, cap. ex literis. 2. de homi. Quidam monachus campanam de campanili deponere, lignum autem ipsa motione cadens puerum occidit. hic si rem vtilem agebat, & in loco, per quem aliquem eo tempore transire, aut ibi existere, aut illuc venire consuevit non erat, non censetur irregularis adde si tamen eo tempore fecit, quo aliqui ibi esse, aut transire consueuerant, nec adhibuit diligentiam, aut si rem non bonam agebat, quia malo aliquo fine campanam dimouebat, tunc esset irregularis, quia aut daret operam rei illicitæ, aut, si licitæ, non adhibuit diligentiam debitam.

Quinto, cap. exhibita. de homic. Puer cum contrariis ludens, & vnum insequens illorum, lapidem, non animo lædendi, sed timorem incutiendi proiecit, ille in alterum lapidem corruens caput offendit, & mortuus est, tum propter imperitiam medicum propter incuriam patris. hic non censetur irregularis, quia non dabat operam rei illicitæ, nec vlla in hoc diligentia adhiberi potuit, vbi aduerre, Innocen. hunc textum intelligere, quando qui corruit, & offendit in lapidem, non id fecit timore, vt declinaret propter proiectum lapidem, tunc enim esset projector irregularis, at re vera textus loquitur de eo,

qui timens lapidem, etiam à tergo proiectum declinauit, dicit, quamuis non sit lapide percussus, nec tactus, tamen ruens offendit in alium lapidem, quasi diceret, motu lapidis proiecti territus declinauit, & corruit, vt fieri solet; declinamus enim solemus in alteram partem, quando proiectum lapidem à tergo sentimus, & ita Panorm. ibi textum intelligit, & G. ibi dicit autem ludum esse noxium, tamen excusari, quia incuria patris, & imperitia medicorum ille mortuus est, sed hoc non recte dicitur: nam si dabat operam rei illicitæ, etiam incuria alterius percussus est mortuus, ille est irregularis. Præmitan. dicit, ludum licitum pueris ante annum pubertatis, deo non esse irregularē, secus si adultus esset, aut si magnam lapidem proiecisset, qui grauem timorem incurreret. eorum etiam in adulto non inducere irregularitatem, quando lapis est paruus, & non projicitur ad percutiendum, sed ad leuitemorem incutiendum; esset enim leuissima culpa, quæ non facit irregularem, vt paulò post dicemus, idemque dico, quando duo inuicem ludunt, & oua, aut poma inuicem projiciunt, in casu aliquis declinans caderet, & percussus ligno, vel lapide expiraret, non puto esset irregularis projector, quia leuissime hæc sunt; & non censetur illicitus ludus, secus si magnos lapides, aut ligna projicerent, tunc esset illicitus ludus, & induceret irregularitatem, vt dicit Præpositi. can. 1. d. 50. numer. 26.

Sextò, in cap. Ioannes. de homi. Quidam sacerdos pulsauit campanam, vt signo dato populus conueniret, casu cecidit tintinabulum, & puerum occidit, non est irregularis, quia dabat operam rei licitæ, nec casus omnes fortuitos proinde potuit. vbi aduerte, tunc diligentiam adhibendam, quando periculum imminet, vbi autem nullum est, est casus omnino fortuitus: esset autem culpa, quando sciebat tintinabulum non bene ligatum, aut alias cadere solitum, in quo casu esset irregularis. Hi sunt casus in re expressi, per quos multi alij deducuntur.

Septimò, si quis ludens pile ludo, quem vocant palamaglo, in loco, per quem non solent aliqui pertransire, & facta diligentia, si aliquis forsàn adest, clamando, casu occidat, non erit irregularis, secus si in via publica, aut non facta diligentia.

Octauò, scindens ligna prope viam, aut in loco, vbi adstant aliqui, si casu ferrum resiliat, & occidat aliquem, est irregu-

is, quia non praeiussit diligentiam; secus si diligens fuit, adstantes aduertendo, aut praecauendo, ne resillire ferrum facile posset, aut in locis solitarijs incidendo. can. qui arbores. d. 50. & can. saepe contingit. eadem.

Nono, Chirurgus laicus, aut in minoribus non habens beneficium, aut medicus, qui peritus est, & diligentiam adhibet, ne ex incuria infirmus moriatur, si casu infirmus moritur ratione medicamenti exhibiti, in quo peritus errare potuit, non est irregularis, non enim omnia sciri possunt, nec omnis error praecaueri, quod si imperitus, vel negligens, & ex eius imperitia, vel negligentia mortuus est infirmus, erit ille irregularis. Innocen. cap. tua nos. de homicid.

Decimo, si duo secabant arbores, & instante arboris casu, vnus illorum dixit alteri, fuge, hic vero fugiens oppressus est ab arbore cadente, ille non est irregularis. can. si duo fratres. d. 50. His exemplis haec tertia regula manifesta est.

De nonnullis alijs circa huiusmodi regulas.

CAPVT LXXXI.

QVia per tres regulas praecedentes Doctores decidunt omnes casus, qui ad irregularitates ex homicidio casuali prouenientes spectant, idcirco aliqua sunt declaranda, & obseruanda.

Primum est, hoc esse peculiare in homicidio casuali, vt vbi nulla est culpa, nempe quia non datur opera illicitae rei, & diligentia debita adhibetur, nulla sit irregularitas, vnde in homicidio casuali nulla est irregularitas, quae non sit ex delicto; quando enim non est delictum, non est irregularitas: in voluntario autem homicidio, aliquando est irregularitas ex defectu, aliquando ex delicto, quia etiam sine culpa incurritur: in homicidio etiam necessario, & ad defensionem, aliquando sine culpa contrahitur; proo aliqua ex defectu, aliqua est ex delicto, et in casuali, vbi cessat culpa, cessat irregularitas. ratio autem discriminis est, quia in voluntario, & in necessario homicidio, quamuis non sit culpa, non propterea deest voluntas occidendi; at in casuali, quando nulla est culpa, nullo modo est volitum, vnde merum casuale non procedit ab hominis voluntate. Hoc dictum, nempe in casuali, vbi culpa non intercedit, nullam esse irregularitatem, est S. Thom. 22. q. 64. artic. 8.

& Panormit. cap. ad aures. de eta. & qualn. & Præposi. cap. 50. num. 26. nec in hoc est recipienda Gloss. cap. dilectus. de homic. quæ tenet in hoc casu irregularem esse eum, qui non est promotus, ne promoueri possit: sed eam Glossam reprehendit Panormit. in eodem cap. dilectus. Nec contra est canon, si quis non iratus. 15. q. 1. vbi videtur irregulari qui casu, nulla præcedente culpa, occidit; sed Glossa ibi non respondet, non esse illud verbum (secundum legem repositi) intelligendum de lege promotionis, quasi ille, ordinari non posset. sed secundum legem veterem reputatum esse homicidam, vt à parentibus occisi extra Vrbes refugii occidit impune posset. Alij aliter respondent; veritas tamen hæc est, nullam esse irregularitatem in homicidio casuali, in nullo datur opera rei licitæ, & nulla est negligentia, quod fatuenter confirmatur ex cap. Ioannes. cap. lator. & cap. dilectus, de homicid. & alijs allegatis in explicatione regulæ.

Secundò, in eisdem regulis adnotandum est secundum Sotum lib. 3. de iusti. q. 1. articu. 9. & Couarru. & Socin. cap. ad obedientiam. de homicid. & Ancha. cap. vltim. de homicid. non non quancumque operam illicitam censerit illicitam, ad effectum inducendi irregularitatem in casuali homicidio ex opera illicita subsecuto, sed quando opera illa ex genere suo est periculosa, & inductiua homicidij; si enim talis non est, quauis sit alio ex capite illicita, & aliquo casu sequatur ex ea homicidium, non propterea erit dicendus ille dare operam illicitam, & irregularem. Couarru. addit, quod etiam erit illicita, etiam si ex suo genere non sit ordinata ad mortem: si tamen talis sit, quod ex ea frequenter sequitur mors, quod exemplis Sotus, & Couarru. manifestant, ex ijs, quæ supra diximus, nempe qui campanam pulsauit, & tintinnabulum cadens in se occidit puerum, diximus non esse irregularem, quia dabat operam rei licitæ, & non potuit præuidere omnes causas, ponamus, quod tempore interditi, aut indebito sonitus opera erat illicita, quia prohibitio tempore, non tamen propterea erat irregularis, quia non est illicita, quasi periculosa, & inductiua homicidij, quia rarissime illud accidit. Similiter qui equitabat, & casu equo freno fracto irruit, & occidit puerum, diximus non esse irregularem, quia dabat operam rei licitæ, ponamus, illam equitationem illicitam, quia nocuerat sanitati illius, non propterea fit irregularem, quia equitabat

ex

ex suo genere non est periculosa, nec inductiua homicidij. Rursus, qui secabat arborem, adhibita omni diligentia, casu occidit hominem, irregularis non est, quia dabat operam rei licitæ. ponamus non esse propriam arborem, sed furtum committere, erit illicita, at non propterea erit irregularis. Deniq; opera illicita debet esse talis, vt sit ex suo genere, & non per accidens periculosa, aptaq; ad inferendum homicidium, aut ex qua frequenter id sequitur, id quod omnia exempla posita in prima regula ostendunt.

Hanc doctrinam cum positis exemplis non existimo absolute probandam, vt pote contra textus canonicos, & contra communem sententiam: sed distinctione opus est tali; aut enim opera illicita est causa immediata homicidij, nempe per quam occiditur homo, vt quando aliquis mittens sagittam, aut scindens arborem, aut proiciens lapidem, aut simile quid faciens, occidit hominem; aut est causa mediata, nimirum quando aliquid fecit, vnde mors hominis aliunde euenit, vt qui commisit adulterium, propter quod adultera occisa est à marito: aut protulit verbum iniuriosum, propter quod iniuria affectus se ipsum occidit; aut induxit alterum ad rixam, in qua occisus est ab aduersario. Sunt alij similes casus, in quibus opera illicita non est causa immediata homicidij, sed ex qua sequitur homicidium ab alio, seu alia actione, & opera factum.

Est autem magnum discrimen inter hæc, quando enim opera illicita est immediate causa homicidij, quomodo cumque sit illicita, & prohibita, facit hominem irregularem, etiã præmissa omni diligentia; quantum enim ad irregularitatem inducendam, satis est talem operam prohibitam facere, à qua homo abstinere debuit, hæc enim canonum est dispositio expressa: nam in cap. ex litteris. 2. de homicid. casus fuit de quodam monacho de poente campanam de campanali, accidit autem, lignum corruere, & puerum occidere: consultus Papa de irregularitate, respondit, eum non esse irregularem, duabus conditionibus positis; Vna est, si rem necessariam, & vtilem agebat, quod disiunctiue intelligunt Panormitan. & Ana. ibidem, nempe si necessariam, aut vtilem rem agebat. Altera est, si nullus tunc de consuetudine illuc solebat transire, aut illic existere. A contrario ergo sensu, si rem non vtilem agebat, erat irregularis, & ita Hostien. Panor-

mitan. & Anan. notant, addens Ana. quod si id agebat, furabatur, aut mala de causa deponebat campanam, irregularis. Quādo igitur opera est causa immediata mortis, quomodocumque sit illicita, inducet irregularitatem, quod est prorsus modo iudicandum est de casibus à Couarr. & Sot. suum fauorem propositis.

Primò, de eo, qui campanam pulsabat, & tintinabulum caedens occidit, dico si tempore interdicti, aut mala de causa sonabat esse irregularem, quia operam dabat rei illicitæ, quæ fuit immediata causa mortis; vnde textus cap. Ioannes. cap. sap. it illum ab irregularitate, qui sonabat, vt populum congregant, ad diuina conuocaret. idem dico de illo, qui equitabat causa illicita: nam textus cap. dilectus. loquitur de eo, qui inuitatis gratia equitabat. Rursus, qui, scindens arborem, aliter furto occidit, est irregularis, vt recte Siluest. ver. homicidium. 2. §. 12. dixit, quidquid dicant Sotus, & Nauarr. qui non aduertunt distinctionem; omnes enim isti non agebant rem vitalem, & sunt immediatæ causæ occisionis, ergo sunt irregulares, per cap. ex litteris. allegatum, vnde recte Caietan. 2. quæst. 64. artic. 8. dicit, qui equitationi incumbens occidit casu, quando equitatus est ei prohibitus, est irregularis, quia dabat operam rei illicitæ, & quamuis non semper incurrat reatum homicidij, quantum ad culpam, quia rarissime id accidit, & præter omnem iuris voluntatem, tamen quia dabat rei illicitæ operam, canones imputarunt quantum ad irregularitatem, quod valde adnotandum est, non enim semper imputatur homicidium ad reatum homicidij, quamuis imputetur ad irregularitatem, quia canones id decreuerunt propter culpam aliam inuentam in tali opere.

Quando verò illicita opera non est immediata causa homicidij, tunc puto distinguendum, aut erat periculosa ex se, aut ex circumstantia aliqua, vel consuetudine, aut non: si erat periculosa, inducit irregularitatem, si non adhibita sit diligentia: si verò non erat periculosa, non inducit irregularitatem. hoc exemplis declaratur, qui vinum bibit, se inebriando, si postea occidit hominem, vti superius diximus cum multis Doctoribus, non erit irregularis, quamuis dederit operam rei illicitæ inebriando se, quia hæc inebriatio non est causa immediata mortis, nisi quando ipse nouit, se in ebrietate furere, nec enim diligentia tenetur adhibere, alias erit irregularis, sicut in eo, qui dormiens occidit inimicum; is enim non erit

irregu-

irregularis, nisi quando nouit periculum. Idem dico de eo, qui irritauit aliquem iocosis verbis importune, aut iniuriosis, unde postea ille se occidit, non erit irregularis, etiamsi daret operam rei illicitæ, quia non est immediata causa, nec periculosa, nisi quando nouerat illum esse furibundum, & nimis extra se exire similibus verbis. Idem dico de eo, qui commisit adulterium, aut stuprum, propter quæ occisæ sunt à marito, vel parentibus foeminae, ille non erit irregularis, nisi quando periculum aliquod imminabat, ut quia erant foeminae nobiles, aut maritus, vel parentes tales, de quibus præsumi poterat eos scire posse, & scientes occisuros. Hæc confirmantur ex c. is, qui de sent. excomm. in 6. ubi qui mandauit percutere, prohibendo, ne occideret, irregularis est, non solum quia in culpa fuit mandando, sed etiam quia periculosum erat, & verisimiliter id potuit cogitari.

Hinc resolutio patet cuiusdam casus de eo, qui cum sollicitaretur ab aliqua inhonestè, dixit, noli me sollicitare, alias me interficiam, ille sollicitare non desistit, unde factum est, ut ille se occideret, profecto est irregularis, etiamsi causa mediata fuerit homicidij, quia dabat operam rei illicitæ, quæ ex circumstantia quadam erat periculosa, quia ille sibi comminatus erat mortem, nec tamen se abstinuit à sollicitando: non tamen esset irregularis, si nihil tale cogitando ille se occideret, quia non erat verisimile illud euenturum. Per hunc casum multi similes decidi poterunt.

Aduerte tamen, quod si opera esset licita, & maximè obligatoria, tunc non esset irregularis, etiamsi sciret illum sibi mortem illaturum, quod docet, & exemplis declarat August. 23. q. 5. can. cum homo. de eo, qui comminatur se occisurum, nisi aliquis sibi in re inhonesta consentiat. hic, si non consentiat, non erit irregularis, etiam si ille se occiderit. Similiter si comminatur sibi mortem inferre sibi, si à prælato, vel à patre corrigatur. similiter, si quis vult se occidere, si quis non det illi centum aureos dono. Denique sunt multa huiusmodi, in quibus, quando scandalum passuum. si illi se occidant, nulla est culpa, nec irregularitas beneficentium.

Vnum superest in his regulis declarandum, cum homicidium casuale non imputetur ad irregularitatem, nisi ei, qui fuit in culpa, quanta culpa sufficiat ad eam contrahendam. Aduerte ergo ex Bart. l. quod Nerua. ff. de posit. & Panox. c. vni. de

commoda culpam, de qua nunc agimus, dici deviationem ab eo, quod rectum est, quod per hominis diligentiam praederi poterat; culpam enim nunc appellamus negligentiam, omissionem eius, quod potuit, & debuit fieri. Est autem triplex, lata, levis, & leuissima. Lata culpa est ommissio illius diligentiae, quam communiter homines illius conditionis, & professionis adhibere solent; verbi gratia, dedi tibi librum commodato, tu reliquisti in bācho ante domū, unde furto subreptus est, eris in culpa lata, quia in custodiendo non adhibuisti diligentiam, quae communiter ab hominibus solet adhiberi; solent enim communiter homines maiorem in his adhibere diligentiam. Levis culpa est ommissio diligentiae, quam non omnes communiter adhibere solent, sed diligentiores; verbi gratia, dedisti pecunias mercatori, qui communiter habetur bonae fidei; perdidisti, quia ille talis non erat, levis est culpa, quia homines diligentiores inquisitionem maiorem solent facere. Leuissima est ommissio diligentiae, quam exquisitissimi homines solent facere; verbi gratia, commodatum in arca posuisti, & reserasti; at re vera mansit aperta, quia non tentasti manu, an esset clausa, est leuissima culpa, quia id non faciunt nec diligentiores, sed homines diligentissimi, & valde cauti. Est ergo difficultas, quantum inducat irregularitatem in casuali, quando non adhibetur debita diligentia. Gloss. capit. significasti. i. de homic. affirmat in eo, qui operam rei licitae dabat, etiam leuissimam culpam inducere irregularitatem; sed re vera, exempla quae Hostiensis & Ioanna Andr. ibi adducunt, potius ad leuem culpam pertinent. multa de hoc dicunt Silu. homic. 2. §. 15. & Angel. & ceteri Summistae, haec tamen, quae subiungam, probabiliora videntur.

Primo, quando homo non est causa immediata homicidii casualis, sed aliunde accedit mors, si dabat operam rei licitae, lata culpa inducit irregularitatem, non levis nec leuissima. hoc est Innocent. c. ad audientiam de homic. & Praposition. canon. de 50. num. 27. qui loquentes de eo, qui habet leonem, aut vulpem, qui ex illius negligentia occiderunt quaedam, affirmant latam culpam, & negligentiam dissolutam inducere in hoc casu irregularitatem.

Secundo, quando dabat operam rei illicitae, etiam si non sit causa immediata homicidii in quacumque culpa, est irregularitas, immo, ut diximus superius, aliquando etiam adhibetur

bita omni diligentia, est irregularis. hoc est Silue. homic. 2. §. 2. & 15.

Tertio, quando vero est causa proxima, si dabat operam rei illicita, sufficit etiam quælibet culpa: nam si, quando est causa mediana, est irregularis, multo magis quando causa immediata, ut quæ dat potionem infirmo, cum non sit medicus; qui in venatione prohibita occidit. denique etiam omni adhibita diligentia sit irregularis.

Quarto, si vero dabat operam rei licita, tunc distinguendū est, aut enim est causa in omittendo, ut si mortuus est aliquis infirmus, quia ipse omisit adhibere diligentiam, tunc non sufficit leuissima, sed leuis; vnde medicus, ex cuius negligentia mortuus est infirmus, irregularis erit, si sit leuis culpa, quamuis Couarru. putet esse, etiam si sit leuissima, quando medicus tenebatur mederi, quia erat mercede conductus: sed puto, quantum ad irregularitatem nihil id facere: hoc verum est, illum teneri ad maiorem diligentiam adhibendam, tamen non propterea esset irregularis, si ex leuissima culpa moreretur infirmus.

Quinto, si dabat operam rei licita, & ex eius culpa mors immediate sequitur in committendo, erit irregularis. hoc teneo contra Silue. 11. homic. 2. §. 2. & 15. cum Couarru. qui putat, in committendo esse satis leuissimam culpam, & argumentum est ex 2. quæst. 5. can. consului. vbi, qui opprimunt filios in lecto secum dormientes, etiam quando id sine peccato facere possunt, quia pauperes sunt, nec habent vbi illos collocent, ex quavis culpa etiam leuissima teneri; quod si in culpa fuerunt, quia habebant vbi eos collocarent, non tantum irregulares sunt, sed rei homicidij, & hoc est quod ibi Glossa adnotat.

Vbi aduerte, quod ex incuria parentum tripliciter infantes mori possunt.

Vno modo, ex incuria sola, sine actu, aut tactu ipsorum, ut quando in cunis suffocantur ex parentum negligentia. Et hic est posterior casus, cap. quæsitum. de pœna. & remis. vbi Panorm. adnotat, incuriam leuem in hoc casu inducere irregularitatem.

Secundo modo, ex parentum procuratione, aut studiosa negligentia nimirum quia ipsi procurarunt mortem illorum, ipsos opprimendo, aut studiosè neglexerunt, nempe non adhibuerunt diligentiam, hoc sine, ut illi in cunis suffocaren-

tur; &

tur; & hic est casus prior, c. quæsitum, & hoc homicidium est casuale, sed voluntarium, quod maximè adnotandum, quod quidam non aduerterunt: nam quod aduenit ex pro-
ratione, aut negligentia studiosa, non est præter voluntatem, nec est casuale.

Tertio modo, quando in lecto iuxta parentes positi, ab ipsis opprimuntur dormientibus, citra voluntatem eorum, tunc fuerunt negligentes committendo, quia per actum eorum occisi sunt; & hic est casus can. consulisti. 2. quæritur, & sufficit quæcunque negligentia, etiamsi darent operam licitæ, & bona intentione id facerent, tenentur de quibus negligentia.

De homicidio lingua perpetrato.

CAPVT LXXXII.

HAtenus de homicidio, quod factum committitur, locuti sumus, tam voluntario, quam necessario, & casuali, nunc de eo, quod lingua fit (hoc enim vocabulo Doctores vtuntur) agendum est: nam quantum ad irregularitatem attinet, non solum homicida est, qui per se occidit, aut mutilat, sed qui alios ad occidendum, vel mutilandum inducit, mandato consilio, aut defensione; his enim tribus modis homicidium linguæ committitur, vt habetur can. si quis viduam. d. 50. & cap. 2. de cl. pug. in duel. circa quæ tria sunt consideranda. Vnum est, in quo Doctores conueniunt, nempe, nisi interueniat homicidium factum, numquam solius linguæ homicidium inducere irregularitatem; qui enim mandat, aut consulit, aut opem fert, & defendit, vt homicidium fiat, si non perpetratur homicidium factum, non incurrit irregularitatem.

Alterum est, hæc homicidia linguæ committi in homicidio voluntario, necessario, & casuali, in vnoquoque enim horum, qui aliquid horum trium facit, nempe consulere, mandare, aut defendere, irregularis est, quod qualiter fiat, explicabitur statim.

Tertium est maximè memoriæ mandandum, nimirum non semper eandem irregularitatem contrahere homicidium linguæ cum homicida facti, id est, non qui consulit, mandat, aut defendit homicidium voluntarium, est ipse homicida voluntarius, nec qui consulit, mandat, aut defendit necessarium, ipse est necessarius, si militer de casuali: sed sæpè contingit, vt

homi-

homicida linguæ sit irregularis vnius speciei, & homicida facti sit alterius, imò aliquando homicida linguæ est irregularis, non autem facti, quod ijs, quæ dicemus, notum fiet, aliqua tamen exempla nunc proponam.

Primo, iudex iuste occidi mandat reum dignum morte, & est irregularis ex defectu; tamen si minister occidit animò vindictæ, est irregularis ex delicto. Similiter clericus consulit laico occidere bannitum, laicus iuste occidit, tanquam minister publicus iustitiæ; tamen clericus inique consulit, aut mandat, aut iuuat, quia prohibitum est id clericis; vnde ille irregularis ex defectu, hic vero ex delicto est. Similiter vnus se defendens occidit, non est irregularis; at qui consulit, aut mandat, irregularis est. imò respectu eiusdem homicidij, qui mandat, est vno modo irregularis, & qui consulit, altero modo: nam iudex iuste mandat interfici malefactorem: at persona Ecclesiastica delinquit consulendo iudici, vt occidi faciat, & ille ex defectu, hic ex delicto est irregularis.

De irregularitate ex mandato.

CAPVT LXXXIII.

Agrediamur ergo singula homicidia linguæ explanare, incipientes ab homicidio, quod fit mandato. Qui mandat alteri, vt occidat, aut mutilet, vel aliquid, vnde procedat mors, aut mutilatio, irregularis est, cap. si quis viduā, dist. 30. quod quando, & quomodo fiat, sequentibus dictis explanatur: est enim aduertendum, aliquando mandantem non esse irregularem, etiam si sit irregularis mandatarius; aliquando e contrario, mandantem esse irregularem, non autē mandatarium; aliquando vtrumque esse irregularem. Præterea mandantem aliquando ex defectu, & voluntarium, aliquando voluntarium ex delicto, aliquando à casu. Hæc omnia ordine exponenda sunt.

In primis sunt casus, in quibus mandans non est irregularis, etiam si mandatarius sit.

Primo, legum conditores, qui statuunt mortis pœnam malefactoribus, non sunt irregulares, etiam si iudicantes, & pœnam mortis secundum leges infligentes sint irregulares. ita habet Archid. 23. q. 5. can. officia. vbi cap. sam adfert, quia, qui tales condunt leges, & præcepta, non intendunt homines oc-

cidere,

cidere, sed arcere à malo, timore pœnarum. cum Archi. fe
Præposi. can. i. d. 50. num. 37.

Secundò, prælati, & personæ Ecclesiasticæ, iurisdictione
habentes temporalem, possunt, & debent curam administ
di iustitiam secularibus demandare, quibus si iniungant, ut
ministrent iustitiam contra malefactores, etiam si sciatur
hoc, aliquos morte plectendos, & de facto interficiantur, sine
que propterea officiales, & mandatarij irregulares, non sunt
ipsi mandantes irregulares, cap. Episcopus. ne Cler. ver. ma.
in 6. possunt etiam huiusmodi personæ Ecclesiasticæ dicitur
mandatarijs, & ministris suis, non patiaris malefactores vne
re, secundum Arch. can. si quis viduam d. 50. & Glo. e. clericus.
Cler. ver. mon. & secundum Silu. ver. homicidii i. 5. 11. possunt
dicere, super maleficio tali inquire, & administra iustitiam, nec
erunt irregulares, dummodo non mandent occidere, aut mu
tilare. hac eadem de causa inquisitores tradentes hæreticum
Curie, etiam si sciant comburendum, non sunt irregulares, ut
dicit Hosti. c. ad audientiam. de homic. est enim hoc eis per Se
dem Apostolicam concessum.

Tertiò, qui mandauit aliquid licitum, nec potuit verisim
liter cogitare mortem alicuius, aut mutilationem ex cogit
si postea mors sequatur, non erit irregularis, quamuis manda
tarius irregularis sit. hoc est Innocen. & Panorm. & ad audi
entiam. de homi. Vnde, si quis mandat filium, aut seruum in
correctionem verberari homini modesto, & de quo nihil tale
est timendum: postea verò hic modum correctionis exce
dat, & occidat, aut mutilet, non erit mandans irregularis, sed
mandatarius. Similiter, qui mittit seruos venatum venatione
licita, præcauens, & admonens, ut adhibeant diligentiam, ut
casu aliquis occidatur, aut quos cognoscit tales, qui omnem
prius solent adhibere diligentiam, si postea ipsi, non adhibita
debita diligentia, aliquem casu interficiant, non erit mandans
irregularis; secus, quando mandauit aliquid illicitum, aut ille
citum, potuit verisimiliter cogitare, aliquid simile euenturum
& non adhibuit diligentiam, ut diximus de casuali, & potest
etiam dicemus.

Quartò, qui re integra reuocauit mandatum expressè, & si
ne fictione, quod de aliquo occidendo dederat, tamen postea
mandatarius occidit, non erit mandans irregularis, secundum
Innoce. c. ad audientiam. de homi. immò secundum eundem,
satis erit reuocasse mandatum tacite; ut, si sciante mandato

paren-

parentelam fecit, aut pacem iniit cum aduersario, contra quē dederat mandatum. idem dicit Anchar. c. ad audientiā. de homic. nu. 8. & Anani. eodem c. nu. 9. Hęc reuocatio non habet locum in consulente, vt inferius dicemus. Quidam affirmant, quādo mandans cognoscit mandatarium non mutasse animū per reuocationem ipsius, teneri admonere eum, contra quem est mandatum datum, vt sibi caueat: sed Panor. c. Petrus. de homic. tenet, non esse necessarium.

Quintò, qui mandauit alteri, vt occideret, & hic re vera non occidit nomine mandantis, sed nomine suo proprio, quia eius erat aduersarius, mandans non erit irregularis. ita tenent Ioa. Andr. & Anchar. cap. ad audientiā. de homi. & ratio est, quia non est cooperatus ad homicidium; secus, si nomine vtriusque id faceret.

Sextò, qui mandauit occidere alium intra certum tempus, & ille post tempus præfixum occidit, non est irregularis, secundum Anan. c. ad audientiā. de homi. num. 8. sed puto, si mandatum erat illicitum, & ille virtute mandati, occidit, quod erit irregularis mandans, casuali tamen homicidio, non voluntario. His casibus non est irregularis mandans.

Secundo loco, mandans irregularis est, etiam non existente mandatario irregulari, quod raro, aliquando tamen euenire potest, supposita doctrina communi, nempe non semper teneri eum, qui inique inuasus est, suum occidere aggressorem ad defendendam vitam propriam, sed posse permittere se potius occidi, quàm occidere: si tamen occidat, non erit irregularis. ponamus ergo casum, nempe seruum alicuius domini, aut filium alicuius patrisfamilias inuasum esse, nec posse euadere, nisi occidat aggressorem, tamen nolle, si dominus tunc, aut pater præcipiant illi, vt occidat, & saluet vitam propriam, tunc non erit irregularis, vt diximus supra, qui occidit; erit tamen ipse mandans, quia homicidium mandato comisit & non ad propriam defensionem: talis tamen irregularitas non est ex delicto, sed ex defectu, quia iustum est mandatum; si tamen esset persona Ecclesiastica, esset ex delicto, quia non debuit immiscere se in causa sanguinis, etiam iusta; secus, si mandaret, vt se defenderet, non exprimendo, vt occideret: nam tunc non esset irregularis. Rursus, si quis secularis in licita uenatione, omni diligentia adhibita, præciperet seruo, vt emeret sagittam, aut bombardam, reuera sciens inimicum ibi latentem percutiendum, si emitteret seruus, & occideret, ipse

irre-

irregularis non esset, quia dabit operam rei licitæ, & diligen-
tiam adhibuit, tamen mandans esset homicida voluntario
delicto, & irregularis.

Tertio loco, aliquando mandans est irregularis volun-
tarius ex defectu; iudices enim mandantes malefactores occi-
& ferentes sententiam mortis, aut mutilationis, effectu sub-
cuto sunt irregulares ex defectu, & voluntarii, quia directe vo-
lunt per alios occidere: nec obstat aliquando eos, per quos ma-
nistrant iustitiam, & occidunt, iniquo animo occidere, & de-
homicidas iniustos: nam, ut diximus, non est semper eiusdem
speciei irregularitas in mandante, & mandatario, satis est
iustum est mandatum. Similiter sunt irregulares ex defectu.
Duces mandantes militibus in bellis iustis occidere, & ma-
lare, si adsint requisita ad iustitiam, ut diximus superius. Si-
militer laicus mandans occidi bannitum, quem per publicas
potestates licet occidere, irregularis est ex defectu, & volun-
tarius, quia directe occidere vult. Similiter laicus, qui habet po-
tatem omnium causarum, aut tanquam delegatus a principe,
aut tanquam iudex ordinarius alteri committit causam in-
guinis, si commissarius occidat, vel mutilet, erit ille irregu-
laris ex defectu, & voluntarius: nam commissarius vim po-
testatis illius occidit, & mortis poenam infligit. ita habet Prae-
pos. can. 1 d. 50. num. 31. & sequenti, ubi dicit, Episcopos & per-
sonas Ecclesiasticas solas, non incurrere irregularitatem, si
per commissarios occidant, quia est illis ex privilegio Sedis
Apostolicæ concessum: secularibus autem id licet absque pec-
cato, sed non absque irregularitate. Ego tamen existo in
hoc, & similibus casibus cum distinctione respondentium:
nam aut committit ministris, ut occidant, & tunc, tam Eccle-
siasticus, quam laicus, erit irregularis; aut committit, ut admi-
nistrent iustitiam, & tunc neuter est irregularis, quia dabit
operam rei licitæ, & non occidunt per se, nec mandant de-
recte occidi; magnum enim est discrimen, ut diximus supra,
quando vnus dat operam rei licitæ, & quando dat operam
illicitæ.

Quarto loco, aliquando mandans est irregularis volun-
tarius ex delicto, quando mandatum est iniustum, & prohibi-
tum, quod sit, quod mandatur homicidium iniustum, ut quando
priuatus mandat alteri, ut occidat eius aduersarium, aut si
iudex mandaret, & ferret sententiam mortis iniustam tunc
esset irregularis ex homicidio voluntario ex delicto, quia

uis minister exequens, nesciens iniustitiam iudicis, & innocentiam occisi, esset irregularis ex defectu. Similiter, si clerici, aut personæ Ecclesiasticæ mandarent alijs, vt occiderent, etiã malefactores, & qui iuste occidi possunt, etiã ipsæ personæ iurisdictionem haberent, essent irregulares ex delicto homicidij voluntarij, quia prohibitum est tale mandatum, c. sententiam. ne cler. ver. mona. Similiter inquisitores, si postquam tradiderunt Curia hæreticum, & iudex nollet comburere, si mandarent, vt combureret, puto essent irregulares, quamuis Tabie. irregularis 2. §. 9. & 15. sequens Felin. cap. ad abolendam. de hære. dicat non esse irregularem ex tali mandato: sed non video, quo iure hoc defendatur, cum solum liceat tradere Curia; Curia autem, non potestate inquisitorum, sed legum, & principum morti tradat, imò solent protestari iudicibus ipsis, ne mortem aut mutilationem inferant. Rursus, qui dicit seruo percusso ab altero, non reuertaris domum, nisi aliud sentiam de te, seruus autem profectus, occidit verberantem, tunc dominus esset irregularis, secundum Panor. cap. ex literis. de excess. prælat. q̄ distinguit si enim animo, vt occideret, vel mutilaret id dixit, erit voluntarius homicida; si vero habet intentionem, vt se vindicaret seruus citra mortem, aut mutilationem, erit dominus homicida casualis, & ex delicto, quia dedit operam rei illicitæ, & debuit quod euenit cogitare: seruus autem in utroque casu est homicida voluntarius ex delicto. Similiter, qui mandauit alicui, vt alterum occideret, etiã si ille distulerit occidere, est irregularis, si non reuocauit mandatum. Innoc. Panorm. c. ad audientiam. de homic. idem de consilio, quod intelligitur, quando ex mandato, vel consilio dato occidit.

Quintò loco, aliquando mandans est irregularis ex delicto, sed casualis, quando nimirum rem illicitam mandauit, ordinatam ad mortem, & præter illum casum proxime positum, de mandante seruum sine animo occidendi, vt se vindicaret, est etiã alius casus cap. vltim. de homic. in 6. si quis mandauit alteri, vt percuteret quendam, expressè prohibendo, ne mutilaret, aut occideret: mandatarius autem, excedens terminos mandati, occidit; mandatarius irregularis est voluntarius ex delicto, quia voluit occidere, tamen mandans irregularis ex delicto, sed casualis, quia dabat rei illicitæ operam, & poterat, & debuerat facile cogitare, simile euenire posse casualis vero, quia præter opinionem, & intentionem: notat autem Gloss.

in eodem cap. quod si dabat operam rei licitæ, quia nimirum mandauit iuste percuti, si mandatarius excedat, & occiderit, mutilet, non fit irregularis, quod intellige, quando non verisimile excessum fieri posse. Eodem modo, si aliquis mandauit alteri, vt occideret alterum, at postea euenit, vt mandatarius occideretur, vel mutilaretur ab illo, tunc mandans irregularis est ex delicto, casualis tamen quia præter opinionem, & intentionem, rem tamen illicitam mandauit, & debuit verisimiliter cogitare, id euenire potuisse. Ita Innocentius cap. ad audientiam. dicit, in eo, qui consuluit, vt occideretur, euenit, vt ipse potius occideretur, quamuis dicat, quosdam tenuisse contrarium, dicentes, non esse irregularem, nisi quando periculum erat, quod occidi posset: at Panor. m. cap. ad audientiam. de homic. & Ioan. Andr. cap. vltim. de homic. tenent esse irregularem indistinctè, & Ana. cap. ad audientiam. num. 9. existimo tamen cum distinctione in hoc casu procedendum esse, si enim animo fraudulento mandauit, vt potius ipse occideretur, sicut Saul miserat Dauid contra Philisteos, vt occideretur potius ipse ab eis, tunc si mandatarius occidit, mandans esset homicida voluntarius ex delicto, non casualis: at si non intendebat mortem illius, sed eius, ad quem occidendum misit, tunc etiam distinctione opus est cum Panor. can. 1. d. 50. num. 30. & Anton. 3. p. 1. tit. 28. c. 2. §. 2. aut enim dabat operam rei licitæ, vt qui habens auctoritatem misit milites ad comprehendendum, vel occidendos bannitos, & assassinos, & tunc si cautè misit, non est irregularis, si aliquis ex illis occidatur: aut dabat operam rei illicitæ, quia mandauit, vt occideret inique inimicum suum, & tunc puto esse irregularem casualem, quia ad hanc irregularitatem contrahendam satis est, si dedit operam rei illicitæ ordinatæ ad mortem, & periculosa; aut si res licita erat, & periculosa, & non adhibuit diligentiam: hoc autem in casu dabatur opera rei illicitæ, & periculosa; quia in congressione semper est ex vtraque parte periculum: & hoc voluerunt dicere Panor. Ioan. Andr. & Anacitanti. Rursus, si quis mandauit alteri, vt occideret Ioannem, mandatarius autem errore occidit Petrum, esset mandans irregularis, non voluntarius, sed casualis; non quidem voluntarius, quia præter opinionem & intentionem illius occisus est Petrus: at verè deliquit, & irregularis est, quia illicitum fuit mandatum, & periculosum: esset autem qui occidit voluntarius, quia, etiamsi volebat occidere Petrum, voluit di-

recte

rectè occidere illum, quem occidit.

Rursus, qui mandat aliquem ob quodcumque crimen de-
trudi in arctos carceres, ita vt verisimile sit, quod intra sex, vel
octo dies, vel breue tempus morietur, est irregularis, secun-
dum Cardin. Clement. de homic. & Præposi. can. d. 50. quod in-
telligit, si iustitia id exigente sit, & cum mortis intentione, e-
ritque tunc voluntarius ex defectu, vt in iudice seculari, cui li-
cet morte damnare. At si in clerico, erit ex delicto, & volun-
tarium, si est ex intentione: secus autem casuale: dicit tamen
Tabien. irregularitas 2. num. 29. §. 8. quod qui secundum sta-
tura regulæ imponunt pœnitentiam, non incurrunt irregula-
ritatem, etiam si mors sequatur. Ecce quibus modis mandans
sit irregularis, & quando voluntarius, quâdo casualis, & quan-
do nullam contrahat irregularitatem.

De irregularitate ex consilio.

CAPVT LXXIX.

CONSULENS alteri, vt occidat, aut faciat aliquid, vnde ve-
risimiliter mors sequi potest, est etiam irregularis. Præ-
posi. can. si quis viduam d. 20. distinguit triplex consiliū,
exhortationis, approbationis, & simplicis opinionis. Rur-
sus, singulorum, vnum iustum, alterum iniustum est potest, &
ex omnibus oritur irregularitas, vt modo parebit: fere autem
pari ratione procedunt, mandatum, & consiliū: est tamen
vnum latum inter verumque discrimen, quod notat Innoc.
communiter approbatus in cap. ad audientiam. de homic. qui
enim mandauit alterum occidi, si reuocat mandatum re in-
tegra, non contrahit irregularitatem, quamuis mandata-
rius postea interficiat: at in consilio non satis est id reuocaf-
se, si enim aliquis consuluit alteri vt occideret, postea reuoca-
uit consiliū; at ille, cui consiliū datum est, adhuc non dis-
suasus occidit; qui dedit consiliū irregularis est: ratio autem
discriminis est, quia mandatum respicit mandantem: nam
mandatarius nomine mandantis operatur, ob id reuocatio-
ne mandantis cessat vis mandati, quia verisimile est, ex quo
gratia alterius fit, quod cessabit ex ei⁹ reuocatione: at consiliū
est in gratiâ eius, cui datum est. Qui ergo inductus est consilio

alterius occidere, reum facit consulentem, donec amon-
 consilio, & persuadeat contrarium: quod si contrarium
 persuasus occidat, imputabitur etiam consulenti Ioan.
 ca. ad audientiam de homi. nu. 8. tenet etiam in consilio
 esse, si reuocet, & faciat quantum in se est, vt dissuadeat, et
 si non possit dissuadere: nec recipit opinionem illorum, &
 dicant, quādo non dissuasit, teneri certiore facere eū, et
 tra quem dedit consilium, vt sibi caueat, non reuelata perferre
 eius, consilium dedit, in qua opinione fuit Ant. 3. par. tit. c.
 2. §. 2. in mandato autem, satis esse reuocasse. At verior est opi-
 nio Innoc. consilium non posse reuocari, nisi per perfe-
 nem contrariam; sicut autem diximus de mandante, mandan-
 consulente oportet dicere; sunt enim casus, in quibus con-
 lens non cōtrahit irregularitatem; sunt etiam casus, in quibus
 contrahit, aliquando ex voluntario homicidio, siue ex delicto,
 siue ex delicto, aliquando ex casuali.

Primo, consiliarij, qui interueniunt cum principe legiti-
 condendis, in quibus statuitur pœna capitis malefactorum,
 etiam si sint clerici, non sunt irregulares: ita habet Ioan. An-
 cap. ad audientiam de homic. num. 6. vt enim supra diximus,
 nec ipsi principes ex ea actione irregularitatem contrahunt,
 tum quia id generalis est, & remota causa, tū quia in morte
 per se non tendit, sed vt homines à malo retrahantur.

Secundo, qui consulit alteri homicidium, aut mutilationem,
 qui re vera erat etiam sine tali consilio illud facturus, non ef-
 ficitur irregularis; tunc enim consilium non est causa mortis,
 aut mutilationis, ita habent Ioan. Andr. & Anch. & Ioan. de
 Ana. c. ad audientiam de homic. quod si consilio fit, vt ille
 magis animeretur, & confirmetur ad illud perpetrandum, non
 non euadit irregularitatem consiliarius, quia iam consilium
 operatur aliquid in mortem, quamuis Gloss. c. nuper de sent.
 excom. in materia excommunicationis, quæ grauior est, vide-
 tur dicere contrarium, tamen reprehenditur ibi a Panor. et
 in materia irregularitatis, non puto esse veram, & ita sentit
 Couar.

Tertio, qui consulit alteri, vt pro fide Christi, & Ecclesia
 exponat se mortis periculo, etiam si seuerè indubitanter, mor-
 tem esse illi infligendam, non est irregularis ita habet Innoc.
 & Ana. c. ad audientiam & Præposi. can. d. 50. nu. 3. non tamen
 eandem esse rationem existimat Innoc. si consulat alicui, vt
 exponat vitam pro patria, pro iure, pro amicis; in hoc enim
 casu,

casu, si
 vero n
 ferent
 Chri
 se pro
 tam
 ment
 quan
 dum c
 rum p
 viram
 eadem
 Adde
 lo vita
 ordina
 cap. ad
 non in
 ponar
 consul
 tyrann
 se sequ
 quo op
 confid
 propi
 qui en
 pro Ec
 surger
 Long
 ste, &
 stinct
 sulit a
 tendat
 vt qu
 patri
 & illi
 tem i
 firm
 quar
 sciat
 corr
 in fl

cau

casu, si sciret esse mortem illi infligendam, esset irregularis; si vero non id sciret, non esset irregularis: rationem autem differentie huius eam dicit esse, quia ordo charitatis est, ut pro Christo, & eius fide, & Ecclesia sanguinem fundamus, quia ipse pro nobis fudit: at non est ordo charitatis, ut pro altero vitam propriam exponamus. Ista tamen ratio non est vllius momenti: nam secundum ordinem charitatis, etiam tenemur aliquando pro patria mortem oppetere, & licitum est, & secundum ordinem charitatis proponere vitam temporalem aliorum propriae. secundum etiam ordinem charitatis tenemur vitam virtus spirituales proponere nostrae temporali. Ergo eadem ratione, qui in his casibus consulit, non erit irregularis. Adde etiam, pro rebus defendendis liceret exponere se periculo vitae, quando res ipsae sunt in bonum finem, & honestum ordinatae: de qua re alibi dicendum est. Melius ergo Ioan. Ana. cap. ad audientiam. num. 6. indifferenter tenet, tale consilium non inducere irregularitatem, quia qui consulit alteri, ut exponat se periculo vitae pro Christo, fide, amicis, patria, &c. non consulit mortem directe, non enim sunt ipsi, qui occidunt, sed tyranni, & persecutores; nec etiam consulit aliquid, vnde per se sequitur mors; sed per accidens ex aliorum malitia, & iniquo opere: in re autem licita, & honesta consulenda, oportet considerare, an sit mors ipsa, quae consulitur, aut id, quod est propinqua causa mortis, non quod per accidens, & indirecte, qui enim consuleret alteri, ut occideret alios, etiam pro fide, pro Ecclesia, ut qui consulit occidere haereticos, infideles, insurgentes contra Ecclesiam, non euaderet irregularitatem. Longe ergo aliud est, mortem directe consulere, aut indirecte, & per accidens in re iusta & honesta: vnde notanda est distinctio Panorm. cap. ad audientiam. de homic. tenet, qui consulit alicui id, vnde sequitur mors, etiam si mortem non intendat, irregularem esse, si consulit illicitum; secus, si licitum, ut qui consulit maleficum capi vel ut exponat se morti pro patria, aut pro fide, multum enim interest inter rem licitam, & illicitam in his casibus: nam quod induceret irregularitatem in re illicita, non semper inducit eam in re licita. hoc confirmatur ex e. cum homo 23. q. 5. qui petit ab altero rem turpē, quam nisi faciat, minatur se occidere, qui non consentit, etiam si sciat illum se occisurum, non censetur homicida. Qui etiam corrigit filios, etiam si sciat aliquem ex timore correctionis se in fluvium proiecturum, non est homicida, nec debet a correctio-

ne necessaria abstinere, nec sunt bona semper relinquenda hoc, quod aliqui mali scandalizantur, quia hoc est per accidens, & indirectum: fat est, si præter nostram accidunt voluntatem, nec nos homicidium per se velimus. Ergo, nec queri consilium, ne turpe aliquid committat, etiam si mors sequatur, nec qui consilium, quod bonum, & necessarium est, erit homicida, etiam si mors aliquando inde sequatur per accidens.

Quarto, eum, qui consilium alteri, ut occideret intra certum tempus, tamen hic transacto consilio tempore occidit. Ioh. Ana. c. ad audientiam. num. 8. putat non esse irregularem, sed ego existimo, cum distinctione eadem respondendum, quam supra diximus de mandato, nempe si intra tempus occidit, est homicidium voluntarium: si vero transacto tempore, nec si non virtute consilii id facit, sed alia motus ratione, non est irregularis; si vero virtute illius consilii, tunc erit irregularis ex homicidio, tamen casuali: ut enim qui fines mandati condit, non liberat mandantem ab irregularitate, ita & qui transacto consilio, quando id virtute mandati, aut consilii facit, & res est illicita.

Quinto, clerici in bello iusto, exhortantes, consules, aut incitantes milites, ut pugnent, vel vincant hostes, etiam si ipsi pugnent, & percutiant, dummodo non occidant, aut mutilant, non sunt irregulares, etiam si in ipso conflictu id faciant: quamvis Innoc. & Hostien. cap. quod in dubijs. de penis dicant, debere esse ante conflictum; si enim horrentur in conflictu, esse irregulares. At Couar. & recte, etiam in conflictu affirmat id fieri posse absque irregularitate, dicitque tale distinctionem esse verbalem. Hæc pars, nempe quando clerici in bello iusto pugnant, & vulnerant per se circa mutilationem, aut mortem, non esse irregulares, quamvis peccent, est expressa in cap. peritio. de homici. quod vero non sint irregulares in bello iusto exhortantes, & incitantes etiam in conflictu ad pugnam, & victoriam, quamvis postea ex veraque pietate sint homicidia, & mutilationes. est Panorm. cap. peritio. allegato, & Gloss. can. Clericum. d. 50. & colligitur ex ipso cap. peritio. nam ille Clericus in conflictu erat, quando vulnere percussit, & non censetur irregularis, si nec occidit, nec mutilat per se Gloss. etiam cap. quod in dubijs de penis. textum ipsius affirmantem, sacerdotes esse irregulares, qui in preliis incitant ad preliandum, declarat procedere in bello iniusto, aut in iusto, quando excitant ad occidendum, vel mutilandum

directo

directe; tunc enim essent irregulares, imò ex delicto homicidij voluntarij, quia directe consulunt mortem, quod eis est prohibitum, ex quo confirmatur quod supra diximus de consulente, ut exponat se periculo pro amico, pro patria, pro iure, quando licita est talis expositio, etiam si verisimile sit, illum occidendum esse: nam & in praelijs verisimile, immò certum est mortes euenturas; nec tamen consulentes fiunt irregulares, quia non consulunt, nisi quod iustum, & bonum est: quod enim in bello iniusto, & in causa illicita irregularitatem; in licito, iusto, & honesto non semper inducit, nisi sit per se causa mortis: potest autem victoria haberi sine morte, & mutilatione quantum est ex se.

De differentia hac consilij in re iusta, aut iniusta, vide Ana. cap. ad audientiam. num. 4. 5. 6. Non tamen hoc intelligendum est de ijs, qui dant sagittas, sclopetum, & arma militibus, etiam in bello iusto, ut iaciant in hostes, quia hæc est causa proxima ordinata in mortem. nec in hoc placet opinio Nauarr. qui contrarium tenet, allegans pro se Innoc. cap. sententiam. de cleric. ver. mona. qui id non dicit; immò potius cōtrarium, loquitur enim cum limitatione, quando nimirum, qui arma dat, nescit ea esse ad occidendum, sed ad solam defensionem, quo casu non esset irregularis. Idem est de ijs, qui ex officio hæc arma faciunt, aut vendunt indifferenter, tam militibus, quam alijs, non enim sunt irregulares, quamuis hi occidant, quia non ea intentione ea vendunt, aut faciunt.

Sextò, qui consultus à iudice consilio generali opinionis, & cognitionis, quali poena malefactor talis esset puniendus, nempe fur, latro, aut alius criminofus, & respondit morte illum secundum leges esse plectendum, ex quo postea consilio iudex occidit, si ille in generali fuit interrogatus, & extra factum imminens, non esset irregularis, ut dicit Anton. 3. par. tit. 28. cap. 2. §. 2. etiam si clericus esset, ut dicit Panorm. cap. ex literis de excess. praelat. etiam si erraret, quia non erat ipse admodum peritus, ut dicit Præposi. can. si quis viduam dist. 50. Si vero consultus esset de facto singulari imminente, quid de hoc, vel illo malefactore agendum esset, & responderet morte plectendum, tunc esset irregularis secundum eodem tradit consilium scienter in mortem: esset autem voluntarius, & si clericus esset, voluntarius ex delicto; secus verò ex defectu.

Septimò, qui clamat cōtra latrones, & hoc facit in sui
sonæ defensionem, & liberationem, quia occidi timet, in-
ratque auxilium aliorum, si hi veniant in auxilium, & oc-
cus, si id faciat in defensionem rerum suarum, ita habet. An-
significasti. de homi. num. 6. Anto. vero 3. p. tit. 28. c. 2. §. 2. In-
tat, quando potuit verisimiliter intelligere, quod ille occi-
retur à concurrentibus, quia eo casu esset irregularis causa-
ter; secus non. quæ duo oportet sic intelligere:

Primum quidē, qui clamavit in defensionem personæ,
verisimiliter sciret venientes occisuros latronem, arguen-
tenderet mortem illius, si aliter liberari non poterat, non
incurrere irregularitatem, quia licebat ipsimet absque impu-
laritate occidere inuasorem, seuato moderamine: qui
clamavit in defensionem rerum, si intēdebat occidi latronem,
erit irregularis, quia qui in defensionibus rerum occi-
irregularis est ex defectu; & si clericus, ex delicto, ut
diximus: at si non intendebat mortem, etiamsi verisimiliter
cognosceret, mortem inde secuturam, tam pro personæ, quā
pro rerum defensione, non esset irregularis morte secuta: si
enim valde notanda distinctio sæpe dicta, inter eum, qui
dat operā rei licitæ, & eum, qui dat operam rei illicitæ, quæ
opera non est proxima causa mortis; qui enim dat operam
licitæ, si non intendat mortem, etiamsi cognoscat verisimiliter
inde secuturā, non efficitur irregularis; si vero datur operam
rei illicitæ, fit irregularis, quando verisimiliter potuit mor-
euenire ex tali opera, quod etiam supra adnotauimus: quando
vero est intentio mortis, semper in vtraque opera contrahitur
irregularitas, etiamsi sit causa remota, ut dixit notabilis Gloss.
e. de cetero. de homi. sicque intelligendus est Abba. antiq. qui
in eod. c. affirmavit, siue propinqua, siue remota sit causa mor-
tis, inducere irregularitatem.

Octauò, prælatus, & personæ Ecclesiasticæ conuocantes
milites in sui defensionem, & tutelam, non sunt irregulariter
milites aliquem aduersariorum occidant 23. qu. 3. can. Ma-
mianus. & ibi Gloss. quamuis exhortetur eos ad pugnam &
defensionem, quod limitat Ana. cum Innoc. cap. ad audien-
tiam. de homic. num. 12. quando est in defensionem suæ pec-
sonæ, vel suorum; secus, si in defensionem rerum: sed nec hoc
est verum indistinctè, nisi quando intendunt occidere si vero
intendunt defensionē sui iuris, & rerum Ecclesiæ absque inten-
tionē

tionem mortis, ut habet Glof. can. de occidendis. 23. q. 5. non sunt irregulares, quod colligitur ex eod. can. Maximianus. hac etiam ratione, qui inuocant brachium seculare contra malefactores, & inobedientes, non sunt irregulares, etiam si mors sequatur: immo licet Episcopis habentibus iurisdictionem temporalem, secundum Innocen. cap. quod in dubijs. de pœn. ratione iurisdictionis bellum indicere, & hortari suos milites, ut pugnent. His casibus ex consilio non inducitur irregularitas.

Aliquando verò ex consilio inducitur irregularitas homicidij voluntarij, aliquando delicti, aliquando defectus, iuxta qualitatem consilij: nam quado est iniustum, tunc est ex delicto: at verò quando consilium est iustum in causa sanguinis, cum scientia, aut intentione mortis, est ex defectu: sic assessores iudicum, qui votum dant, aut consilium in causa sanguinis, sunt irregulares ex defectu: si verò personę Ecclesiasticę essent, tunc esset ex delicto. Similiter, qui personę priuatę existunt, & consulunt iudicem, ut aliquem occidi faciat, quia nocivus est, & malefactor, quamvis sine peccato faciat, irregularis est voluntarius ex defectu: at si clericus, ex delicto. Qui etiam consulit, ut potum accipiat ad abortum faciendum, si fiat quando foetus animatus est, aut præsumitur animatus, nempe post quadragesimum diem irregularis est ex delicto voluntario. Qui etiam bona intentione incitat carnificem, ut citius interficiat, ne diu vexetur reus, irregularis est voluntarius, ut dicit Præpositi. can. i. d. 50. num. 27. & si est persona Ecclesiastica, ex delicto. Qui etiam male consulit alicui, ut remaneret in aliquo loco, & hostes superuenientes occiderunt, si non intentione, ut occideret, fecit, sed verisimile erat id euenturum, non tamen id cogitavit, erit irregularis ex delicto, sed casualis. Per hæc multi alij casus decidi possunt circa consulentes.

De irregularitate ex defensione.

CAPVT LXXX.

Inducitur etiam irregularitas ex defensione, aliquando ex defectu, aliquando ex delicto, siue voluntario, siue casuali, ut diximus in mandato, & consilio. Archi. can. si quis viduam. d. 50. hoc verbum (defensione) exponit de ea, qua aliquis se ipsum defendit; olim enim, ut diximus, etiam ex homici-

dio ad inuitabilem defensionē contrahebatur irregularitas
 tamen hoc verbum alij aliter exponunt, nempe pro ea de-
 fensione, qua aliquis defendit occidentem, vt liberius, & fecerit
 occidat, quomodo videtur accipi cap. 2. de cler. pug. in duobus
 sic interpretantur hanc defensionem, Ioan. Ana. cap. ad au-
 dientiam. de homicid. nu. 4. & summa Pisan. homicid. nu. 1.
 Qui ergo defendunt, & tuentur homicidas, vt hominum oc-
 cisiones tuto, & liberius, animosiusque efficiant, irregulares
 sunt iuxta cap. sicut dignum. de homicid. §. illi etiam. Si autem
 defensio fuerit iusta, vt pote in homicidio iusto, & a periculis
 non prohibitis, erit ex defectu. Si verò ad homicidium iniustum
 vel ad iustum à personis Ecclesiasticis, erit ex delicto; & si
 est intentio mortis, erit ex homicidio voluntario: si vero est
 præter intentionem, erit casuale iuxta regulas dictas supra
 de mandante & consulente. Hæc defensio ampliatur ad om-
 nes eos, qui multis alijs modis concurrunt ad ferendum opera
 & auxilium in hominis occisione, aut mutilatione, & huiusmodi
 multi sunt casus, in quibus contrahitur hæc irregularitas in
 defensione

Primò, ministri iustitiæ sunt irregulares, quando occisio
 vel mutilatio fit, nempe fiscalis, notarius, testes, qui literas in-
 bunt, quibus demandatur officiali, vt occidi faciat alium
 malefactorem, vt notat Præpositi. can. r. d. 50. num. 26. Similiter
 satellites, notarij sententiam mortis scribentes, notificantes
 eam reo cum auctoritate, quique interfunt, dum reus occiditur,
 tanquam fautores, aut auctoritatiue: si verò nudam præ-
 sentiam exhibent, quales qui non habentes iurisdictionem ad-
 stant ad videndum tantum, non sunt irregulares, etiam si sint
 clerici, vt dicit Panor. cap. ex his. de excess. prælat. Similiter
 accusator in causa sanguinis, & aduocatus contra reum, immo
 etiam aduocatus pro reo, quando accusator obligatus est ad
 poenam talionis, si non probauerit crimen, si casu non probatus
 punitus est morte, aut mutilatione; aduocatus etiam, quæ-
 cusatum defendebat in ea causa, est irregularis, vt dicunt Ar-
 char. cap. ad audientiam. de homicid. & est communis sententia.
 Denique officiales iustitiæ in causa sanguinis sunt irregulares
 can. aliquantos, d. 51. & si iustum est iudicium, est irregularitas
 ex defectu, sin minus, est ex delicto; aut quando personæ sunt
 Ecclesiasticæ, quibus non licet immiscere se in huiusmodi cau-
 sis, vt sepe dictum est.

Est tamen in hac parte cōsiderandum, priuilegium esse cle-
 ricis,

ricis, & Prælati concessum, cap. prælati de homicid. in 6. licet enim personis Ecclesiasticis, non solum absque peccato, sed etiam absque irregularitate vlla conqueri, & querelam deponere etiam apud iudices seculares contra suos malefactores, in defensionem sui, & rerum suarum, etiam super criminibus, in quibus pœna sanguinis venit imponenda, dum modo protestentur se non intendere vindictam, aut pœnam sanguinis. hi si iustitia exigente decapitentur, etiam si clerici id sciant, facta protestatione non sunt irregulares, immo etiam si ipsi met capiant malefactores, & iudici tradant, vt tenet Socin. cap. ad audientiam. de homic. num. 52. Nec opus est hanc protestationem facere in scriptis, sed satis est, si verbo expresso fiat, quamuis ad cautelam tutius est, si scripto fiat, vt dicunt. Doctores in cod. cap. prælati. & ibi Glossa.

In qua protestatione aliqua sunt adnotanda.

Primum est, non iuuare hanc protestationem, nisi quando clericus pro sui, rerumq; suarum defensione querelam deponit, vt notant communiter Doctores, & ibi Franch. dicit nomine suarum, iatelligi etiam seruos, & ancillas, eorumq; bona, sed non amicos, cæterosq; coniunctos.

Secundo, hanc protestationem non esse in fauorem testiũ, aut aduocatorum, aut aliorum, præter accusatores, seu denunciatos, illi enim etiam protestantes sunt irregulares.

Tertio, quantum ego puto, non iuuat protestatio, nisi solos clericos, seculares enim etiam protestantes sunt irregulares: nam priuilegium est clericis, & prælati concessum, ne, occasione irregularitatis fugienda, alij libere in eos, & eorum bona insurgant, quod in laicis, quibus irregularitas non ita timetur, quibusq; sine peccato accusare licet, non habet locum: at quia communis Doctorũ sententia tenet, laicos simili protestatione iuuari, nec irregularitatem incurrere, ea est sequenda sententia.

Quarto, ex Anchar. & Francho eodem cap. prælati. & Anan. cap. postulasti. de homic. protestatio necessaria est, quando est super crimen, pro quo venit pœna sanguinis imponenda: nam si sit super crimen leue, pro quo talis pœna non est imponenda, sed iudex, vel ob imperitiã, vel ob fauiriã, pœnam talem imponit, non efficitur clericus etiam non protestans irregularis, nec etiam secundum Innocen. cap. tua nos. de homicid. efficitur irregularis, si super quodcumque crimen civiliter, & non criminaliter agit: iudex autem imperitus,

crimi-

criminaliter procedens, pœnam sanguinis infligit. & huiusmodi casus cap. postulasti. de homicid.

Quinto, qui protestatur, se non ob vindictam facere, tamen vera animum habet vindictæ, irregularis est ex delicto, si non faceret protestationem; erit tamen in solo foro conscientie irregularis, quia animus eius latebit, sicut in homicidio oculo. Si tamen constaret de animo, esset etiam in foro exteriori irregularis. ita sentit communis sententia, quam tenent Hostien. sum. de homic. §. qua pœna ver. verum circa hos Archidi. cap. prælati. de homic. in 6 qui citat Hostien. & sentit cum eo. idem dicit Gemini. eod. cap. prælati. & allegat eundem Hostien. & in eod. cap. Ioan. Andr. Quidquid dicat Felin. cap. postulasti. de homicid. & Couarru. qui tenent contrarium, & citant pro se Ioan. Andr. sed falso. Cum communis sententia, & nostra consentit etiam Franch. cap. prælati. ubi pro se citat Hostien. Archid. & Ioan. Andr. Idem tenet Anac. cap. postulasti. de homic. citans etiam Ioan. Andr. item Antonin. 3. p. tit. 28. cap. 2. §. 4. cum alijs multis: protestatio enim supponit animum non vindicandi, & cum habenti suffragatur; aliter enim non est vera protestatio. Nec argumentum contrarium est vllius roboris; Ecclesia enim iudicat de actibus animæ, quando cõiuncti sunt cum actibus exterioribus: nam & qui actum facit exteriorem hæreticum; verbi gratia velatur carnibus tempore prohibito, si faciat animo hæreticandum, excommunicatus est, si minus, non est excommunicatus, & sunt huius rei multi casus. Denique cum tot, ac tanti Doctores affirmant esse irregularem, saltem res est valde dubia, & tutius est in conscientia reputare se irregularem. Nec ergo sola protestatio sine animo, nec animus sine protestatione sufficit, vtrumque simul clericum deponentem querelam in casu sanguinis a peccato, & ab omni irregularitate præseruat. Hoc tamen aduertendum est postremo, si crimen aliquod esset perniciosum, & nocuum publicum, nec posset aliter impedi, quam per denunciationem, liceret clerico, facta protestatione, etiam absque irregularitate, morte subsecuta delinquentis, denunciare, vt tenent Caiet. 22. q. 33. articu. 7. & Nauar. eod. inter verba. 11. q. 3. Corol. 38. & Couarru. & colligitur ex cap. postulasti. de accus. Hic est primus casus irregularitatis ex defensione.

Secundo loco, contrahunt eandem irregularitatem ex defensione illi, qui bono zelo ligna ferunt ad hæreticum com-

bure

burendum, dummodo, vt dicit Præposi. can. 1. d. 50. num. 27. ligna cooperentur ad mortem: nam si mortuus comburitur, aut si viuus, ligna tamen illa nihil effecerunt in morte, non erit irregularis, qui portauit, quamuis in dubio debeat se talem reputare. Addit Præposi. qui ligna vendidit, aut scidit, non esse irregularem, quia est causa remota: causa autem propinqua debet esse, vt contrahatur irregularitas, iuxta Gloss. cap. de cætero. de homicid. quod limitandum puto, quando ex officio scidit, aut vendit indifferenter, & indistinctè cui libet ementi. hic, etiam si sciret, pro hæretico comburendo emi, non esset irregularis, quia dat operam rei licitæ, & id non intendit primo, & per se; secus si non ex officio id faceret, sed ad hoc solum vt combureretur hæreticus, quia in remota causa, & propinqua iudicanda debet non tantum considerari, quando actio ex se inducit mortem, aut ex se in causâ ordinatur, sed etiam, quamuis talis non sit, si intentione ea fit: nam intentio mortis causam alias remotam facit propinquam, iuxta Glossam singularem supra allegatam, cap. de cætero. de homicid. Hac de causa, qui vendunt funes, quibus suspenditur malefactor, & qui vendunt arma militibus, quibus pugnant, & occidunt, quique similia faciunt ex officio, & indistinctè, non sunt irregulares: secus de ijs, qui commodarent, aut darent ad hunc effectum, essent enim irregulares voluntarij, sicut & occisores.

Tertio, eum, qui campanam pulsar in locis, vbi consuetudo est pulsari, ad conuocandum populum, vt interfit, quâdo malefactor est occidendus, quia minister est iustitiæ, & intentione facit mortis, crederem esse irregularem cum Socin. cap. ad audientiam. de homic. & Anan. cap. Ioan. cod. titu. & ibi communiter Doctores, quamuis Couarru. teneat contrarium, dicens esse causam remotam: sed vt diximus, vbi est intentio mortis, semper est causa propinqua: esset autem irregularis ex defectu; sed si clericus talem campanam pulsaret, esset ex delicto.

Quarto, qui indicat latronem, aut malefactorem iudici, vt comprehendatur, sciens, quod quærebatur ad mortem, aut ea intentione, vt occideretur, irregularis est, vt dicunt Cardin. & Anan. cap. tua nos, de homi. §. vlt. eritque ex homicidio voluntario ex defectu in seculari: at in clerico, ex delicto; secus, si id faciat, non intendens mortem, sed defensionem propriæ vitæ, aut suarum rerum, & nesciens occidendam, nisi quando

pro-

protestatio fit, vt supra diximus, qua protestatio non potest nisi cum à iudice latro occiditur; si enim clamat aliquis, & uocat turbam contra latronem, quamuis protestetur, si occidatur ab ea, irregularis erit, vt dicit Ana. cap. significasti homi. nu. 7. Eadem ratione, qui pulsat campanam, quando inimici veniunt, vt congregetur populus contra eos, si id faciat in sui defensionem, mortem non intendo, irregularis non erit; secus, si non in defensionem sui, aut mortem intendant, etiam si faciat in aliorum defensionem, vt dicit Anan. cap. Ioannes. de homicid.

Quintò, qui interrogatus à iudice de intersignijs latronum, quo fuit spoliatus, dedit cultrum, & sobtulares latronis, quae apud eum manserunt, posteaq; latro fuit occisus, non est irregularis. casus est expressus in cap. tua nos. de homi. §. vlt. in quo multum Doctores laborant, & maximè Anani. tamen veritas hæc est, illum non dedisse intersignia intentione, vt occideretur latro, sed vt sua recuperaret, nec fuisse signa sufficientia ad eum conuincendum, vt dicit Antoni. Butr. vnde fuit causa temota; secus, si intentione mortis faceret, aut signa fuerent sufficientia, non præmissa protestatione.

Sextò, ad eandem irregularitatem ex defensione pertinet, si quis socius sit alterius ad occidendum iniuste, quamuis tamen ipse non occidat, sed alter, efficitur etiam ipse irregularis. dixi, ad occidendum iniuste, quia socius in rixa iusta, vt qui socius est eius, qui ad sui defensionem, aut in bello iusto pugnat, non fit irregularis, si ipse non occidat, quamuis alter, qui iniuste pugnat, occidat, cap. petitio. de homicid. & ibi Panor. etiam si clericus esset, vt supra diximus. In iniusta autem rixa ex parte illa, in qua iniusticia est, omnes efficiuntur irregulares, etiam si vnus tantum occidat, & est irregularitas ex delicto voluntario. Quod autem dixi de socio, intelligendum sic est, quando alterum associat ex proposito, ita vt animosiorum sociat: nam fieri potest, vt rixa à multis subito sit exorta, quarum vnus alium non iuuat, sed pro se quisque pugnat, etiam si sit contra vnum, tunc, qui occidit, est irregularis, non alij, vt colligitur ex cap. significasti de homicid. & ex ijs, quae ibi denotantur, quod in specie dicit Couar. His casibus, & similibus, irregularitas ex mandato, consilio,

& defensione contrahitur.

De alijs modis contrahendi irregularitatem
homicidij.

CAPVT LXXXI.

Quidam, præter modos tres, consilium, mandatum, de-
 fensionem, addunt alios duos, vnus est ratihabitio, quã-
 do nempe aliquis homicidium nomine eius factum, e-
 tiam ipso ignorante, ratum postea habet. ita habet Archi. cap.
 si quis viduam. d. 50. & Specul. tit. de leg. §. iuxta propositiones.
 Henric. Boic. cap. sicut dignum. de homic. Siluest. ver. homici-
 dium. 3. §. 2. Rosel. homicidium. 2. §. 5. Nauarr. in sum. cap. 27.
 num. 233. Pro hac opinione facit, quod in delictis ratihabitio
 mandato æquiparatur, Reg. ratihabitio. de reg. iur. in 6.
 fauet etiam cap. si quis de sent. excom. in 6, vbi, qui ratam ha-
 buit percussionem eius nomine factam contra clericum, de-
 claratur excommunicatus, quia mandato æquipollet. Oppo-
 sitam opinionem, nempe per ratihabitio. non contrahi
 irregularitatem, tenent Hostien. in sum. de homi. §. qua pœna.
 & Archi. sibi met. contrarius. 17. q. 4. can. omnes. Tabien. ver.
 irregularitas. 2. §. 7. & Armil. ver. irregularitas. §. 22. & Couarr.
 pro cuius resolutione attende, duplicem esse ratihabitio. nem;
 Vna est improprie, & large, sic dicta, quando aliquis probat
 id, quod gestum est, & in eo complacet, etiam si non eius no-
 mine sit gestum, vt qui audit suum inimicum esse occisum
 ab aliquo, gaudet, & probat factum illius, qui occidit; omnes
 conueniunt, hanc ratihabitio. esse quidem peccatum,
 non tamen inducere irregularitatem. ita Archi. can. omnes.
 17. q. 4. & Hostien. loco citato dicunt, & de hac intelligitur
 Gloss. can. si quis viduam. d. 50. ver. consilio. Altera est proprie
 dicta ratihabitio, quando aliquis probat, quod eius nomine
 gestum est, etiam si ipse prius ignorauerit, & de hac est Reg. ra-
 tum. de reg. iur. in 6. Ratum, inquit, nemo habere potest, quod eius
 nomine non est gestum, quam ratihabitio. Panorm. cap.
 de conuer. in fid. recte declarat, dicens, ad ratihabitio. esse
 necessarium, vt ratum quis habeat, quod eius nomine gestum
 est eo tempore, quo ipse facere potuisset; si enim aliquis no-
 mine infantis occidere alterum, quamuis ille factus adultus
 ratum haberet, non esset ratihabitio proprie, quia illo tunc
 temporis non poterat infans occidere. De hac ratihabitio.
 est controuersia, & puto probabilius esse, non induci irregu-
 larita-

laritatem per ratihibitionem: & ratio. quæ me mouet est
ex cap. is. qui de sen. excommu. in. 6. habemus, neminem
gulem censendum, nisi sit iure expressum: non autem ha-
mus iure expressam irregularitatem ex ratihibitione: &
regula illa, quæ in delictis ratihibitio mandato æquiparetur:
multas habet fallentias, & scilicet locum habet, vbi iure
cauetur contrarium: at habemus iure cautum, irregularitatem
debere esse expressam in iure, quod non est cautum de excom-
municatione: ideo per ratihibitionem incurritur excommu-
nicatio, non autem irregularitas. Et per hoc soluuntur argu-
menta in contrarium.

Alter modus contrahendi huiusmodi irregularitatem est
omissio, nempe quando aliquis non liberat a morte eum, qui
poterat auxiliando liberare, qui modus est valde contra-
sus, multi enim multa dicunt, quorum opiniones breuiter
proponam; supposita duplici distinctione; Vna est, mortis
qua liberari vnus ab altero potest, duplicem esse. Vna est iusta,
vt quando à iudice infligitur, vel ab habente potestatem oc-
cidendi; aut quando ex infirmitate aliqua, similive causa mori-
tur. Altera est iniusta, quando oppressus ab altero occiditur.
Posterior distinctio est, dupliciter aliquem obligari posse ad
subuenire. Vno modo ex solo debito charitatis, sicut tenetur
diues subuenire pauperi, & priuatus proximum ab iniuste op-
primente eruere, quando potest. Altero modo etiam ex iusti-
tia, sic persona publica, nempe iudex, tenetur oppressum de-
fendere, ne lædatur. His suppositis est.

Prima opinio Hostiens. cap. significasti. 2. de homicid. 2.
affirmantis eum, qui potuit liberare alterum ab iniusta mor-
te, & non liberauit, ideoque hic mortuus est, esse irregula-
rem. loquitur Hostiens de iniusta morte, indistincte tamen
obligatione, siue ex charitate, siue ex iustitia teneatur.

Secunda opinio est aliorum, qui generaliter tenent necesse
nem effici irregularem ex omissione, seu non liberatione a
morte, siue ex charitate, siue ex iustitia teneatur, & de qua
que morte. Hanc opinionem refert Innoc. cap. Petrus de ho-
micid. quia, inquit, lex promotionis factum requirit, & vide-
tur in eam inclinare, vt ex principio cap. apparet: eam tamen
tenet Pisan. ver. homicid. 4. vbi expresse de viroque loquitur
casu, & Tabien. ver. irregularitas. 1. §. 2. qui cum, qui etiam do-
lose non liberat, vt ille moriatur, dicit non esse irregularem,
dummodo non concurrat aliquo actu positivo ad mortem

eius. Idem Asten. lib. 6. tit. 14. artic. 8. q. 8. dicens, nec iudicem nec priuatum per non liberationem effici irregularem. Rosel. vel homicidium. 4. §. 12. idem dicit expresse, quamuis postea citet alios in contrarium, & videatur inclinare in eorum sententiam, malè citans verba ex Astensi sumpta, quæ sunt ex Hostiens. in sum. de homicid. §. qua pœna. At Hostiens. loquitur de peccato, non de irregularitate. idem etiam sentit Antonia. 3. p. tit. 28. cap. 2. ubi generaliter loquitur de eo, qui potuit, & non liberauit à quacumque morte, etiamsi delectetur in morte illius, peccat quidem, sed non est irregularis, dicitque medicum nolentem mederi infirmo, & diuitem non subuenientem pauperi; etiamsi ex hoc hi moriantur, non effici irregulares.

Tertia opinio est aliorum, qui generaliter, etiam nulla facta distinctione, tenent non effici irregularem, qui non liberat, nisi in vno casu, nempe quando dolose id facit, vt ille alius moriatur, aut occidatur. Hanc tenet Henric. Boic. cap. Petrus. de homicid. & Angel. homicidium. 1. §. 17. & ver. irregularitas. §. 8. & Siluest. homicidium. 1. §. 14. quamuis hic mutet opinionem. ver. homicidium. 3. §. 2. & §. 7. notab. 3. dicit enim non induci irregularitatem ex permissione, quamuis delectetur, nisi sit Prælati, aut Dominus.

Quarta opinio est media, eos scilicet, qui ex charitate sola tenentur liberare, non contrahere irregularitatem, sed eos solos, qui ex iustitia obligantur, ita Nauarr. in num. c. 27. nu. 231. addens, eos, qui ex sola charitate tenentur, non effici irregulares, quamuis delectentur in morte illius, ponitq; exemplum Antonini citati superius in diuite nolente subuenire, & medico nolente mederi.

Quinta est Couar. qui dicit, eos, qui habent potestatem in interfectorem, vt iudex, aut dominus, aut pater familias, si nõ arcent hos a malo perpetrando, effici irregulares, si hi occiderint. in quo casu procedit cap. quantæ. de sent. excomm. nempe respectu personarum, qui ex officio tenentur reprimere malefactores: ceteri verò non incurrunt irregularitatem, nisi dolose dimittant, vt ille alius occidatur, videtur loqui de multa morte. Hæc sunt, quæ Doctores sentiunt in hac varietate, quæ puto probabiliora his sunt: loquimur autem, non de peccato, de quo nemo dubitat, sed de irregularitate.

Primo, ei, qui non tenetur liberare aliquem à morte, etiamsi

posset liberare, non imputatur mors, nec quantum ad reum, nec quantum ad irregularitatem. in hoc dicto est difficultas, ex quo sequitur, qui posset erueri de manibus iudicis reum morte damnatum, si non eruat, & reus mori statatur, non est irregularis, immo male faceret eruendo. Rursus, qui non dat panem, seu cibum ei, qui est damnatus, ut me moriatur, quamuis id posset facere, non est homicida, nec irregularis. Similiter, qui non remittit, nec, ut dicitur, de peccatis aduersario, qui occidit patrem, aut consanguineum eius, ob idq; ille damnatur morte, non damnandus, si cum illo se componeret, non est irregularis, dummodo querelam non fecerit, nec aliquem actum in iudicio, quia non obligatur ad faciendum, sed potest licite permittere Iudicem iustitiam exercere, quando non ex odio id facit, sed zelo iustitiæ, & bonitate. Rursus, si quis se occidere minatur, si non det aliquis eum aureos dono, ut supra diximus, hic non est irregularis, etiam si ille occidat se, quia non tenetur eo casu dare. Deniq; ubi non tenetur liberare, non est irregularis; hinc sequitur, paritas personarum, quando nequeunt liberare, nisi se exponendo periculo alicuius mali grauis, non esse irregulares, si non liberent, quia eo casu non tenentur.

Secundo, quando non liberatio, aut non prohibitio non habet auxilij, aut consensus apud occidentem, tunc, qui non liberat, aut non prohibet, est irregularis, quia eo casu est auxiliarius, aut consensus præstare. casus est in cap. Petrus de homicid. In domo cuiusdam Diaconi, consanguinei eius traxerunt, ipsius intuitu occidere quandam Abbatem, & occiderunt, consultus Papa respondet, illum non esse irregularem, quia nec causam, nec occasionem dedit; nec solum hoc, sed etiam quia expressè prohibuit, ne illi occiderent. Igitur a contrario sensu, si non prohibuisset, esset irregularis, quod intelligitur in foro exteriori, quia præsumitur consensisse: in foro autem interiori, si re vera non consensit, nec ea de causa tacuit, nec consentire videretur, tunc non esset irregularis, si nihil aliud fecit, & hoc est quod ibi Gloss. & Innocen. dicunt, nimirum etiam si non prohibuisset, non esset irregularis, quod intelligitur, quando non prohibitio non fuit tacitus consensus in mente illius; iuxta commune dictum, qui tacet, consentire videtur. Qui ergo videri tractantes de occidendo aliquo in presentia sua, & non prohibet, cum possit, consentire præsumitur in foro exteriori: at in foro interiori non, si vere non ob id tacuit.

& hic est sensus illius cap. allegati, & concordatur cum doctrina can. quia præsularus. l. q. 4. vbi quidam intuitu cuiusdam clerici eruerant oculos alteri, ille tamen censeatur non irregularis, vbi nihil dicitur de non prohibitione; respondeo, in hoc casu, illos tractasse eo absente eruere oculos alteri; ideo eius non prohibitio non potuit habere rationem, nec vim consensus in crimen; vnde quando non voluntate, nec aliquo illius consilio factum est, non censeatur irregularis. casus etiam alius est, cap. sicut dignum. de homic. §. illi etiam, vbi qui illicito homicidio, cum possent, non restituerunt, censentur homicidæ, quia, inquit, non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, quod procedit de ijs qui sua dissimulatione occisores animosiores fecerunt ad occidendam. In his casibus, & similibus, non est simplex non liberatio, sed est consensus quidam, aut auxilium tacitum in mortem.

Tertio, non liberatio illicita, & contra iustitiam inducit irregularitatem, quando nempe aliquis ex officio & iustitia tenetur liberare a quacumque morte; si enim non liberat, cum possit sine suo periculo graui, est irregularis, & homicida hoc exemplis confirmo. Est medicus, qui infirmi curam suscipiens, nouit esse illi necessariam potionem, aut sanguinis emissionem, & tamen non vult facere, ob idq; moritur infirmus, nemo negare potest, hunc esse irregularem: quod manifesto argumento probatur; diximus enim supra, ex communitententia, quando ex negligentia medici infirmus moritur, etiam si id nesciat medicus, esse irregularem casuali homicidio, quia dans rei licitæ operam, non adhibuit debitam diligentiam, ergo a fortiori erit irregularis, non casualiter, sed voluntarie, quando sciens, & prudens, moriturum infirmum remedio priuat necessario; si enim daret potionem lethiferam, esset irregularis, ergo etiam erit, si neget necessariam, quæ tenebatur ex officio adhibere, tam enim est causa illa potio occisionis, quam huius subtractio. Ex hoc exemplo manifesto deduco, iudices & publicas personas esse irregulares, quando ipsi scientibus, & non prohibentibus, cum possint, malefactores occidunt aliquem; non minus enim ipsi ex officio tenentur malos reprimere, & subuenire oppressis, & inferiorum indemnitati, quam medici suscipientes curam infirmi tenentur ipsius consulere saluti: nec inuenio discrimen, vni que

enim sunt causa mortis, seu concausa, quod facit irregularitatem, cap. de cætero. de homicid. sunt enim homicidæ facti, cut, & gubernator nauis, qui tempore tempestatis potest uenire, & non subuenit, est vera causa submersionis nauis, homicidæ eorum, qui submerguntur. Deduco etiam, qui ex officio, & iustitia tenentur cibum, & necessaria victui ministrare alijs, & sciētes aliquos in extrema esse necessitate, cum possint non subueniunt, & mori permittunt, sunt irregulares, & homicidæ contra iustitiam. & in hac parte mihi placet opinio Couarru. & aliorum, quos citauimus, nec opus est, ut dolo, & malo animo non prohibeant, satis est, si scienter & preciant, ad homicidium voluntarium, aut casuale, si id scire scire poterant, & neglexerunt, cap. quæsitum. de pœn. non missi.

Quartò, quando non liberatio, seu non prohibitio est, qua contra solam charitatem est, etiam si imputetur homicidium quantum ad peccatum, non imputatur quantum ad irregularitatem. in hoc consentio Nauarro, & Antoni. & alijs citatis; unde medicus, qui non est salario conductus, & curam suscepit infirmi, si vocatus nolit venire, & mori infirmus, etiam si malo animo faciat, non erit irregularis. Sic diuites, qui pauperibus non subueniunt, nec priuata persone, qui non accurrunt ad liberandum in periculo mortis existentem, siue ex iniqua oppressione, siue ex aliquo alio accidente sit mors. In his, & similibus casibus, qui non subueniunt, grauiter peccant, & hoc canones aliqui significauerunt, appellantur hos tales homicidas, tamen non contrahunt per hoc irregularitatem. hæc videtur esse opinio Hostien. cap. sicut dignum de homi. num. 38. vbi illud can. pascet d. 86. pascet fame morietem, si non paup. occidisti. dicit esse homicidium spirituale, & Gloss. cap. si aliquis de homi. appellat homicidium occisionaliter, sicut qui dat portionem ante animatum ferum. Secundum hos ergo non inducitur irregularitas, quando non liberatio est contra solam charitatem. Peret aliquis causam & distinctionem huius differentie, quam nemo Doctõrum allegatum adduxit. & ex qua huius difficultatis resolutio valde declaratur; ea autem est, qui enim non dat, quod ex iustitia datur tenetur, aufert quod est alterius; alterius enim est modo quoddam id, ad quod ius habet; unde qui non dat, ius illius impedit, quod est auferre: at qui non dat, quod ex charitate tenetur dare, non aufert alteri, quod eius est; sed est pura negatio non dandi,

dandi, quod dare deberet: multum autem hæc differunt, auferre, & non dare: illud enim causa propinqua est, hoc verò remota. Sicut, qui auferret pallium alteri, seu cibum, qui in manu eius est, si inde mors sequeretur, propinqua esset causa. ita & qui non dat, quod ex iustitia dare tenetur. Propter hoc ergo ille est irregularis, non hic, quamuis vterque peccet.

Per hoc soluitur dubitatio, quam aliqui proponunt, nempe an, qui scit tractatum contra aliquem in mortem eius, si non reuellet illi, sit irregularis, si occidatur. tractant hoc Doctores, cap. Petrus. de homicid. vbi Innocen. respondet, si intuitu eius illi id tractant, tenetur prohibere, & si credit eius prohibitionem sufficere, non tenetur reuelare, tuncque, si casu illi occiderint, non erit irregularis; si tamen credit non sufficere eius prohibitionem, debet reuelare, alias esset irregularis: citat tamen quosdam, dicentes non esse irregularem in vtroque casu non reuelando, siue eius intuitu fiat, siue non; & hoc profecto est magis iuridicum, nam in eo capit. Petrus. ille diaconus iudicatus est non contraxisse irregularitatem, quia expresse prohibuit, nec fit vlla distinctio, an crediderit sufficere eius prohibitionem, an non: Panormitan. autem ibidem citat Innocen. in ea sententia exposita, & Ioann. Andr. dicentem esse irregularem, quando dolose noluit reuelare; ipse tamen in contrarium potius inclinatur, & re vera ita est, immo aliquando non peccat non reuelando. Fateor quandoque teneri reuelare maxime in genere, vt sibi caueat, & aliquando personas manifestando in casibus aliquibus, & certis quibusdam circumstantiis, de qua re non est modo tractandum, sed quia est peccatum contra charitatem, vt diximus, non videtur contrahere irregularitatem, & in hoc etiam innocen. consentit, nam ipse de casu illo loquitur, quando intuitu illius sit tractatus contra aliquem, per quod insinuat, si non eius intuitu id fit, non fieri irregularem, si non reuellet, tamen in neutro casu est irregularis, vt diximus. Hæc de huiusmodi irregularitate.

De dispensatione irregularitatis ex homicidio.

CAPVT LXXXII.

QvM irregularitas ex homicidio voluntario, necessario, & casuali oriatur, de singulis ordinate, quantum ad dispensationem

penfationem tractandum est, primoq; de dispensatione per homicidij voluntarij irregularitatem, de qua sunt aliqua notanda.

Primò, irregularitas ex homicidio voluntario non est iure diuino, sed humano, hoc est contra quosdam, qui iuramento ortam esse hanc irregularitatem arbitrati sunt, de eo illo facto Dauid, qui prohibitus est à Deo adificare templum quia vir sanguinum erat, nec aduertunt illud factum esse cum Dauid, quia typus erat, & figura Christi, qui Ecclesiam erat edificaturus: noluit autem Christus in hoc per Dauid significari, nec representari, quia ipse Christus fuit Rex pacificus, qui cum malediceretur non maledicebat, nec per alterius, sed proprium sanguinem redimere venit: sacerdotes autem non sunt figura Christi, ideo non comprehenduntur hoc facto, nec Dei sententia hoc tenuit generaliter Innocen. cap. ad audientiam. eod. tit. de omni irregularitate. Idem Panorm. cap. gaudemus. de diuor. quamuis idem Panorm. sibi contrarium tenuit esse de iure diuino, cap. ad audientiam. de homicid. illamen, ut diximus, est communis opinio. Ex hoc dicto sequitur posse Papam dispensare cum homicida voluntario quocumque, quamuis difficile id faciat, & non sine graui & vix causa, & multo difficilius in foro exteriori, quando homicidium est publicum.

Secundo, per baptismum tollitur omnis irregularitas ex homicidio voluntario quocumque. In hoc est controuersia Doctorum, aliqui distinctione vtuntur: cum enim duplex sit homicidium voluntarium, vnum ex delicto, alterum ex defectu, ut supra dictum est, dicunt, illam irregularitatem, quae est ex homicidio illicito & delicto, tolli: quae verò est ex defectu non tolli. ita senserunt Gloss. can. si quis viduam. d. 30. Hostien. cap. gaudemus. de diuor. & Prapof. can. 1. d. 30. num. contrarium tamen tenent idem Prapof. cap. gaudemus. de diuor. & ibidem Panormitan. affirmantque omnem tolli irregularitatem, siue ex licito, siue ex illicito homicidio, & hoc verum est, immo si proprie loquendum est, per homicidium quodcumque infidelis non est irregularis, sed solus baptizatus; vnde non dicitur tolli irregularitas per baptismum, cum ante baptismum non esset, dicendum potius est, non baptizatum non contrahere irregularitatem ex homicidio, siue licito, siue illicito; ratio huius est, quia can. si quis viduam. d. 30. irregularem facit enim, qui quouis modo homicidij voluntarij

est causa post baptismum. & ita notauit Archidi. d. 21. can. decretis. nu. 10.

Tertio, cum homicida voluntario licito solus Papa dispensat ad ordines, & beneficium; sed si est clericus, Episcopus dispensat ad beneficium, de hoc enim est eadem ratio, ac de voluntario illicito, vt paulò post dicemus, nec de hoc loquitur Concil. Trident. sess. 16. c. 7. quia non est ex delicto, vnde relinquuntur iudicandum secundum ius commune.

Quarto, ante Concilium, cum homicida voluntario illicito Episcopus dispensabat cum clerico, nempe tonsurato ad simplex beneficium, sed non ad ordines, etiam minores. hoc est Innoc. cap. 2. de cler. pugn. in duel. & ibi Panorm. qui citat Hostiens. affirmantem posse Episcopum dispensare ad minores, quia caput loquitur de sacris, & cum Hostien. sentit Ioann. Andr. Cardi. & Butr. intellige autem cum clerico, de hoc enim capita loquuntur, tamen Panor. tenet, quod non, propter cap. 5. cod. tit. & exponit ibi per sacros ordines, etiã minores significari, & hoc est verius, quamuis & illud sit etiam probabile. Nõ ergo dispensabat Episcopus, nisi cum clerico iam promotò ad beneficium simplex, non tamen vt promoueri posset, nec etiã ad minores, pro quo facit can. miror. d. 50. & ibi Gloss. dispensabat autem ad simplex, sed non ad curatum, vt in hoc verè dicit Hostien. quod tamen limitat Deci. cap. at si. de iudi. quod non dispensat ad curatum de nouo habendum, sed potest dispensare ad retinendum iam habitum. sed hoc non est tenendum: nam si non potest dispensare, vt ministret in susceptis, nec poterit dispensare in retinendo curato, quod sine vsu ordinum retineri non potest.

Quinto, de iure etiam antiquo non poterat Episcopus dispensare cum occulto homicida voluntario, nec etiam ad ministrandum in susceptis. hoc est in controuersia: nam Archidi. can. de his. 2. d. 50. num. 5. tenet cum occulto posse Episcopum dispensare, vt ministret in susceptis, etiam in ministerio altaris, immo Angelus, homicidium. §. affirmauit quoad suscipiendos etiam posse dispensare; tamen contrarium tenet Gloss. can. miror. d. 50. idq; est probabilius, & colligitur ex cap. quæsum. de temp. ordi.

Sextò, post Concil. Triè. Episcopus non potest dispensare cum homicida voluntario etiam occulto ex delicto, nec ad ordines, nec ad beneficiũ simplex, & sess. 14. cap. 7. vbi tali homicidæ denegatur quorumcumq; ordinum promotio, & cuiusq;

beneficij collatio. Posset autem alicui suboriri dubium, an
 irrationabile, an hoc Decretum Concilij, quo, qui homicidium
 sua voluntate perpetraverit, a spe promotionis repellitur, im-
 plectatur eum tantum, qui occidit facto, non autem man-
 datem, nec consulentem, & maximè hoc dubium augetur
 propter doctrinam Anani. cap. 2. de cleri. pugn. in duel. vbi dicitur
 non dici proprie homicidam, nec committere homicidium
 nisi eum, qui facto occidit, non autem mandantem, nec con-
 sulentem, & sic censet statuta declaranda, quæ loquuntur de
 homicidijs, & committentibus homicidium. at contrarium
 est tenendum, & facit pro hoc cap. 2. de cler. pug. in duel. re-
 betur, homicidium, facto, præcepto, consilio, & defensor
 perpetrari. perpetrat ergo homicidium, qui facit, præcepto
 sultit, defendit, & ideo hoc statuto concilij, vbi de perpetrato
 homicidium indistinctè agitur, comprehenduntur hi omnes
 idem etiam probatur cap. mulieres. de sen. excom. §. illi eum
 vbi vere committere dicitur delictum, cuius mandato fit. hoc
 tamen verum est, non comprehendi eum, qui mutilat: nam
 hic non perpetrat homicidium, nec delictum ita graue com-
 mittit, nec irregularitas habet ita difficilem dispensationem,
 vt superius diximus, ex quo sequitur vnum notandum, posse
 Episcopum cum hoc, quando occultum est crimen, dispensare
 per Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. vbi datur facultas dispensandi
 super omnem irregularitatem ex delicto occulto, præter eam
 quæ est ex homicidio voluntario. Ergo dispensabit super irre-
 gularitatem, quæ ex mutilatione est: nam hæc non oritur ex
 homicidio voluntario.

Septimo, per homicidium voluntarium, etiam ex delicto
 perpetratum post obtentum beneficium, non amittitur ipso
 iure beneficium, quamuis sit priuandus. hoc est Innoc. cap. 1.
 nostris. de concess. præb. & cap. constitutis. 2. de appella. & de
 norm. cap. querelam. de iureiurand. & cap. fina. de excess. præla-
 vbi idem tenet de alijs irregularitatibus superuenientibus, & de
 cõmunis sententia, quamuis contrarium affirmauerint Glou-
 can. studeat. d. 50 & ibi Archidi. tamen non est recipienda eorum
 opinio, quia non est textus vllus quo sufficenter probetur, nam
 cap. clericis. ne cle. ver. mon. solum habet, esse priuandum ho-
 micidium voluntarium, non tamè ipso iure esse priuatum immo
 dictum nostrum probatur ex cap. ex litteris. de excess. prælat. v-
 bi Pontifex iubet Episcopum homicidam cedere Episcopatu: si
 autè iure priuatus esset, cedere nõ posset, ex quo sequitur quod
 potest

potest resignare beneficium, & si esset curatum, vel tale, quod non posset retineri sine ordinis exercitio, teneretur resignare, aut dimittere; non autem si simplex esset, quod actum ordinis non requireret, quamuis Ana. & Ioan. Andr. c. inquisitionis. de accusa. affirmant, neutrum posse retinere, tamen verius est, quod diximus, & ita sentire videtur Felin. eodem c. inquisitionis.

Octauo, per homicidium illicitum qualificatum ipso iure amittetur beneficium: hoc dictum est Felin. eodem cap. inquisitionis. & Anchar. consil. 158. tamen limitatio est addenda, nempe in casibus iure expressis; isti enim Doctores simpliciter affirmant, per homicidium qualificatum amitti ipso iure beneficia, vt per parricidium, & alia similia, quæ habent circumstantiam mutantem speciem peccati; tamen id non probo, sed existimo, in solis casibus iure expressis amitti beneficia ipso iure, per homicidium illicitum qualificatum. sunt autem hi casus tres.

Primus habetur cap. i. de homic. in 6. Qui occidit Christianum per assassinum, est ipso iure omnibus beneficijs, etiam habitis, priuatus. Secundus, c. felix de pœnis. in 6. Occisor, aut percussor Cardinalium ipso iure est habitis beneficijs priuatus. Tertius, in Clem. de pœn. etiam occisor Episcopi priuatur ipso iure beneficijs. Extra hos casus expressos, non puto homicidam priuari ipso iure habitis beneficijs. his coniungi potest Quartus, in c. in quibusdam de pœnis Clerici beneficiati occidentes, aut mutilantes per se, vel per alium Rectorem alicuius Ecclesiæ, vel aliquem clericum confocium eiusdem Ecclesiæ, ipso iure sunt priuati beneficijs. Panor. ibi affirmat hoc esse secundum communem sententiam, ipse tamen dubius est, tamen probabilior est opinio communis.

Nond, collatio facta homicidæ ante dispensationem, est nulla ita habent Innoc. c. cum nostris. de concess. præb. & Panor. cap. tanta de excess. prælat. quamuis contrarium senserit Felin. c. inquisitionis, de accus. prior tamen opinio est verior, & communior. & est in Praxi.

Decimo, nomine homicidij voluntarij, quantum ad irregularitatem, venit tam licitum, quam illicitum, tam ex defectu, quam ex delicto, vnde qui habent facultatem dispensandi in omni irregularitate, præter homicidium voluntarium, & bigamiam, non possunt dispensare cum homicida voluntario ex defectu. hoc ex dictis superius satis colligitur. Si autem

datur facultas dispensandi in omni irregularitate ex delicto præter homicidium voluntarium, tunc etiam non potest dispensari cum homicida ex defectu, quia facultas extenditur ad eas irregularitates, quæ sunt ex delicto. Hæc sunt secundum communem opinionem antiquorum, qui homicidium etiam ex defectu, voluntarium etiam appellarunt, cum non sit ex necessitate, nec casu, uti supra diximus, quidquid dixerint recentiores quidam.

De dispensatione vero in irregularitate ex homicidio necessitate facto, uti superius diximus, quando est ad sui necessariam defensionem, non oritur irregularitas, si seruetur moderamen; quando vero non seruetur moderamen, tunc contrahitur irregularitas, quæ aliquando est ex delicto, aliquando ex defectu, quæ omnia exposita sunt superius, si sit ex delicto nunc dico.

Primo, in foro conscientiæ, quando est occultum crimen, dispensat Episcopus, per cap. 6. Concil. Triden. sess. 24. ubi datur Episcopis facultas dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto prouenienti, præter eam, quæ oritur ex homicidio voluntario. Ergo potest dispensare cum eo, qui occidit ad defensionem sui, non seruato moderamine, & delinquit, quia, uti ostendimus superius, non est hoc homicidium voluntarium.

Secundo, si homicidij crimen non est occultum, non dispensat Episcopus, post Conc. Trid. sess. 14. c. 7. nisi ex commissione Papæ, iuxta formam ibi allegatam.

Tertio, de iure communi est controuersia: nam aliqui affirmarunt, irregularitatem ex homicidio euitabilis necessitatis impedire, ne homicida possit ad nondum susceptos promoueri, tamen in susceptis posse ministrare. ita habet Gloss. can. de his, d. 50. & Gloss. cap. sicut dignum, de homic. Gosfred. etiam in summ. de homic. dicit, post penitentiam posse in susceptis ministrare. Hostien. vero cap. sicut dignum, de homic. citat eam sententiam, & tenet contrarium, nempe non posse nec in susceptis ministrare. idem Panorm. eodem cap. num. 15. & Boic. ibidem, num. 43. & Anchar. eod. cap. & hoc est probabilius, nempe irregularem esse, quantum ad susceptos, & suscipiendos, indigereque dispensatione; ad quem autem pertineat idem sentiunt Doctores de hoc, ac de homicida voluntario ex delicto, ob id eadem dicenda sunt, quæ illic diximus de iure communi.

Quarto,

Quartò, quando est huiusmodi irregularitas sine peccato, sed ex defectu, vt in eo, qui poterat fugere, & non tenebatur fugere, aut in eo, qui occidit ad defensionem rerum temporalium, aut ad defensionem, non sui, sed aliorum, patris, aut amici, aut proximi. Idem dicendum est de iure communi, ac de voluntario; in hoc enim Concilium non disposuit quidquam, nisi vbi est cum delicto. De irregularitatis vero casualis homicidij dispensatione, communis doctrina est, de iure communi Episcopum posse dispensare ad minores, sed non ad maiores. ita habet Panorm. c. continebatur, & cap. ad audientiam, de homi. & videtur deduci ex eodem cap. ad audientiam. idem tenet. Præpo. can. i. d. 50. num. 26. nunc vero post Concil. Trident. si occultum est homicidium, dispensat Episcopus, quia est ex delicto, & non est voluntarium; si tamen non est occultum, non dispensat, nisi ex commissione Papæ, iuxta formam cap. 7. sess. 14. Hæc de dispensatione irregularitatis ex homicidio prouenientis.

De modis, quibus quæuis irregularitas tollitur.

CAPVT LXXXIII.

Quamuis in singulis explicandis irregularitatibus exposuerimus, ad quem pertineat dispensare, nunc in generali quædam breuiter sunt proponenda; triplicem enim modum Doctores tradunt, per quem irregularitas aufertur, nempe baptismum, ingressum Religionis, & dispensationem. Quantum ad baptismum attinet, certum est non tolli per eum bigamiam, vt plenius dum de bigamia locuti sumus, diximus. De homicidij vero irregularitate est magna controuersia, sed vt etiam diximus, ante baptismum nulla homicidij contrahitur irregularitas. De illegimitate vero, Silu. ver. irregularitas. notab. 28. negat tolli per baptismum, allegans Archi. can. deinde. dist. 28. Sed opinio eius non est tenenda, nec vere allegatur Archidiaconus, si enim per ingressum Religionis tollitur illegimitatis irregularitas, multo magis per baptismum. Archidi. autem potius contrarium affirmat. nam dicit, per baptismum tolli omnem irregularitatem, quæ prouenit

ex pec-

ex peccato, & ex sequela peccati, quæ est infamia; illegitimitatem autem putat esse ex peccato, sicut & Gloss. c. 1. de fili. byr. non quod sit irregularitas ex delicto, cum sit defectus talium, sed quod originem trahat ex peccato alterius. Denique baptismus tollit omnem irregularitatem, seu potius in baptizato non est vlla irregularitas ex aliquo, quod ante baptismum fecerit, aut habuerit, præter eam, quæ ex matrimonio procedit, nempe bigamia, & irregularitates, quæ proueniunt ex defectibus corporis, non quia erant ante baptismum, quia reperiuntur etiam post baptismum, sicut in alijs baptizatis, vbi est minoris ætatis, qui est notabiliter deformis, vel patitur vitia, quæ generant horrorem, aut scandalum, vti diximus in materia de corpore vitiatæ.

Quantum ad religionis ingressum, quidam affirmant tolli omnem irregularitatem, præter eam, quæ est ex bigamia, & homicidio voluntario: alij dicunt, nullam tolli, sed ingressum Religionis faciliorem facere dispensationem, & videtur hæc opinio Butr. cap. 2. de apost. ita refert Gloss. c. 2. de apost. Gloss. can. 1. dist. 36. Opinio verò Panorm. cap. 2. de Apost. Ana. ibidem vera, & legitima videtur, nempe per ingressum Religionis non tolli vllam irregularitatem, nisi quæ est expressa, ad cæteras autem facilitatem dispensandi inducit, sed eas non tollit: iure autem expressa habetur ea, quæ est illegitimatione quantum ad ordines sed non quantum ad prælationem, cap. 1. de fil. presb. quamuis etiam, vti diximus, quidam dixerint, nec hanc tolli sine dispensatione, tamen veritas est tolli, vt ibi dicit Gloss. & Hostien. c. 2. de apost. de alij iure non constat.

Quantum ad dispensationem attinet, tollitur irregularitas omnis per Papæ dispensationem, quia vt diximus, quæ proprie irregularitates sunt, de iure positiuo sunt. Episcopi autem in nonnullis dispensare possunt iure communi, vt in eadem tractatione ostendimus: in foro autem interiori ampliora est multum eorum facultas, per Concilium Tridentinum sessio. 24. cap. 6. nam in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto prouenientibus dispensare possunt, præter eas, quæ sunt ex homicidio voluntario, & deductis ad forum contentiosum. Diximus autem superius, etiam posse dispensare in irregularitate, quæ prouenit ex illicita mutilatione, quia hæc non est excepta, cum non sit comprehensa sub nomine homicidij voluntarij. Sunt autem duo aduertenda circa dispensationem

Episco,

Episcoporum super irregularitatem, vnum quantum ad ius commune, alterum quantum ad hanc concessam facultatem ex Concil. Trid.

Quod ad ius commune attinet, noranda est doctrina Inno. c. dilectus de temp. ordin. quem citat, & probat Panorm. cap. postulastis. de cler. excom. ministr. nempè quoties in iure exprimitur, vt dispensari possit cum aliquo, & non exprimitur per quem debeat fieri dispensatio, tunc videtur concessa facultas Episcopis dispensandi in eo casu. idem habet Gloss. eodem c. postulastis. Secus tamen est, quando nihil agitur de dispensatione, sed tantummodo aliquis iudicatur irregularis, aut ab ordine remouetur, tunc enim vti superius diximus ex Panorm. c. ex litteris. de cleric. non ordi. mini. Episcopus non dispensat, nisi in casibus iure expressis. & Gloss. cap. dilectus. de tempor. ordin.

Quod ad Concilij Tridentini facultatem attinet, quia in irregularitatibus ex occultis delictis prouenientibus datur facultas dispensandi, in interest multum scire, quid dicatur occultum, de quo vide Panorm. c. vestra de cohabit. cler. & muli. Clarius tamen & perfectius sic dicemus. Duplex est occultum, vnum per se, alterum per accidens. Per se occultum est, quod ex se, & in se non potest cognosci ab hominibus, quales sunt hominum cogitationes, desideria, & motus animæ interiores, & hoc occultum Deus solus iudicat, nec subest excommunicationi, irregularitati, aut poenæ humanæ. Occultum per accidens est, quod re vera potest in se, & ex se cognosci ab hominibus, tamen de facto non cognoscitur, qualia sunt verba, aut facta hominis, quæ secreto fiunt. hæc per se, & in se cognosci possunt, quia exteriora sunt, & si adessent homines, ea notassent, tamen de facto non cognoscunt, quia absunt. ista dicuntur occulta per accidens, & hoc occultum duplex est. Vnum quod opponitur probabili, nempè quod est adeo latens, vt nullis testibus, per quos probari possit pateat, & hoc partim iudicio humano subest, partim non, nam iudicium humanum duplex est. Vnum quod in causæ cognitione, probatione, & sententia consistit, & huic non subsunt talia occulta, cum per probationem non possint in lucem, & iudicium proferre.

Alterum est, iudicium humanum, quod in præcepto, aut prohibitione consistit, & poenam in genere præueniendo infligit, vt quando Prælati præcipit sub excommunicatione

lata,

lata, ne quis vescatur carnibus in diebus Veneris, tunc si
 vescatur, quamuis occulto, & sine probatione, subest iudicium
 & excommunicatus est; huic iudicio subsunt hæc occulta, &
 irregularitas oritur ex occulto crimine, & defectu exteriori
 quamuis occulto per accidens, & improbabilis, ligaturque iudicium
 hoc in conscientia, non autem in priori iudicio. Alterum
 occultum per accidens est, quod opponitur publico, siue
 notorio, siue famoso, quod enim nec notorium, nec famosum
 est, dicitur occultum, quamuis possit per aliquos testes
 probari, dummodò non sint tot, qui faciant notorium, ut
 diximus cap. superiori de criminis notorietate. hoc supposito
 dico, facultatem concessam Episcopis dispensandi, super irregularitatem
 ex occulto crimine, intelligendam de occulto per accidens
 (occultum enim per se non facit irregularem de occulto inquam
 per accidens, tam improbabili, quam probabili: ut autem clarius
 dicam, dummodò non sit notorium publicum, aut proximum
 notorio, vel publico, quod eisdem Concilij verbis satis aperte
 deducitur, nam dicitur, quod dispensat in occultis, præter
 ea, quæ sunt deducta ad forum exterius. igitur si nondum
 sunt deducta, sed deducibilia, dispensari poterit, & hoc est
 valde notandum. Dices ergo, quid si dispensauit, quando
 nondum erant deducta, & postea sunt deducta, existimo
 dispensationem factam prodesse in foro interiori, non in
 exteriori. Aduertendum etiam est, hanc concessionem factam
 Episcopis non competere Abbatibus, nec Prælatibus religiosorum,
 ex sententia Congregationis, nec Cardinalibus in suis
 titulis, ex declaratione Greg. 13. quia quamuis in eis
 iurisdictionem, quasi Episcopalem habeant, tamen Episcopi
 non sunt: liceret & Episcopo in huiusmodi casibus, in
 quibus absoluit, & dispensat inferiorem, deputare Confessarium,
 qui absoluat, & dispensec secum in eisdem, si forte in
 eurreret, ex sententia congregationis, & Anton. 3. p. ver. 15. §. 1.
 qui generaliter loquitur.

Postremò omnium est aduertendum, per iubilæa, & alias
 concessionem, quæ fieri solent, in quibus datur facultas absoluendi
 a quibuscumque censuris, & pœnis, non tolli irregularitatem.
 in quo non est tenenda doctrina nonnullorum recentiorum
 existimantium, posse per huiusmodi iubilæa tolli irregularitatem
 ex homicidio voluntario, sed non est illo modo id sequendum,
 cui repugnat tota praxis Romana Curia, & omnis Canonistarum
 doctrina: nam longè aliud est

absol-

absoluere, & dispensare: irregularitas autem non tollitur per solam absolutionem, sed per dispensationem: Dispensatio autem non datur in iubilæis. Pœnæ autem illæ, à quibus in iubilæis absoluedi datur facultas, sunt quæ per absolutionem solam tolluntur. Idemque dicendum est de quibuscunque concessionibus, aut facultatibus à Sede Apostolica emanatis, in quibus sola absoluedi facultas datur.

De iurisdictione.

CAPVT LXXXIV.

Aliud impedimentum, quod solet Sacerdotem à suo retrahere officio, ex defectu iurisdictionis. Est enim necessaria potestas iurisdictionis ad Sacramentorum administrationem.

Tamen notare oportet, quod dupliciter potest impediri administratio Sacramentorum: primo modo, quo ad rectum usum; altero modo, quo ad usum.

Tunc impeditur quoad rectum usum, cum, si Sacramentum administratur, tenet & sequitur effectus Sacramenti in recipiendo, tamen peccat qui exhibet.

Tunc verò impeditur quoad usum, cum irrita est ipsa Sacramenti administratio, quia vere non sequitur effectus Sacramenti.

Iuxta hoc dico primò, in Sacramento pœnitentiæ, est necessaria iurisdictione quoad usum, id est, si quis non habens iurisdictionem, id est, non existens Episcopus, Parochus, vel habens curam animarum, intentet absoluere, absolutio nulla est, quia non est iurisdictione. Vnde Sacerdos simplex non potest absoluere à peccato, exceptis tamen in tribus casibus.

Primò, in tempore mortis, aut periculo mortis.

Secundò, cum peccata sunt venialia, aut mortalia, sed iterum confessà, & absoluta.

Tertiò, cum in eum transfertur auctoritas, vel per licentiam Episcopi, aut Parochi, vel per diploma, vel privilegium Papæ, in quo conceditur facultas eligendi Confessarium.

Dico

Dico secundò, in aliorum sacrorum administratione necessaria iurisdictione quoad rectum usum, non tamen quoad usum. Explico: Nullus potest conferre Eucharistiam, vel extremam Vnctionem, vel Ordines, vel Baptismum sollemniter nisi habens iurisdictionem in eum, cui confert, vel ex commissione habentis. Si tamen conferat, peccat, & tamen Sacramentum tenet. In Eucharistia verò, & extrema Vnctione tempore necessitatis, non peccaret conferendo: in Matrimonio autem non est necessaria, quia non ibi ut conferens concurrat Sacerdos. Modo habetur in Concil. Trid. sess. 24, c. 17. *Qui aliter quàm presente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius loci, seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus maritum contrahere intentabunt, eos sancta Synodus, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddat, & huiusmodi contractus etiam.*

Dico tertio, Ad baptismum conferendum non sollemniter, eo modo, quo laicus potest conferre, non est necessaria iurisdictione, nec quoad usum, nec quoad rectum usum, si numerum conferatur, quando necessitas imminet. Et hæc sententia hoc impedimento.

De peccato mortali.

CAPVT LXXXV.

Mortale peccatum est impedimentum, non quidem quoad usum ordinum, nec sacramentorum administrationem impediens, ut falso hæretici fingunt, sed quoad rectum usum. Sacramenta enim collata ab his, qui in peccato sunt mortali, suum consequuntur in suscipiente effectum: tamen qui sic ministrant, male, & cum peccato ministrant.

In cuius gratiam notandum est, peccatores hos ministros posse esse in triplici differentia. Aut enim sunt præcisi ab Ecclesia, aut tolerati: & hi, vel publici, vel privati, seu occulti.

Præcisi dicuntur, qui sunt ab Ecclesia separati, vel per censuram ab officio exclusi, ut Apostatæ, hæretici, schismatici, degradati, depositi, suspensi, excommunicati, interdicti irregulares.

Tolerati sunt, qui in alijs sunt peccatis, propter quos

Ecclesia non arceatur ab officio. Publici autem sunt, cum eorum peccata alijs sunt nota. Cum verò secreta, dicuntur occulti. Illi primi generis peccant mortaliter, Sacramenta administrantes, & celebrantes: tamen tenent Sacramenta, præter confessionem, ut supra declaratum est, hoc notato, quod irregularitas solum arceat ab usu ordinis, non iurisdictionis, cum non est ex peccato. nec de his modò est præcipue sermo: nam de singulis dictum est. Illi verò secundi generis, si administrarent sacramenta, tenent quidem, tamen mortaliter ipsi peccant in cuiusque administratione, nisi urgeat necessitas, & ipsi habeant contritionem. Et idem peccatum committunt Diaconus, & Subdiaconus, qui solemniter, & modo, quo secularibus non licet, suos exercent ordines in mortali peccato. Idemque dicendum de inferioribus ordinibus, si eadem solemnitate celebrent, si ministri publici peccatores sint. Idemque dicendum de prædicante, cum publicus sit peccator. Hi enim graue generant scandalum. Illi verò tertij generis etiam mortaliter peccant, licet non ita grauiter, præter duos, scilicet, qui in minoribus sunt ordinati: nam hi, quia non ita propinqui Sacramento altaris, à mortali excusantur, nisi adsit contemptus. Similiter, præter prædicantem, quia non est actus ex se ordini deputatus, non enim mortaliter peccat, si reuerenter accedat, & contemptus non adsit. Eodem modo excusantur à mortali, quamuis publici essent, si non esset tanta notificatio, ut graue fieret scandalum, sed alij non excusantur, quia sunt proximi Sacramento purissimo. Quod si tibi arduum videtur, quod conferens in mortali Sacramento, mortaliter peccat, audi rationes huius, & cessabit admiratione.

Tria conueniunt maximè in ministro sacrorum, quæ ipsum obligant, ut absque conscientia peccati mortalis Sacramenta ministraret.

Primus, ipsa spiritualis est consecratio, per quam potestas ei data est: nam per Sacramentum gratia constituitur, & ordinatus minister Domini, vnde tenetur se in officio suo talem exhibere, qualis per ordinationem effectus est.

Secundus est, ipsa gratia ad hoc peculiariter collata: nam Sacramentum ordinis imprimit eam gratiam, qua homo valere que ordinis sunt exercere. Non enim constituit Dominus aliquem in officio, vel dignitate aliqua, quin ei conferat,

quantum est ex se, quæ necessaria sunt ad exercenda et talis sunt muneris. Vnde peccat, qui absque tali dignitate accedit ad ea exercenda, quæ sunt ordinis, & ex genere suorum carum est mortale, & accedente grauitate materia, vt in his sibus prædictis, est mortale.

Tertius est, quia in talibus actibus se exhibet ministrum religionis Christianæ, & cultus spiritualis, & diuini, oportet ergo esse in charitate, seu absque conscientia peccati mortalis, qui se ministrum tanti cultus exhibet.

*Quando licet à malis ministris accipere
Sacramenta.*

CAPVT LXXXVI.

Tanta est humana nequitia, vt sæpè contingat, quod ministri conscientias proprias negligentes, Sacramenta administrare non formident, vnde oportet fideles esse præparatum, & scire à quibus, & quomodo possit talia recipere Sacramenta. Et vt, iuxta distinctiones in capite præcedenti positas, procedamus, dico ante omnia, quod huiusmodi ministri possunt se dupliciter habere. Vno modo, quod ipsi sunt compositi Sacramenta administrantes, vel celebrantes; vt, qui ledet in loco suo, audiens confessiones, vel qui in Ecclesia adhibens Sacramenta. vel non sunt sic expositi, sed sunt parati, vt si aliquis ab ipsis peteret, ipsi statim conferrent. Rursum isti, aut sunt quibus ex officio incumbit Sacramenta administrare, vt Parochus, Curatus, Episcopus, vel similes: aut sunt quibus non ex officio incumbit, sed ex facultate aliqua, vel illa de causa. Iuxta hoc dico.

Primò, à non toleratis ab Ecclesia, siue parati, siue non parati, siue expositi sint siue ex officio incumbat eis, siue non, non licet vllum Sacramentum recipere, etiam in necessitate temporis, præter baptismum 24. q. 1. c. si quem forte. Explico: Si esset aliquis Parochus hæreticus, aut schismaticus, aut nominatim excommunicatus, non licet eum, quamuis celebrantem audire, etiam in die Dominico, & quamuis nullum aliud esset sacrum: nec cum ipso confiteri, nec aliud recipere Sacramentum, quamuis ipse esset expositus, & vellet ministrare, nisi in articulo mortis, quando non est copia

alterius
cessitatis
ferendo
sumere.

Dico
sint exp
quatur
Ecclesia
lis noc
illi sunt
& vnde
mortis.

Dico
sint par
ue ex ne
cumque
lus mal

Dico
non est t
Sacram
enim ha
tate id fi
tur adm
est neces
charitatis
tio in eu
quamuis
Sacram

Dico
re excom
percussio
lij Ce
ad

alic

alterius: Baptismum vero licet, quia est Sacramentum necessitatis; & hic potest etiam à quouis ministrari, his talis conferendo non peccat. Quod si adesset laicus, melius esset ab hoc sumere.

Dico secundo, à malis ministris secundi, & tertij generis, si sint expositi, siue ex officio incumbat, siue non, dum non sequatur aliquod graue scādalum, possumus sacra recipere: nam Ecclesia ipsos tolerat, & ipsi talia administrantes sacra, sibi solis nocent. 15. quart. 8. can. seiscitantibus. dicit Nicol. Papa, quod illi sunt sicut fax accensa, quæ alijs illuminat, & se consumit: & vnde alijs commodum exhibent, sibi dispendium præbent mortis.

Dico tertio, ab his, quibus ex officio incumbit, siue sint parati, siue non, licet petere, & accipere Sacramenta, siue ex necessitate, siue non, quia ille ex officio tenetur quando-cumque petiero ministrare, nec ego ius meum amitto ex illius malicia.

Dico quarto, ab eo, cui non incumbit ex officio, quando non est tempus necessitatis, non licet petere (à non exposito) Sacramentum, quia tunc est verè inducere ad peccandum: nō enim habeo ius exigendi ab eo. Imminente quidem necessitate id fieri potest, quia tunc quilibet Sacerdos ex officio tenetur administrare, & non sufficit alia necessitas: nam quando est necessitas præcepti Ecclesiæ, puta, confiteri, & sumere Eucharistiam Paschatis tempore, tunc, si non esset is, cui ex officio incumbit, non licet petere à non parato, nec exposito, quamuis sit priuilegium, vt à quouis possit pœnitens accipere Sacramenta.

Dico quinto, cum toleratis ab Ecclesia oportet annu-
 re excommunicatos, qui nominati non sunt, & publici, nec
 percussores Clericorum. Est enim hoc post Bullam Con-
 cilij Constantiensis, vt supra diximus, quamuis isti peccant
 administrantes, vt probabilius est. Idem de suspen-
 sis, & interdictis, quia istæ censurae sunt, & par-
 earum habetur ratio in bulla il-
 lius Concilij.

De qualitate Ordinatorum.

CAPVT LXXXVII.

Quia non satis est, impedimenta non habere ad actus exercendos, sed simul subiectum debite in se esse dispositum, vt conuenienter possit operari, Sacerdos non solum præfatis impedimentis carere debet, sed etiam aliquam in se habere dispositionem, vt quæ officij sunt digne valeat ministrare. Quæ autem ordinatus maximè habere debet, quinque esse videntur, Charitas, Religio, Sanctitas, Sacerdotia, Prudentia.

Charitas quidem necessaria est ratione sui officij, Sacerdos enim est mediûs inter Deum, & populum. Ad hoc enim est selectus à cæteris, vt pro cæteris Deo vacet, pro ipsius intercedat. Vnde necessaria est virtus, quæ vtrumque recipiat extremum, Deum scilicet, & populum: talis est Charitas, quæ respicit Deum, & proximum.

Debet ergo Sacerdos maximè vnitus esse Deo per amorem, quia ad statum talem est accersitus: debet esse maxime Deo familiaris, vt, quæ pro populo petit, consequatur. Si enim inimicus, quomodo exaudietur pro alio? Debet etiam suum amorem extendere erga alios, pro ipsis orando, erga ipsos suos actus ministrando, non propter lucrum, sed propter amorem.

Cum autem Sacerdos sit ex suo officio Deo magis proximus, eius charitas debet excedere eam charitatem, quæ secularium est. Summè igitur dolendum est, cum Sacerdos minus diligens, quam secularis inuenitur, & cum, qui ceteris est ante Sacerdotem Deo vicinior habetur.

Religio etiam est necessaria. Est autem Religio quantum moralis virtus in voluntate existens, qua homo reddit Deo debitum honorem, quatenus est primum omnium principium, sicut Iustitia virtus est reddens cuique quod suum est. Vnde cultus diuinus exhibitus per sacrificia, per adorationem, & per alios actus, à religione proficiscitur. Cum igitur Sacerdos sit diuino cultui deputatus, maximè debet, religione pollere.

Religio autem, non solum in his actibus, & ceremoniis ex-

terio

terioribus consistit, sed etiam in actibus interioribus voluntatis, quibus homo se Deo dat, ad suum cultum & honorem. Unde maxime cauendum est Sacerdoti, & cum actus similes exteriores Deo exhibet, interior adsit, qui præcipuus est, & ratione cuius exteriores Deo placent. Debet etiam suos actus exteriores ita componere, ut in eis interior appareat, unde cum maxima reuerentia, & humilitate altari accedere debet, similiter ad exequenda alia, quæ diuini sunt cultus.

Debet his accedere Sanctitas. Sanctum aliquid dupliciter dicitur: Vno, ut idem sit, quod mundus, ut sanctum dicitur, quasi sanguine tinctum, ut dicit Isidorus, eo quod olim mundabantur homines à maculis, seu peccatis, sanguine hostiæ, & sic vasa templi dicuntur sancta, id est munda. Secundo, Sanctum idem est, quod constans, firmum, & stabilitum, à verbo sanctio. Vtraque sanctitas necessaria est Sacerdoti. Est quidem necessaria munditia non solum corporis sed animæ. Mundatur anima sicut corpus metaphorice. Immundum enim dicitur aliquid, cum miscetur rebus se inferioribus.

Vnde aurum immundum dicitur, cum est mistum metallis inferioribus: mundatur, cum ab his purgatur. Animus tunc miscetur rebus, cum affectum ponit in eis, cumque eas habet propter se, & non propter Deum, tunc immundus est. Purgatur autem, cum affectus ab his in Deum transfertur. Debet igitur Sacerdos à terrenis affectibus suum in Deum transportare: ut nihil velit, quod non sit propter ipsum. Purgate se autem maxime debet à vitijs carnalibus, non solum opere, sed etiam cogitatione. Hæc enim immunditia Deo odibilis est multum.

Rursus secundo debet esse sanctus, id est, constans, ut cum se Deo semel consecrauerit, in ea permaneat consecratione, & gratiam, quam semel accepit, in perpetuum cum fœnore conferat. Talem hanc sanctitatem Deus petebat in veteri Testamento à suis Sacerdotibus, Leuitici 22. *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: Incensum enim Domini, & panes Dei si offerunt, & eius sancti erunt.* Et nota, quantum maior futura sit Sacerdotis Euangelici sanctitas, ex causa data. *Ob id, inquit, sancti erunt, quia Deo offerunt incensum, & panes:* quid dicendum est de eo, qui corpus, & sanguinem Christi filij Dei offert? Profecto supra modum nostra sanctitas futura debuerit esse maior.

Prædicta ista voluntatem perficiunt: sed non debent etiam perfectione carere intellectus: & ideo est etiam necessaria scientia, non equalis in omnibus: nam in minoribus constitutis sufficit scire legere, & commodè pronuntiare, & iuxta decret. Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 11. saltem Latinam linguam intelligere. Diacono, & Subdiacono sufficit intelligere quæ Latine legit, licet mysteria non ita calleat. Sacerdoti verò maior est necessaria scientia. Ultra prædicta enim aliquam scripturæ cognitionem habere debet, quantum sufficit, ut intelligat mysteria, quæ tractat: indignum est enim, ut altissima tractet mysteria, & eorum ignarus existat: nullum enim inde poterit gustum percipere. Quod si curam animarum habeat, adhuc maior est necessaria scientia: debet enim omnes fidei articulos, & totam doctrinam Christianam recitare, ut alijs possit tradere, aliosque in eis instruere. Debet habere cognitionem eorum peccatorum, quæ frequentem confessionibus accidunt. Debet scire casus, à quibus potest absolvere, & à quibus non: similiter censuras, quæ ad ipsos pertinent. Difficultates verò arduas, siue fidei, siue eorum occurrentium non tenetur scire, sed poterit, cum occurrerint, à sapientioribus petere.

Episcopus est, qui istam plenam cognitionem habere debet. Ipsi enim dictum est 1. Petri 3. cap. parati reddere rationem omni poscenti nos, de ea, quæ in vobis est fide. Vnde perfectam veteris et novi testamenti debet habere cognitionem, & perfectam mysteriorum fidei intelligentiam, ut sciat etiam alijs veritatem exponere, & aliorum contra veritatem fallacias expellere, hæresesque expugnare. Verè enim est doctor in Ecclesia Cathedra sedens, cui ex officio sacras exponere populo scripturas competit.

Nec adhuc totum est completum: nam debet accedere etiam prudentia, quæ omnia moderetur atque gubernet. Nam prudentia est, quæ media ordinat, & adaptat in finem, siue quæ nihil bene fit, & conuenienter. Est autem maxime his necessaria, qui iurisdictionem in interiori, siue exteriori foro habent, ut dum ad ipsos aliorum bona, vel malè facta deferuntur, ipsi remedia proportionata adhibeant, ne fructus subditorum auferantur, aut impediuntur.

Denique debet esse Sacerdos exemplar perfectionis, sanctitatis, & bonitatis omnibus hominibus, ut tamquam be-

posita super candelabrum luceat omnibus, & ut Pagani, & infideles omnes, opera Christianorum videntes, maximè nostram fidem commendent Deus faxit, ut tales sint, quales esse debent, interim memoriæ causa, quæ diximus quinque, ad duo hæc carmina reducamus.

*Sacra parans Domino, sit prudens, sanctus, & ipsi
Charus, coniunctus religione, sciens.*

Atque hæc sint saris de isto libro nostræ instructionis primo, in quo de impedimentis, & dispositionibus ad officium Sacerdotum pertinentibus egimus. Superest, ut de ipsis officijs in particulari disseramus.

Libri primi finis.

